BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
34 II
31
M

~~C.50.e~~
C.3.g.

IN OMNES EPISTO LAS APOSTOLICAS F. FRA ciſci Titelmanni ordinis Minoritarum Elucidatio, unà cum argumentis capitis cuiuſq; materiam com= plectentibus. Omnibus ex authoris reco gnitione cultioribus redditis.

Multa hic inuenies Lector eruta, quæ hactenus atti= git nemo, multa explicata, quæ in hunc diem uſque obſcuriora ſunt uiſa.

Beatus uir, cuius eſt dominus ſpes eius: & non reſpexit in uanitates, & inſanias falſas



Venetijs ad ſignum Spei.

M D X L V I I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

PSALMVS NVNCVPATORIVS *altißimo omnium bonorum largitori* Deo, *ad operis dedicationem.*

Confiteor tibi D*ñe pater cœli & terræ: ex bona uoluntate & animo liberali perſoluo confeßionem tibi.*

Quoniã omnis boni principium es tu, fons inexhauſtus & abyſſus interminabilis.

A te procedit quicquid eſt bonitatis in oĩbus creaturis tuis: elargitionis tuæ munus eſt omnis creata bonitas.

Quoniam tu ſolũ es uere bonũ & perfectum, & præter te aliud nihil, niſi participatione communicationis tuæ.

Propterea in oĩbus te decet hymnus D*eus inhabitator* H*ieruſalem: cantica gratitudinis ſunt tibi a nobis debita.*

Propter bonitatem tuã donas nobis quæ nõ debes bona gratiarũ tuarũ, & nos quæ debemus, tibi, reddimus laudis cantica.

Sacrificium enim laudis honorificabit te: et ipſum eſt iter quo pergitur ad oſtenſionem ſalutaris tui.

Peculiare autem donum & eximium dediſti nobis ſcripturas ſanctas: in eruditionẽ & ſtabilimentum ſalutaris fidei noſtræ.

In uerborum utilitate & ſenſuum obſcuritate condidiſti eas, ut duabus hiſce rebus ſuperbos atq; deſides abigeres indignos.

Humilibus tamen non negas introitum, qui exaudis humiles, clauem donas eis per quam ingrediantur in illas.

Spiritus tuus ſanctus ipſe eſt clauis intelligentiæ ſcripturarum tuarum, quoniam & ipſe eſt calamus.

Calamus fuit ſcribentium eas, & clauis eſt idem ipſe legẽtium eas.

Mihi autem paruulo puero tuo feciſti miſericordiã magnã nimis: introire in latitudinẽ earũ, & oblectari ĩ floribus paſcuæ tuæ.

Nec tibi hoc ſatis fuit uiſum domine meus & pater uitæ meæ: ut
& alios introducerem dediſti mihi, quoniam uoluiſti.

Ex munere gratiæ tuæ præſentes docuit lĩgua mea Apoſtolica ſcri
pta tua in conſpectu aduentantium oĩum enarraui in ore meo.

Non ego autem, ſed gratia tua mecum: in te enim faciemus magna
qui ſine te non poſſumus nec minima.

Mandatum nouum diſcedens reliquit nobis Chriſtus filius tuus:
diligere inuicem quomodo & ipſe nos prior dilexerat. Dile=
ctus diſcipulus tuus præceptum hoc in lingua negat impleri:
opus & ueritatem ſimul exigit.

Vas electionis omnino erga omnes operari iubet bonum: & de
adminiſtratione acceptarum à te gratiarum diſtricte præce=
pit nobis.

Quem poſuiſti caput Apoſtolorum tuorũ: ipſe diſpenſatores mul=
ti formis gratiæ tuæ commonefacit diſpenſationis ſuæ.

Ego autem cognoui quoniam debitor ſum oĩbus abſentibus æque
atq; præſentibus: quibus in ullo conducere potens eſt per gra=
tiam tuam labor meus.

Propterea conſilium fuit mihi literis tradere ad eruditionem ab=
ſentium fidelium tuorũ: quæ infundebas in os noſtrũ: & effun=
debas per labia noſtra præſenti multitudini.

In auxilio confiſus gratiæ tuæ cœpi laborem hunc: & uſque ad fi=
nem non defuiſti mihi.

Sine te Deus non cœpi neq; finiui: ſi nõ adfuiſſet mihi gratia tua,
non fuiſſet mihi reperire neq; finem neq; principium.

Profecto nunc opere ecce uenio ad te: ut offeram tibi primitias la=
boris mei.

Quomodo ad patremfamilias inferre ſolent perfecta opera ſua
operarij boni: ita conſummato eo quod iniunxiſti mihi, ecce
ad te redeo.

Primitiæ enim operis mei publici ſunt editio iſta: non offerant eas neque dicabo alteri.

Tu mihi dediſti, non dedit mihi alius: tibi quoque dedicabo, non præſentabuntur alteri.

Gloriam tibi debitam alteri non dabo: ecce offero labores meos ante conſpectum maieſtatis tuæ.

Ad te refero, tibi aſcribo: tibi nuncupo, tibi dico & dedico.

Si placens tibi eſt labor meus, non eſt quòd quæram ultra: habeo quæcunq; optaui omnia.

Domine tu noſti quoniam non ſine labore perfeci opus iſtud: ueruntamen ſi placitum eſt ante oculos tuos, non me laboris tædet neq; pœnitet.

Placuiſſe tibi plena mihi remuneratio eſt: etiam ſi fuiſſet labor centuplus, hoc ſolo mihi ſatisfeceris.

Habe ergo Deus accepta quæ offert tibi puer paruulus tuus: & qui laboribus noſtris cum humilitate uti uolent in bonum, benignus aſpicias eos.

De remuneratione nihil in præſentiarum agimus in hoc tempore donec ueniat tempus retributionis expectabo libentiſsime.

Fiat miſericordia tua domine ſuper nos: quemadmodum ſemper in te ſperauimus.

In te ſperaui & non ſum confuſus: quoniam tu domine auxiliator fuiſti mihi, & eris defenſor meus.

Gloria patri & filio: & ſpiritui ſancto.

Sicut erat in principio & nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM

in Epiſtolam ad Romanos beati Pauli Apoſtoli.

Cum apud Romanos, commiſti pariter Gentiles atq; Iudæi, odioſis contentionibus uacarent, atque inuicem præferri uellent in Euangelij gratia: Iudæis patribus ſuis peculiariter factas promiſsiones adducentibus, atq; ob hoc Gentiles contemnentibus, Gentibus econtrario ingratitudinem & infidelitatem in exprobrationem illis obijcientibus: Iudæis iterum exiſtimantibus, ad ſuam legem debere tranſire, eos qui ſaluari uellent ex Gentibus, contra Gentilibus legem noxiam eſſe ac ſuperſtitioſam reputantibus: ſicq; erga inuicem perfecti non eſſent in charitate Chriſtiana: Paulus fama Apoſtolus accepta de bonis illorum initijs, dolens has inter eos diſſenſiones & quæſtiones agitari, epiſtola decreuit facere finem contentionibus. In qua id potiſsimum agit, ut utriq; populo demonſtret ex ſua conditione ſalutem non eſſe, id eſt, nec Iudæo ex ſuo Iudaiſmo, nec Gentili ex ſua Gentilitate, ſed omnes debere peccatorum remiſsionem, & ueram quæ coràm Deo eſt iuſtitiam, per gratiam Dei, ex fide Chriſti expectare, & in Euangelij negotio, omnes qui credunt pares eſſe quantum ad ſalutem. Ita ut nihil ultra contra inuicem gloriari aut contendere debeant pro ſuis ſuperſtitionibus, aut corporalibus obſeruantijs, neq; inuicem iudicare aut contemnere: ſed in pace & unitate uiuere, per charitatis manſuetudinem inuicem tolerantes in mutuis imperfectionibus. Atq; hoc quidem, totius epiſtolæ, caput eſt. Quo tamen clarior fiat: epiſtola, quæ tota eſt obſcuritatibus plena, per ſingula capita diſcurrentes, uelut Epitomate eã cõplecti tentabimus. In primo itaq; capitulo, poſt ſui Apoſtolatus expoſitum miniſterium, & imprecatam illis gratiam, familiaria quædam amice præfatus: de illorum audita bona fama & excuſatione quod hactenus eos

non uiſerit, cum ſit omnibus debitor, nec erubeſcat Dei Euangelium, mox tranſit occaſione iuſtitiæ Dei quæ in Euangelio reuelata eſt, ad Gentium horrenda facinora (in quæ propter ſuã ingratitudinem, deo permittente, turpiſſima & fœdiſſima ſunt prolapſi) cõmemoranda, quoniam Deum quẽ ex creaturis ſufficienter agnoſcere potuerant, immo & agnouerant, non ut oportebat coluerunt, diuinum honorem idolis exhibentes. In cuius pœnam, ad reliqua quoq; turpiſſima et innaturalia uitia, Deo permittente, traditos dicit: quæ & particulatim plurima enumerat. Atq; in hoc totum perficit primum capitulum. His uero ſic confuſis Gentilibus, capite ſecundo: primum quidem occulte, deinde apertius, Iudæos quoq; humiliat, & peccato non carere demonſtrat, cum alios (nempe Gentiles) iudicent, & propter peccata contemnant, in quibus ipſoſmet etiam reos inueniri conſtat quos impoſſibile eſt Dei effugere uenturum cõtra omnes male agentes iudicium, tametſi Iudæi legem à Deo ſcriptam acceperint. Quomodo enim Gentilibus ad ſalutẽ non obeſt, quòd legem ſcriptam nõ acceperint, dum ſaluari poſſunt ex lege naturæ quæ eis ineſt, ſic nec illis prodeſt ut nõ condemnentur, eadẽ quæ illi agentes mala, qđ legem ſcriptam teneant, ſi opere non impleant. Cum & præputiatus iuſtitias legis ex naturali dictamine conſcientiæ cuſtodiens, apud Deũ iuſtus habeatur ac ſpiritualiter circunciſus, & circunciſus corpore, legis iuſtitias nõ obſeruans, apud Deum habeatur incircunciſus. Quoniã uero hiſce uerbis uiſus eſt incircunciſos Gẽtiles æquare Iudæis circunciſis. Tertio Capitulo obijcit quæſtionẽ, ac ſoluit, quid Iudæi ex ſua habeant circunciſione, præ Gentilibus: dicens, nõ parũ illud eſſe, quòd ſoli ipſi, Dei acceperint eloquia: Prophetarum uidelicet teſtimonia & patrũ promiſſiones. Nec infidelitatem dicit obſtare quorundã, quo minus implenda ſint

eloquia promiſsionum Dei: *cùm ſit* Deus *uerax & fidelis; & eo magis, quo erga nos quoque, omnes corruptione naturæ uanos & mendaces, ſuam fidelitatem ſeruat: ſic ut ex noſtra infidelitate*, Dei *clarificetur ueritas, obiter quæſtionem mouens ex huius uerbi occaſione, cur iuſtus* Deus *iram pro peccatis inferat ſi (ut ex hoc uidetur quod prædictum eſt) per noſtram iniuſtitiam*, Dei *iuſtitia glorificatur*. Sed *eam quæſtionem inabſolutam relinquit, quod & aliàs ſæpe facit potiſsimum cum de diuinis loquitur iudicijs, cuiuſmodi & hoc eſt quod modo quæritur*. Re*ſumit tamen hanc quæſtionem ſecundum uirtutem, ſexto capitulo, & utcunque ſoluit*. Dicit *autem (quæſtione illa dimiſſa) in nullo* Iud*æos gentibus quantum ad ſalutẽ, præſtare, ſed oẽs peccato factos obnoxios (quomodo de* Iud*æis peculiariter ex* P*ſalmi teſtimonio demõſtrat) egere* Dei *miſericordia, & ut in eis ipſe glorificetur, iuſtificando gratis per gratiã ſuan ex fide: per quã, omnem dicit* Iud*æorum illã uanam gloriationẽ ſublatam, poſtq̃ per* Dei *gratiã & fidem* Iud*æos & gentes ex æquo iuſtificare & ſaluare decreuit communis oĩum* D*ñs*. Nec *tamen legis uult haberi deſtructor* Paulus, *ſed magis confirmator & cõſummator*. Quarto *deinde* Capitulo *iterum ſibijpſi quæſtionem mouet, quidnam ſit quòd* A*braham uelut pro magno dono circunciſionẽ accepit, ſi nihil ex hoc amplius habeat* Iud*æus apud* Deum, *q̃* Gen*tilis*, A*c primum quidẽ præmittendo declarat, tum ratione, tũ ſcriptura:* A*braham non ex condigno operum ſuorum merito (quod ſuperciliosi ac arrogantes quæreabãt* Iud*æi per ſuas obſeruantias) ſed per fidem fuiſſe iuſtificatum, etiam priuſquã circunciſionem accepiſſet.* V*nde euidens eſt, circunciſionẽ illi non dediſſe iuſtitiam ſed ſignum tantum fuiſſe iuſtitiæ, ſibi & ſuæ genti peculiariter datum*. C*ũ tamen* A*braham ante illud ſignũ*

uere iuſtus dictus ſit in ſcriptura, et habitus apud Deum, *clarum eſt etiã modo fieri poſſe, ut Gentilis ſine circunciſione iuſtificetur, eodẽ modo quo* Abrahã *tũc fuit iuſtificatus p fidem.* Vnde *duplices eius filios diſtinguens,* Abrahã *ſacit patrem nõ ſolum carnaliũ* Iudæorũ, *ſed oĩum etiã fideliũ qui eius imitantur fidẽ.* Neq; *p legẽ dicit illum accepiſſe promiſsionẽ ſuo ſemini adimplendã, ſed p fidẽ per quã etiam filij eius ſecundũ ſpiritum oẽs, ſalutẽ cõſequi poterunt.* Vbi *& fidem* Abrahæ *declarans, mire eã prædicat atq; cõmendat: quam & nobis dicit ad iuſtitiam reputari, ſi in Chriſtum (qui deuicta morte, ad noſtrã iuſtificationem reſurrexerit a mortuis) credimus.* Propter qđ, *quinto capitulo, oĩbus p* Chriſtum *facta ſalute, monet pacẽ habere ad* Deũ *omiſſa omni fiducia carnali, in ſola ſpe fixos gloriæ filiorũ* Dei, *quæ oĩbus eſt cõmunis.* Cuius *ſpe etiam in tribulationibus quæ pro fide Chriſti obueniunt, magnifice gloriamur (ſentientes bonũ patientiæ fructum) in ſpe quæ nunq̃ confundit, propter pignus ſpiritus qđ accepimus.* Quòd *ex eo declarat, quoniã ſi tunc cũ nõdũ eſſent ablata peccata mũdi,* Deus *homo fieri et pro hoĩbus mori dignatus eſt, multo magis nũc, peccatis mũdi expiatis & facta recõciliatione, ſalutẽ ſperare poſſunt & debent fideles neq; poterunt recte ſperantes cõfundi.* Et *quia de expiatione peccatorũ & facta reconcilione per Chriſtũ in generalitate dixerat, pergit ſpecialius qũo id factum fuerit pertractare.* Et *ut contrarijs iuxta ſe poſitis res fiat clarior* Adam *ueterẽ primũ parentẽ, per ſuã inobedientiã originali peccato cõmaculãtem oẽs poſteros, qui erant in lumbis eius, & in eo tanq̃ in maſſa, cõparat cũ Chriſto nouo* Adam, *qui p ſuã perfectam obedictiã, oĩbus in ſe credentibus cõtulit pfectã iuſtitiã, & à ueteris* Adæ *ſpurcitijs expurgauit, & oẽs in pace cum* Deo *cõſtituit: quomodo ille unus miſerat oẽs ſub ira* Dei,

à qua legẽ dicit liberare nõ potuiſſe ſuos obſeruatores, adeo ut ꝑ eius occaſionẽ etiam excreuerint delicta Capite uero ſexto, qõne propoſita ex prædictis:& ea quã capite tertio reliquerat inſolitam,modo quodã reſumpta,an in pcõ ſit permanendũ ut gratia Deì abundet,utq; magis clarificetur gloria Dei: rñdet, nequaq̃ cõuenire,ut q ſemel pcõ ſit mortuus, & ꝑ baptiſmum in Chriſti morte ſepultus, ad anteactæ malæ uitæ priſtina opa redeat, ſed tantũ ut in nouitate uitæ ad opa bona cum Chriſto reſurgat ſciens ſe peccato mortuum,Deo debere de cætero uiuere,ut nõ ultra regnet peccatum in carne:& corpora q̃ prius ad iniquitatẽ exhibebantur patrandam:iã exhibeantur ad operandam iuſtitiã.Neq; enim ideo facilius peccare debemus, qđ ſub gratia ſumus:ſcientes nos ſemel ꝑ gratiã Dei liberos factos à ſeruitute peccati,ſeruos noſipſos addixiſſe iuſtitiæ:cui proinde nũc poſt cõuerſionẽ oportet corpora noſtra ſeruire,quẽadmodũ ante ſeruiebant ĩmunditiæ & cõcupiſcẽtiæ. Atq; eo etiã magis,quo hæc(nẽpe iniuſtitia)ſuis ſeruitoribus mortẽ æternã cõfert in ſtipẽdiũ,& mercedis præterea nihil,Iuſtitia uero, ex Dei liberalitate,et modo fructum ſanctificationẽ, & in futuro finẽ optimũ uitã æternã,ſuis donat ſectatoribus.In ſequentibus uero duobus capitulis, qũo à duabus legibus ꝑ Chriſtũ ſumus liberati,ad ſeruiendũ legi nouæ Euãgelicæ,declarat. Et primũ qdẽ ſeptimi capitis initio:de lege ueteri,ſub cõparatione mulieris quæ à uiri lege ꝑ mortẽ eius abſoluitur, nos docet ꝑ mortẽ Chriſti legi ſubtractos, ad ſeruiendũ Chriſto in libertate legis Euangelicæ,eo ꝙ ꝑ mortẽ Chriſti, lex mortificata ius priſtinũ perdiderit obligationis. Quã ipſe legẽ mortis nominat,non qđ ipſa peccatũ ſit aut malũ,aut quaſi ꝑ ſeipſam ſit mortifera, ſed qa ꝑ occaſionẽ,dum peccata demõſtrat,& gratiam auxiliantẽ nõ præbet,ꝑꝑ cõcupiſcentiæ peruerſitatẽ ad mala incitat,dum

nitimur in ueritum ſemper, cupimusq; negata: legē q̄dē (ut ſanctam) nequaq̄ accuſans, ſed corruptū ſenſualē appetitum in carne inhabitantem, qui etiam bonum poßit in malum peruertere, grauiter accuſat. Vocat *autem hunc cōcupiſcentiæ fomitem, et peccatum, & legem carnis.* Peccatum *quidem, eo q̄ omnis peccati ſit initium, & uelut ſeminarium, ſemper ad malum ſolicitans.* Legem *uero carnis, ex eo q̄ carnem ſolicitat, incitat, & modo quodam impellit, ad ea quæ uult ipſa (etiam cōtranitente ſpiritu) peragenda: & ſpiritus legi nolens ſubijci, ſemper rebellionem parat, etiam in ſpiritualibus uiris & aliquouſq; iam perfectis: ita ut ſpiritu bona uolente perficere, carnis iſta lex obſtrepat, & impediat frequenter, ſemper autem cum difficultate aliqua faciat operari bonum.* Vnde *capite octauo, de ea libertate quam per ſpiritum ſanctum aſſequimur (quæ eſt p̄ gratiam* Dei) *prolixe & prorſus diuiniſsime diſſerit: oſtendens, quemadmodum p̄* Chriſti *gratiā ab utraq; lege, tam ueteri illa, q̄ carnali iſta, p̄ Chriſtum liberamur ut nec ad illā obligemur, neq; p̄ hanc ad ullū malū cogamur, ſi modo ſpiritū* Dei *habeamus in nobis inhabitātē, et ſecūdū eius operemur inſtinctū, nō ſecūdū carnis ſuggeſtionē, p̄ quē ſpiritū, carnē dicit nūc mortificari uitijs, & in futuro reſuſcitandā ad reſurrectionē glorioſam: quoniā filij* Dei *ſunt & cohæredes, Chriſti fideles oēs, q aguntur ſpiritu adoptiōis filiorū* Dei: *p̄ quē etiā graue nō ducimus, pro Chriſti noīe paßionibus affligi, p̄p expectationē ſuperuenturæ gloriæ, q̄uo & mundialis machina tota nunc ſub ſeruitute laborat, expectans in glorificatione filiorū* Dei *requiē accipere nobiſcū, à laboribus ſuis.* Ad *quā tn̄ ſpeciali modo ſuſpirant, qui ſpiritus in ſe primitias habent, qui ſperare facit (quod adhuc nō uidetur) corporis & aīæ glorificationē: qui etiā modo noſtrā ignorātiā inſtruens, nos* Deū *orare decet gratißimis orō-*

nibus. Per *quē poſtremo dicit fieri,ut fidelibus ĩ qbus ĩhabitat, oĩa cedāt in bonū : atq; ita diuinā prædeſtinationē , uocationē, iuſtificationē,p eū cōpleri in electis, ut in nouiſſimo die nemo aduerſus eos ullis ualeat accuſationibus præualere , & ſic nos modo ĩ* Dei *amore cōfirmare,ut nulla nos poſſit , à* Chrō *creatore,creatura ſeparare,pp ſuperabūdantē quā erga nos demōſtrauit charitatē,qñ ,pprio filio ſuo nō pepercit , ſed pro nobis oĩbus tradidit eū.* Atq; *hæc qdē capi.*8.In *nono aūt ſequēti , ne qs in prioribus eū cōtra legē ex odio ſuæ gentis locutum fuiſſe exiſtimet,iurāmēto firmat,maximū ſe habere deſideriū cōuerſionis & ſaluationis populi ſui* Iſraelitici *, cui à* Deo *in ueteri teſtamēto plurima erāt exhibita peculiaria beneficia.* Nec *tñ ſe deſperare dicit de impletione ,pmiſſorū* Dei*, quāuis illi ſecūdū carnē* Iſraelitæ*,nolint* Euāgelio *credere , cū impleantur in ueris* Abrahæ *&* Iſaac *filijs,ſecundū ſpiritū.* Vbi *ſub* Iſaac et Iſmael.Item Iacob et Eſau *(ex qbus utriſq;, alter tantum à* Dño *ad implendā patris ,pmiſſionē electus fuit) duas uidetur lineas filiorū* Abrahæ *&* Iſaac *cōſtituere alterā ſecūdū carnē, quæ linea ſanctificatur in* Iſmael *&* Eſau. Alterā *ſecūdū ſpiritū,eorū qui dicuntur ſecundū* Iſaac *&* Iacob *filios benedictionis, in quibus implentur diuinæ promiſſiones :* Vbi *ex uerbo* Prophetæ: Iacob *dilexi,*Eſau *odio habui,in prædeſtinationis profundiſſimā deſcendit abyſſum,dicens.* Non *ex noſtris operibus , ſed ex* Dei *electione libera,prædeſtinari bonos, & reprobari malos: nec currentis eſſe,nec uolentis,prædeſtinari aut reprobari, ſed* Dei *miſerentis:nec eū ullā facere iniuſtitiā,cū pro peccatis punit peccatores quoniā ſicut lutū in manu figuli,ita nos in manu* Domini*,ut nos uel reprobet in uaſa iræ,uel prædeſtinet in uaſa miſericordiæ.* Quos *dicit uocatos nō ex* Iudæis *ſolū, ſed & ex gētibus:quēadmodū ex* Prophetarū *aſtruit teſtimonijs, quæ de*

Gentiũ olim incredulorũ loquutur cõuerſione, ſimul cũ Iudæis Chriſto credẽtibus, admirans in fine capitis, mirabili Dei iudicio factũ eſſe, ut Gẽtes ex Dei gratia nõ ſperatã neq; expectatã ſuſceperint iuſtitiã, quã expectãtes & multo ante præparati ꝑ legẽ Iudæi oblatã reſpuerũt, ĩpingentes ꝑ inuidiæ cæcitatẽ in lapidẽ offenſionis. Vnde capite. 10. ꝓ illorũ cõuerſione Dñm ſe dicit orare, teſtimoniũ illis ꝑhibẽs (qđ ĩ ſe experiẽtia didicerat) illos zelo qdẽ Dei, ſed nõ ſecũdũ ueritatẽ & rectitudinẽ ſciẽtiæ fidei zelare: ꝑꝑ ſuã carnalẽ legẽ mordicus tuẽdã. Chri filij Dei Euãgelicã legẽ & æternã reſpuẽtes, cũ ſit tñ ipſe finis totius legis. Ipſa. n. lex factorũ, obſeruãtes in uita tãtũ cõſeruabat corporali: ſed ſecũdũ ſpiritũ ꝑ ſe nõ ꝑfectẽ iuſtificabat. Noſtra aũt, lex fidei eſt, ꝙ hoc requirit à nobis, nõ ut multa faciamus cæremonialia (cuiuſmodi uetus reqrebat) ſed ut ſine hæſitationibus & qõnibus, ſimpl'r credamus Chriſtũ Dei filiũ de cœlis deſcẽdiſſe, & eũdẽ ab inferis deuicta morte ad cœlos aſcẽdiſſe, ĩ qua fide, nr̃a ſalus tota cõſiſtit, ſi eã corde credamus, & ore, cũ tẽpus popoſcerit, cõfiteamur, ꝙ ſine diſtinctione aut cõſideratiõe ꝑſonarũ, ex diuitis & liberalis Dei gratia, cõis eſt oĩbus nomẽ ex fide uera inuocantibus, ſimul addens, qũo ꝑ Ap'licã prædicationẽ, ꝑ uniuerſum orbẽ ſanctæ fidei prædicatio miſſa fuerit, ad oĩum gẽtiũ ſalutẽ: ꝗꝙ ij qbus primũ nuntiata fuit filij Iſrael, ꝑꝑ inuidiã & pertinaciã ſuã noluerint acceptare oblatã, iuxta, Prophetarũ de utroq; prædicta teſtimonia. Quia uero in his præcedẽtibus capitulis multa de reprobatiõe Iudaici populi dixerat: neqs illos in uniuerſum putet rõne gñis ſui eſſe abiectos, undecimo capi. Iſtud infidelitati aſcribẽdũ, nõ generi, docet & uſqueadeo nõ generi, ut etiã gratiſſimos dicat Deo eẽ futuros, ꝓpter electionẽ patrũ ſuorũ & eis factas ꝓmiſſiones, ſi tantũ uelint Chriſti fidẽ ſuſcipere: & ſpũm illũ inuidiæ & odij (quo

ſunt excæcati, ut nõ uideãt) deponere, ſicq; futurũ ut quẽadmodũ ꝑ infidelitatẽ ex bona oliua fuerãt eiecti, ita & ꝑ fidẽ rurſum inſerãtur. Vnde ĩ prĩcipio capituli huius, iuxta exẽplũ Heliæ dicit nõ dubitandũ, quin plurimi adhuc ſint ex Iudæis, quos deus prædeſtinauit, nec in uniuerſum oẽs eſſe reprobatos, q̃q̃ ꝑ inuidiæ ſpiritũ plures iã ſint excæcati. In medio autẽ, rõne patrũ Deo (q de ſuis ꝓmiſſis pœnitere neſcit) chariſſimorũ, eos ſi cõuertãtur acceptiſſimos fore demõſtrat, nihilominus q̃ gẽtes. Circa finẽ uero capituli, myſteriũ cõuerſionis Iudæorũ in fine ſeculi, cũ plenitudo gẽtiũ intrauerit, aperiẽs, dicit: q̃uo olim gẽtes poſt lõgã ſuã incredulitatẽ, tandẽ ad fidẽ cõuerſæ, cõſecutæ ſunt miſericordiã, ita poſt eã infidelitatẽ in qua nũc ſunt Iudæi, futurũ in cõſummatione ſeculi poſt detectam Antichriſti nequitiã, ut ad ueritatẽ fidei reuertantur cũ gẽtibus, ut ſit unũ ouile & unus paſtor. Vbi ꝑ exclamationẽ, ꝓfunditatẽ diuinorũ iudiciorũ et inæſtimabilẽ, Dei ſapiẽtiã admirans, in gratiarũ actiõe hãc de Dei prædeſtinatiõe ac reprobatiõe profundiſſimã abyſſum, miro ſanctæ humilitatis egreditur artificio. Dehinc, ad moralia trãſit, capite duodecimo, qđ moralibus et ſalutaribus admodũ inſtructionibus totũ eſt refertũ: potiſſimũ de aĩ humilitate & gratiarũ à Deo cõceſſarũ mutua ac fideli adminiſtratione in inuicẽ, & de uindicta ꝑ iracũdiã nõ requirẽda, et alijs hmõi. Capite aũt. 13. de obediẽtia præſtanda ſupioribus ꝑtãtibus, etiã tẽporalibus, dat pręceptũ: diuinæ ordinatiõi dicẽs reſiſtere eos, q ꝑtãtibus à Deo cõſtitutis negãt obediẽtiã. Monet uero ſingulis ſua reddi debita, ut nulli ſint debitores: & charitatẽ fraternã erga inuicẽ exhibere, in qua tota lex ĩpletur. Eoq; magis, quo iã in die ſumus & in tpe gratiæ, nõ amplius (ut olim ante Chriſti aduentũ) in nocte, ꝑꝑ qđ operibus tenebrarũ (nẽpe comeſſationibus & ebrietatibus & ĩpudicitijs) abiectis, operibus lucis

debemus noſipſos adornare, carnis deſideria refrǽnantes. Capite aũt. 14. ad tolerãdã inuicem in charitate hortatur, ſic ut nec pfectiores in fide p ſupbiã cõtẽnant ĩperfectos, adhuc aliqd Iudaiſmi ĩ obſeruandis eſcis aut diebus retinẽtes: neq; uiciſſim infirmiores iudicent pfectiores, pp Euangelij *libertatẽ, legalium obſeruantiarũ diſtinctionẽ negligentes: ſed ut unuſquiſq;, iuxta ſuæ fidei rõnẽ, cõſcientiæ ſuæ ſatisfaciat: à iudicandis fratribus multum dehortans, ex eo q ſoli Chriſto cõpetit iudiciũ, cui & uiuimus, & morimur, ad cuius tribunal aſtabimus oẽs, iudicandi ac pro nobiſipſis rõnem reddituri.* Nõ *autẽ ad nos ſpectat iudicare inuicẽ.* Docet *aũt deinceps: ſecũdũ ueritatẽ nullũ cibum eſſe cõem, niſi tantũ ex cõſcientia eius qui cibũ aliquẽ pollutum aut ĩmundũ reputat.* Veruntamẽ *pp fratris infirmi ſcandalum præcauendũ, modis oĩbus uult perfectiores, etiã ab eo qui ſecũdum ſe licitus eſt cibo abſtinere, pro quo Chriſtus Dñs etiã mori nõ dubitauit: adijciens in fine capitis, omne quod nõ ſecundũ fidei rõnem cõtra cõſciẽtiã agitur, peccatum eſſe.* Decimoquinto *de hinc capitulo, quod prius ppoſuerat replicat, ut inuicem ſupportemus in humili charitate, exẽplo Chriſti: qui non ſupbe ſibi placuit, noſtrã ſalutẽ cõtẽnens. ſed noſtras in ſe infirmitates ſuſtinuit, pro nobis improperia ſuſcipiens, ac pœnam mortis, q̃ nobis ſunt) quẽadmodũ & cætera ſcripturarum oĩa indubie in exemplũ deſcripta, ut p ea inſtruamur ad bonũ, & confirmemur in eis.* Deinde *pro gẽtiliũ incircũciſorũ et* Iudæorũ *circunciſorũ ex aĩo uera cõcordia.* Deũ *deprecatur: & ut inuicem ſuſtineãt in mãſuetudine Chriſtiana, exẽplo Chriſti eos hortatur, ut ſe inuicem nõ aſpernentur, ſed potius honorent ac uereantur in* Dño, *q &* Iudæos *honorauit, et nihilominus etiã gẽtes,* Iudæos *qdẽ, factus eis ſalutis miniſter, ĩ carne ueniẽs ad ĩplẽdã promiſſionẽ patribus eorũ factã.* Gentes *aũt, in eo q hãc ſalutẽ*

Iudæis ex ꝓmiſſiõe oblatã, etiã ĩ eos ex ſua miſericordia uoluit dilatare, iuxta Prophetarũ q̃ adducit diuerſa teſtimonia. Poſt hæc circa mediũ capitis, ad familiaria deſcẽdẽs, ꝓ eorũ cõſumatione, tãetſi de eis bene cõfidat, Deũ deprecatus, ſe excuſat q̃d cõfidẽter ad illos ſcripſerit, rõne ſui miniſterij Apoſtolici q̃d accepit in Gẽtibus, in quo ſe ſolo dicit gloriari dũ eius prædicatio ſequẽtibus ſignis atq; ꝓdigijs ꝑ Deũ confirmata, uſq; adeo ꝓfici, ut ĩ uicina oĩa loca ꝑ circuitũ. Euãgeliũ Chriſti cũ magno fructu peruenerit. Idq; in talibus locis, ubi nunq̃ Chriſti fuerat prædicatũ Euãgeliũ. Propter q̃d ſe dicit hactenus nõ potuiſſe ad illos accedere, pp nimiã in his regionibus occupatiõẽ, q̃q̃ ex multis anteactis annis ſummæ id optauerit. Nũc tñ locũ non habẽs amplius in his regionibus, atq; ob hoc in Hiſpaniã iter meditans, ſperat ſe iſtac trãſeundo, ipſos ĩuiſurũ. Et nũc q̃dẽ ſe ꝓficiſci dicit in Hieruſalẽ, ad deferẽdũ eã quã ab eccleſijs gẽtiũ collegerat ꝓ pauperibus Hieroſolymitanis eleemoſynam, quo ꝑfecto negotio, ſe ſperat iſtac iter facturũ in Hiſpaniã. Orari autẽ petit pro ſe, ut à peruerſis qui in Iudæa ſunt hoĩbus liberetur & acceptã poſſit offerre in Hieruſalẽ oblatiõẽ ſuam, pro ſanctorũ neceſſitatibus. Capitulũ uero ſextũ decimũ totum penè ſalutationibus occupatur: Niſi q̃d in medio de cauẽdis ijs q̃ diſſenſiones & mala dogmata, cõtra Apoſtolicã doctrinã ſeminant, interponit: quos ſuo uentri dicit ſeruire, nõ Dei gloriam quærere, & ſua blandiloquẽtia ſimplices animos decipere. A quibus eos uult caute attẽdere, ne ſuæ ſanctæ obedientiæ (cuius fama ubiq; iam uulgabatur) maculam inferant. Iterumq; poſitis ſalutationibus. Deo ſoli ſapienti, pro ſui reuelatione ſacramenti gratias agens, ita terminat egregiam iſtam, & tam uerborum quàm ſententiarum pondere magnificam Epiſtolam.

Finit Argumentum.

ELVCI-

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD ROMANOS BEATI PAVLI APOSTOLI.

TECA NAZ. ROMA

CAPVT PRIMVM.

PAulus in ſpiritus libertate Ieſu *Chriſto de-ſeruiens, nouo miraculo de cœlo, uocatus ad* Apoſtolatus *officium, deinde ſpirituſſan cti iuſsione ſingulariter electus, ad* Euange *lium dei prædicandum:quod licet nunc pri mum ſit manifeſtatum, multo tamen ante in ſcripturis prophetarũ fuerat repromiſſum:quod quidem* Euan *gelium de filio eius eſt, quem docet, & ex patris uoluntate præ dicat ſolum & uerum ſaluatorem hominum, qui ſecundum hu-manitatem, temporali natiuitate factus eſt ex progenie* Dauid: *de quo fuerat ab æterno prædeſtinatum, ut in tempore eſſet ſe-cundum carnem manens* Dei *filius, eiuſdem omnino cum patre uirtutis: quod per ſpiritum ſanctum huius admirandi operis ſo lũ authorẽ factum eſt, qui in idem ſuppoſitum perſonæ, utrãq; coniunxit naturam, diuinam pariter & humanam: ſicuti patuit ex eo, ꝙ à mortuis ſurrexit ipſe* Ieſus *Chriſtus dominus no-ſter, quæ reſurrectio ſine uirtute diuina per potentiam mere hu manam fieri nunquam potuiſſet,* Per *quem Chriſtum, à* Deo *ac cepimus gratiam remiſsionis peccatorum & ſpiritualium do-norum, atq; etiam* Apoſtolatus *officium, ut per meam prædi-cationem præſtetur obedientia fidei* Chriſtianæ, *ad gloriam no minis eius, in omnibus gentibus, de quorum numero etiam uos eſtis, à Chriſto* Ieſu *ad ſuã fidem uocati,* Ille *(inquam)* Paulus, *ſalutem dicit omnibus qui ſunt* Romæ *à* Deo *dilectis, uocatis ad ſanctitatem.* Hæc *eſt autem ſalutatio mea.* Gratia *uobis &*

pax, à Deo *patre, & domino noſtro* Ieſu *Chriſto.* Primum *qui*
dem gratias ago Deo *patri per Ieſum Chriſtum(per quem, ab*
eodem cuncta nobis bona proueniunt) pro omnibus uobis,
quòd fama fidei ueſtræ uniuerſum mundum pertranſijt, & in
plurimis locis de ueſtra fide fama bona ſpargitur. Deũ teſtor,
cui ſeruio ſpiritu in denunciatione Euangelij *filij eius, quòd in*
omnibus orationibus meis ueſtri memor ſim, aßiduè deprecãs,
ut placeat Deo, *uel tandem aliquando noſtrum iter ad uos diri*
gere. V*alde enim deſidero uidere uos, ob hanc cauſam potißi=*
mum, ut aliquam ſpiritualem gratiam, uel abundantius, uel fir=
mius, Deo *donante, quaſi ex meo aduentu, ſuſcipiatis.* Hoc *uo=*
lo, ut per meum ad uos aduentum pariter accipiamus conſola=
tionem, per fidem quã ad inuicem cõmunem habemus, uos ean
dem nobiſcum, & nos uicißim eandem uobiſcum. Magna *enim*
conſolatio foret utriſq;, ſi ex aduentu præceptoris, & Apoſto=
li ueſtri, & uos certi redderemini de fide ueſtra, & ego de ue=
ſtro, quẽ audiui, profectu. Et *omnino hoc uos ſcire cupio, quo=*
niam per me non ſtetit, quòd hactenus ad uos non uenerim. Cũ
enim ſæpius propoſuerim, neſcio tamen quomodo uarijs occu=
pationibus, & eccleſiarum ſolicitudinibus(quibus ob ſuam im
perfectionem adhuc noſtra præſentia opus eſt)detẽtus atq; im=
peditus, uſq; modo non potuerim propoſitum perficere. Ideo
(inquam)propoſui uenire ad uos, ut aliquem fructum & utili
tatem ſpiritualem cõferrem uobis, ſicut & cæteris gentibus nõ
parum contuli. Neceßitas *enim mihi incumbit, ut quantũ in me*
eſt, ad ſalutem perducam uniuerſos. Nam Græcis *ac barbaris,*
ſapientibus & inſipientibus, deniq; uniuerſis citra delectum
*debitor ſum:*Ita *ut promptus ſim (quantum ex me eſt) etiã uo*
bis Romanis Euangelium *prædicare.* An *putatis, ob erubeſcen*
tiam non audere me Euangelium *Chriſti in* Romam *adferre,*

atq; ideo hic malle deliteſcere? Nequaquam erubeſco Euange-*lium, quandoquidem ipſum eſt uirtus* Dei, *quod ſolum poteſt ſaluos facere ſine diſcretione omnes credentes:* Et habent quidē *in* Euangelij *gratia primas partes* Iudæi, *quibus à diebus antiquis peculiariter promiſſa eſt.* Nihilominus tamen etiam genti*les, ſi uelint credere, per ipſum ſalui fient.* Nam *in eo & per ipſum* Euangelium, *uera iuſtitia coràm* Deo, *quæ eſt ex fide, manifeſte cunctis proponitur, in fidem, hoc eſt, ut credant* Euange*lio homines, & ex fide deinceps quærant iuſtificari:* Iuxta *ſcripturam, quæ dicit,* Iuſtum *ex fide* Dei *iuſtificari, atq; uitam animæ habere.* Docetur *enim & prædicatur in eodem* Euangelio *ira magna* Dei *& uindicta grauis, quæ ſuo tempore de cœlo adueniente iuſto iudice, ueniet ad puniendum omnem impietatem, qua contra* Deum, *& omnem iniuſtitiam, quâ cōtra proximos peccauerunt homines infideles & maligni, qui ueritatē à* Deo *ſibi reuelatam iniuſte occupant, male uiuendo.* Dico *ueritatem illos detinere. quoniam quātum ſatis fuit noſſe de* Deo, *habuerūt in ſua cognitione manifeſtum: quoniam* Deus *ex creaturis, per uirtutē naturalis luminis quod eis tribuit, neceſſariorum eis cognitionem dedit ſufficientem.* Attributa *enim* Deo, *quæ ſenſu percipi non poſſunt, à creatione mūdialis machinæ, per ea quæ in ipſis ſunt opera, quaſi per gradus quoſdam intellectu apprehēſa, utcunq; cōſpici & cognoſci ualēt.* Ipſa *quoq; uirtus ſempiterna, per quam omnipotentia* Dei *creauit omnia: & ipſa ſempiterna diuina bonitas, in qua per uirtutem ſuā* Dei *potentia creata omnia diſponit, gubernat, & perficit:* Ita *ut ſe per ignorantiam excuſare non poßint.* Quoniam *cum cognouiſſent ex naturali lumine, &* Dei *beneficio, unum eſſe uerum* Deum, *non dederunt illi tamen diuinum honorem & gloriam, neq; gratos ſe præ iterunt pro accepta ſapientia, ſed in*

cogitationibus ſuis uani facti ſunt, nullum bonum fructum fa-cientes, de eo multa perquirere atq; diſſerere uolentes, nihil ue-ro iuxta agnita ſtudentes operari. Atq; *ita mens eorum & uo-luntas, propter inſipientiam malæ conuerſationis, ſunt obtene-bratæ.* Cumq; *ſe ſapientes iactitent, talesq; haberi uelint, eo ip-ſo ſtultos ſe faciunt, & demonſtrant, dum illud haberi nolunt, à quo longiſsime abſunt.* Et *gloriam incorruptibili* Deo *debi-tam, tranſtulerunt in imaginariam ſimilitudinem hominis cor-ruptibilis, aut uolucrum, aut quadrupedum, aut ſerpētum, pro deo uero & immortali colentes imagines mortalium hominū, aut irrationales beſtias.* Propter *quod, iuſto ſuo iudicio permi-ſit illos* Deus *pertrahi à concupiſcentijs praui affectus ſui, ad fœdiſsimam immundiciam, ita ut ſua corpora inauditis contu-melijs afficerent in ſuam ignominiam.* Idq; *(ut iam dixi) quia pro uero* Deo, *falſos* Deos *(qui nō ſunt niſi figmenta hominū) coluerunt, ſeruientes creaturæ, prætermiſſo creatore, in igno-miniam eius, qui eſt ſolus* Deus *uerus, & uere colendus, in ſæ-cula benedictus,* Amen. Hac, *inquam, de cauſa, in huius uindi-ctam ingratitudinis, iuſto iudicio ſuo permiſit illos* Deus *rue-re in paſsiones, ignominia, & confuſione plenas.* Nam *fœ-minæ uirorum uſum naturalem relinquentes, abuſæ ſunt ſe in-uicem contra naturæ inſtituta.* Sic *& maſculi, fœminarum uſu, qui ſecundum naturam eſt, relicto, peruerſæ libidinis æſtu, in ſe inuicem, reclamāte naturæ honeſtate, ſunt bacchati, turpiſsima fœditate ſe inuicem perfundentes, & ſuæ idololatriæ condignā mercedē, ſic maculati, in ſeſe recipientes.* Et *ſicut agnitus* Deus *non eis complacuit, ut eum fideli deuotione, & conuerſatione digna glorificarent: ita uiciſsim reppulit & illos* Deus, *permi-ſitq; in ſenſum peruerſum ruere, unde eruendi non erant, ut fa-cerent ea quæ nequaquam conueniunt.* Ipſos, *inquam, macula-*

tos omni iniquitate, peruerſa malitia, fornicatione, auaritia, libidinoſa & laſciua nequitia: plenos inuidia, homicidio, contentionibus, dolis, moroſa malignitate: aduerſum maiores in occulto ſuſurrones, poſt tergum in abſentia proximis detrahentes, odibiles Deo*, ad infrendas contumelias & probra paratos, ſupra ſe de ſe ſentientes, alios præire contendentes, & ad magna aſpirantes, diligentes in adinuentione malorum, ſuperioribus inobedientes, in quibus eſt nihil ueræ ſapientiæ, nihil ordinis aut rectæ cōpoſitionis, qui neq; naturali affectione cōmouentur ad pietatem, fœdera & pacta ſeruare non curant, compati nec ſibi, nec alijs neſciunt.* De *his ego dico, quod cum* Deū *ex data ſibi cognitione iuſtum cognoſcerent: noluerunt tamen intelligere, nec cordi illud imprimere, peccatis mentem obſcurantibus, & uoluntatem à recto abſtrahentibus, quod qui talia agunt nefanda facinora, digni ſunt æternæ mortis pœnæ.* Non *ſolum qui ea faciunt per ſemetipſos, ſed etiā qui alios permittunt hæc agere, quos deberent & poſſent ab eiuſmodi cohibere: ne forte immunes ſe putent gētiliū principes & ſapiētes, qui cognoſcentes ueritatem* Dei*, populū in idololatria ſua irreprehenſum dimiſerunt, quem ad ueritatem inſtruere debuiſſent. Sic igitur patet nullam excuſationem relictam gentibus, quin illi ſubiaceant iræ, quæ in* Euangelio *manifeſtata eſt, de cœlo uentura ſuper omnes impios.*

CAPVT SECVNDVM.

E*andem ob cauſam, certiſſimus expecta hanc* Dei *iram atq; prædictam damnationem, quiſquis præſumis alium iudicare in eo quod ipſe agis: quemadmodum uobis contingit, qui odioſis cōtentionibus inuicem iudicatis,* Iudæi Gentiles*, &* Gentiles Iu*dæos: cum ſitis omnes peccatis inuoluti.* Hoc *ipſo enim quòd alium iudicas & morte dignum pronuncias, ueritatem noſſe te*

demonſtras: itaq; teipſum condemnas, & ſententiam damnationis contra teipſum profers: cũ illud ipſum tu agas, quod in alio condemnas. Hoc *autem firmiſsimum habemus (iuxta quod reuelatum prædiximus) iudicium* Dei *uenturum, abſq; diſcretione contra omnes talia mala agentes.* Forte *autem perſuades tibi impunitatem, propterea quòd expectat* Deus, *& uindictã differt iræ ſuæ.* Noli *errare.* Num *enim ideo ſperas in finem effugere tu qui alios iudicas in eo quod agis, quia nũc* Deus *diſsimulat?* Quare *copioſam* Dei *benignitatem, per quam tibi parcit: & lõganimitatem, per quam te expectat: & tolerantiã, per quam te ſuſtinet, ſic contẽnis: abutens eis in malitiæ tuæ augmẽtum?* Nunquid *non aduertis, his modis* Deũ *te allicere, & quodãmodo inuitare ad pœnitentiam?* Tu *uero ecõtrario, propter durũ & impœnitẽs cor tuum (quod te facit dona* Dei *nõ attendere, & beneficijs non emolliri) cuncta nunc in meritum data expendis, in damnationem tibi comparandam, coaceruandam, & coemendam quæ patebit ſuper te in die illa, quando iratus reuelabitur iuſtus iudex, qui mercedem dabit unicuiq; ſecundũ opera ſua: ijs quidem qui in perſeuerantia bonorum operum quæſierunt uitam æternam, redditurus eſt gloriam, honorem, et incorruptibilitatem æternitatis: ijs autem qui cõtentionibus deſeruiunt, ſimplicitati fidei reſiſtentes, qui nolunt ſimpliciter ſimplici ueritati euangelicæ credere, ſed magis erroris impietatibus acquieſcunt, his, inquam, ueniet ultio diuina, & intolerabilis atq; ĩplacabilis furor domini, atq; inde afflictio tribulationis, & anguſtia cordis: nõ in corpus tantum (quod pro minimo foret) ſed, quod grauius eſt, in omnem animam hominis cuiuslibet, qui fuerit in hac uita malis operibus coinquinatus.* Sub *qua ira & uindicta primas partes habent increduli & mali iudæi, ſi iuxta acceptam legis gratiam non uixerint.* Nibilo-

minus tamen & gentiles, ſi male fuerint operati, eidem erunt damnationi, ſine excuſatione, obnoxij. Gloria autẽ, *& honor, & æterna pax, & omni qui bene fuerit operatus: primum qui dem Iudæo, ſimul & Græco.* Non *enim reſpicit* Deus *perſonã hominis, ut ex perſonæ reſpectu, ſine operum examinatione, hunc iudicet, illum ſaluet: ſed qui ſine lege ſcripta peccauerunt gentiles, ſine ſcripta etiam lege, propter ſolam naturalis dictaminis tranſgreßionem, condemnabuntur.* Et *qui ſcriptam legẽ acceperunt Iudæi, per eandem condemnabuntur, ſi eam fuerint tranſgreßi.* Non *enim apud* Deum *ſatis eſt ad ſalutem, legem accepiſſe, neq; legis auditores ex ſolo auditu iuſtificantur: ſed qui legem acceptam impleuerint opere, hi euadent condemnationis iudicium.* De *gentibus autem, quomodo & quare iudicabuntur, ita declaramus.* Nam *cum gentes ſcriptam legem nõ habentes, naturali mentis lumine illuſtrati, ea faciũt bona opera, quæ moralis lex præcipit, ipſis ſua mens lex quædã eſt: in qua legis opera ſcripta ſe habere demonſtrant, dum illis teſtificatur rationis dictamen (quod eſt conſcientia) quid agendũ, quid omittendum, quemadmodum lex uetus iſta ſcripto indicat, qđ & cogitationes, quas hinc defendentes bonas, illinc accuſantes malas in ſe habent, aperte declarant: quæ & nunc quidem, coram conſiſtorio rationalis iudicij agunt, & reuelabuntur apertius, fientq; palàm, ante conſiſtorium diuinitatis, in die illa cum iudicabit* Deus *culta cordium, per* Ieſum Chriſtum *ſecundum* Euangelium *quod prædico.* Nunc *igitur audi* Iudæe, *ut comprimatur & tua elatio.* Donemus *tibi ut* Iudæus *cognomineris, places tibi in lege, gloriaris in* Deo, *à quo legẽ accepiſti, per quam & noſti uoluntatem eius, & utiliora præ gentibus potes probare.* Confidis *quoq; te lege inſtructum ducere cæcos, et in tenebris exiſtentes illuminare poſſe, erudire inſipientes, infan-*

tes ac rudes docere, eo quod habeas legem ut formã ueræ ſcientiæ & certæ ueritatis, donemus, inquam, hæc tibi. Qui igitur doces alium, cur teipſum non doces? qui prædicas non furandum, cur ipſe furaris? qui clamas non mœchandum, cur ipſe mœcharis? qui idola abominaris immunda, cur ſacra polluis, legem præuaricando? quod certe æquale peccatum eſt. Qui in lege gloriaris, cur præuaricando legem Deum *blaſphemas? Ecce enim gentes ueſtram malam conuerſationem uidentes, uos inducitis in* Dei *blaſphemiam, atq; ita per occaſionem ueſtræ conuerſationis malæ, nomen* Dei *ueſtri etiam inter gentiles blaſphematur, ſicut per increpationem olim ſancti* Prophetæ *ſcripſerunt patribus ueſtris. Quid autem uultis in circunciſione gloriari præ gentibus, dum legem transgredimini?* Fateor *quidem circunſionem profuiſſe ſuo tẽpore, legem obſeruanti.* At *ſi legem negligis, nihil tibi amplius circunciſio, quàm præputium proderit, & eris propter legis præuaricationẽ, æque atq; præputiatus, damnationi obnoxius. Quin & præputiatus, ſi iuſtitias legis cuſtodierit, tanquam circunciſus reputabitur.* Et *ſtabit in iudicium præputia[illegible]s qui legem impleuit, aduerſum te, qui literæ inhærens tantum & carnis circunciſioni, legem tranſgreſſus es, minima obſeruans, et præcipua omittẽs, cæremonialia implens, & moralia tranſgrediens.* Non enim *qui coràm hominibus* Iudæus *eſt, hunc* Deus Iudæum *uerum ſpiritualiter reputabit, neq; circunciſionem carnis exteriorem:* Deus *circunciſionem ueram reputat: ſed qui in abſcondito* Iudæus *eſt, hoc eſt, iuſtitias legis obſeruans, hic, inquam, coràm* Deo Iudæus *eſt: & uera eſt circunciſio cordis, quæ ſpiritu fit, non quæ carne: cuius laus non coràm hominibus (quia nunc latet) ſed coràm* Deo *eſt, qui intuetur abſcondita cordium.*

Quoniam uero uidemur circunciſum æquare incircunciſo, quærat forſitã ex Iud*æis quiſpiam. Si ita eſt, ut dixiſti, quid ergo habet* Iud*æus præ gentili, in quo antecellit eum, aut quam præſtat utilitatẽ circunciſio, quam præputiatus non habeat?* Videris enim *æquaſſe utroſq;.* Huic *quæſtioni ego reſpondeo, quòd in multis omnino* Iud*æorum præcellit conditio, ſiue corpus ſpectes, ſiue animum, ſiue temporalia promiſſa, ſiue ſpiritualia bona.* Verũ *inter cætera præcipuum eſt reputandum, quod illis diuina eloquia, hoc eſt, præcepta & promiſſa, ſint tradita in ſcripturis, per legem atq; prophetas.* Et *licet plurimi patrum non crediderint* Dei *eloquijs, putabimus hoc illis imputari qui recte crediderunt.* Certe *ſi ita credimus, fidelitatem* Dei *irritam facimus, eiuſq; fidei multum derogamus.* At *uero* Deus *uerax eſt, cum ſit omnis homo mendax, ac per ſe promptus ad mẽdacium & infidelitatem, niſi à* Deo *inſpiretur ad eloquendum & operandum ueritatem.* Et *tanto deus magis eſt uerax, quãto etiam infidelibus & mendacibus nobis, ſuam fidem ſeruat, ſicut ſcripſit* Dauid *loquens domino,* Munda *me à peccato meo, quo tibi ſoli peccaui, ut ſic tu iuſtus appareas in uerbis tuis, quibus miſericordiam promittis pœnitentibus.* Et *redarguantur confuſi qui te criminantur & iudicant, uel de nimia ſeueritate uel de infidelitate.* Ex *quo* Dauidis *uerbo, forte ſcrupulus uobis ſuboritur, quoniam ſi noſtra iniquitate* Dei *iuſtitia declaratur & confirmatur, ſicut prædiximus, conſequi uidetur, ut iniquus ſit* Deus, *qui pro peccatis noſtris, iram uelit inferre peccantibus.* Et *ſic certe loquuntur homines, ſecundum carnem ſapientes, ſed nequaquam ita res habet.* Non *enim poteſt eſſe iniquus, qui iudex eſt mundi.* Quòd *ſi ita eſſet, cum iuſtitia* Dei *in meo pecato plurimum abundanter præ omnibus fuerit glorificata, in eo quòd mei miſertus eſt, qui eram primus & maximus peccatorum,*

quare ſicut peccator olim, nunc meipſum iudico, cui ex tanto peccato uideretur maior præ cæteris deberi gloria? Et *cur non potius carni indulgentes mala faciamus, etiam plura et amplio=ra, ut bona inde proueniant, quoniam optimum eſt* Deum *iuſti ficari, & eius iuſtitiam ac miſericordiam commendari, quod nos quidam maleuoli affirmant docere, per calumniam ex uer=bis noſtris peruerſe intellectis nobis obijciētes. quòd doceamus facienda eſſe mala, propter glorificationem* Dei, *ſed damnatio=nem ſibi iſti conquirunt, dum noſtris uerbis ſic peruerſe intelle ctis, abutuntur ad noſtram infamiam, aut ad peccati libertatē. Sed miſſa hæc faciamus.* Q*uæramus ergo*: Cum*(ut modo dixi mus) multa per omnem modum utilitas ſit ex circunciſione, & multis ſint Iudæi beneficijs peculiariter affecti à* Deo: *an habēt ex hoc aliquid, in quo merito ſe debeant corā* Deo *præponere gentibus, ijsq; ſe anteferre, et contra eos gloriari?* Prorſus *nihil. Siquidem iam ante patentibus rationibus demonſtrauimus, tam* Iud*æos quàm gentiles omnes, peccato eſſe obnoxios.* Nam *de* Iud*æis, ſic quidem ſcribit proprius eorum* P*ſalmiſta:* Q*uia nō eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens, nō eſt requirens* Deum. Omnes *aberrauerunt, pariter inutiles facti ſunt, à legis imple=tione deficientes.* Non *eſt ex eis qui faciat bonum, non eſt nec unus quidem.* Ipſi *pleni ſpurcitia, et fœditatem exhalantes eius qua interius pleni ſunt malitiæ ut alios quoq; uorent, quodam=modo aperti ſunt, ad modum ſepulchrorum patentium, quæ & fœtorem exhalant, & ad uorandum aperta ſunt, dolos loquun=tur doctrinas plusquàm uenenoſas labijs retinentes: quorum os maledictis & amarulentia ſcatet, ira ut ad maledicendum ſint paratiſsimi, ſimiliter & prompti in ſanguinis effuſionem.* Con *teruntur miſeri hæc agentes, in uijs ſeculi, laſſantur ī uia iniqui tatis, ambulantes uias difficiles, uiamq; pacis ignorantes, neſciūt*

Deum conſtituere præ oculis. Nolo autem hæc à uobis Iudæis, *in gentes torqueri. Scio enim & dico, quicquid hoc in Pſalmo ſcriptum eſt, de uobis Iudæis ſcriptum eſſe, ut hac ſcriptura etiā ueſtra comprimatur iactantia, ſicuti & gentium initio epiſtolæ gloriam compreſſimus, atq; ita demum omne os obſtruatur: ne glorietur quiſquam quaſi ſine peccato apud* Deum, *& ut oēs per humilitatem confeſſionis ſubditi fiant* Deo, *ab eo petentes iuſtificationem, et peccatorum remiſſionem, quoniam ex operibus legis fruſtra quæritur iuſtificatio, quam conferre lex ſuis obſeruatoribus nō poteſt.* Per *legem enim tantum demonſtrantur peccata, & in cognitionem peccati, ipſa hominem inſtruit, ſed auxilium gratiæ ad ipſa euitanda non præbet, nec ſacramenta ad expiationem ſufficentia habet.* Nunc *uero hoc nouæ legis tempore, manifeſtata eſt nobis & prædicata uera iuſtitia, de qua olim à diebus antiquis prædixerunt et teſtificati ſunt lex atq; prophetæ.* Hæc *eſt autem iuſtitia* Dei: Credere *in* Ieſum *Chriſtum, communiter propoſita omnibus de cœlo, quibus placuerit credere in eum, citra omnem perſonæ diſcretionē.* Quoniam *quidem omnes peccauerunt, & neceſſe habent omnes, ut in ipſis glorificetur deus: nempe hoc pacto, ut non ex noſtrorū operum merito, ſed per meram gratiam* Dei *iuſtificemur à peccatis noſtris, per redemptionem quam gratis ex amore Chriſtus* Ieſus *operatus eſt: quem* Deus *pater in palàm dedit, & in commune propoſuit omnibus, ad repropitiandum & expiandum peccata omnium, qui per fidem in eum uellent credere: ad repropitiādum, inquam, per uim atq; efficaciam ſanguinis ſui, quem in cruce pro nobis effudit, ut oſtenderet nobis pater ſeueritatem iuſtitiæ ſuæ, qui etiā proprio filio ſuo nō pepercit, ſed in mortem pro peccatis noſtris tradidit expiandis.* Hoc *autem propitiatore opus erat ut dimitterentur nobis peccata quæ ab*

initio præceſſerunt, Deo *longanimiter tolerante, uſq; in hoc tempus, quando iuſtitiam fidei quæ coràm eo uera iuſtitia eſt, decreuit manifeſtare, ut appareat ipſe iuſtus, iuſtificando omnes qui credunt in* Ieſum Chriſtum. Nunc *uides* Iudæe *omnem tibi gloriationem aduerſus incircunciſos ſublatam non quidem legem ueterem, quæ eſt lex operum, in eos ſuperextendendo, ſed legem fidei eis cõmunicando. Stat enim fixa ſententia, poſſe hominem iuſtificari ex fide* Chriſti, *ſine operibus legis*. Non *enim eſt* Iudæorum Deus *tantum, ſed & gentium: itaq; curæ eſt illi, etiam de gentibus, ſicuti & de uobis: unuſq; eſt* Deus, *qui & circunciſos uos, & illos præputiatos, eadem ex fide iuſtificat*. Ne *ergo dixeritis nos legem ſubuertere, immo uero dicite nos legem perficere atq; firmare, quoniam in meliorem ſtatum eam adducimus, in quo & communior ſit pluribus, & ſemper ſtabilis.*

CAPVT QVARTVM.

O*bijcietis mihi: ſi ita uilipenditur circunciſio, dicaturq; nihil eius obſeruatio ad iuſtitiam facere: quid ergo, tantum pro magno dono eam accepit* Abraham *pater noſter ſecundum carnem à* Deo? *Reſpondebo paulo poſt, ſi ante probauero, non iuſtificatũ* Abraham *eſſe, nec ex circunciſione, nec ex ullis legis operibus*. Nemo *enim quærens ex ſuorum operum rigoroſo debito iuſtificari, gloriam habet coràm* Deo. Igitur *ſi* Abraham *ex operum ſuorum condigno debito tantum, iuſtificatus dicatur, conſequitur, ipſum non habere gloriam apud* Deum: *Sed uide, quia repugnat ſcriptura, dicens: inde* Abraham *coràm* Deo *iuſtum reputatum, quòd crediderit ei*. Credidit, *inquit*, Abraham Deo, *& reputatum eſt illi ad iuſtitiam*. Dum *autem fidem ad iuſtitiam reputatam dicit: gratiã ſignat, debitum excludit*. Nam *homini operario, ex operum condignitate, ac rigore debiti,*

mercedem quærenti, quæ datur merces non quaſi gratuita dicenda eſt, ſed ſecundum debitum ſolui: Qui uero ex operibus mercedem quaſi debitam non ſpectat, credit autem in eum qui iuſtificat impium, non auare quaſi mercenarius in mercedem intendens tantum, ſed quicquid operatur boni Deo *liberaliter & fideliter committens, per hanc ſuam fidem iuſtus ille coràm* Deo *habetur, ſecundum benignam dei acceptationem non ſecundum operationis bonæ condignitatem: quod &* Dauid *teſtatur, dum illũ hominem deſcribit beatũ, quem* Deus *gratuito iuſtum habet, non quaſi ex operum debito, perinde ac ſi ſatiſfeciſſet ad ſuam iuſtificationem.* Beati, inquit, *hoc eſt, iuſti, quorum ſunt iniquitates remiſſæ, & quorum peccata ultra* Deus *non uidet, nec recordatur. Ille uir beatus eſt, & iuſtus, cui non imputat ſiue aſcribit* Dominus *peccatum.* Ecce *abſolutam deſcribens iuſtitiam, nullius facit operis mentionem, totam eam apud* Deum *in peccatorum remiſſione conſtituens, quæ ſecundum* Dei *beneplacitum acquiritur, & non ſecundum debitum uel condignum meritum. Cui enim uult* Deus, *peccata dimittit, & nulli in hoc debitor eſſe poteſt.* De *hac ergo iuſtitiæ beatitudine uos interrogo, an inter* Iudæos *tantum inueniatur, ſolis circunciſis peculiariter conueniens, an potius etiam gentibus cõmunis eſſe poteſt incircunciſis?* Huius *àutem ſecundæ partis ueritas clara eſt, ex eo quòd dicit ſcriptura:* Abrahæ *ſuam fidẽ reputatam à* Deo *ad iuſtitiam. Sed quãdo hoc de* Abraham *dicitur? an pro eo tempore quo iam erat circunciſus, an pro eo, quo ad huc erat incircunciſus?* Indubie *antequàm circunciſus eſſet, id de eo ſcriptum legitur.* Nondũ *enim tunc temporis circunciſus erat.* Nunc *audite, cur ſit data* Abrahæ *circunciſio.* Accepit *ille, ante per fidem iuſtificatus, ſignum, quod eſt circunciſio, ut eſſet ei in ſigillum confirmatiuum, teſtificans iuſti-*

tiam fidei quam in præputio habuit. ut hac nota primus inſi=gnitus, pater reputaretur cunctorum poſt credentium, etiam in præputio, & ut illis ſua fides in iuſtitiam reputetur: ut & pa ter haberetur uere & ſpiritualiter circunciſorum: non ijs tan=tum qui carne ſunt circunciſi, ſed ſequacibus eius fidei, qui illã inſequuntur fidei rectitudinẽ quam præputiatus adhuc habuit, ſiue circunciſi fuerunt ſiue præputiati. Et reuera *promiſſionẽ factam ſibi & ſemini ſuo poſt ſe (ut hæreditate acciperet & poßideret terrã promißionis, dicente* Domino: *Tibi & ſemini tuo dabo terram hanc, non accepit ex legis obſeruatione, ſed per iuſtitiam fidei ſuæ: Sic enim obſeruatores legis hac uia hæ=redes ſunt inſtituti, tollitur meritum fidei patris* Abrahæ, *per quam, non per legem, illam repromißionem accipere meruit à domino, neq; impletur* Abrahæ *facta promißio, quæ in om=nes gentes reſpicit, ſi ex ſola legis obſeruatione acquiritur.* Nã *lex ſecundum occaſionẽ aliquam, magis iræ obnoxios reddit, impedimentumq; præſtat conſequendæ promißionis, quã ad eã cõſequendã præbeat adiumẽtum.* De *plurimis enim lex ſtatuit, aut præcipiens, aut in quibus nulla eſſet præuaricatio, ſi non eſſet lex.* Rectius *ergo fides mediũ ſit conſequendæ promißio=nis, ut gratuita ſit & firma omni ſemini, non ſolum, ſed etiam ſpiritus, id eſt, non* Iudæo *tantum legis obſeruatori, ſed et gen=tili, fidem tantũ ſequenti* Abrahæ, *qui per fidem pater eſt ſine diſtinctione omnium credentium, ſicut ſcriptum eſt:* Non *uoca beris ultra* Abram, *ſed* Abraham, *quia patrẽ multarum gentiũ conſtitui te: patrem utiq;, non apud homines, ſecundũ quorum iudicium ſolum carnalium* Iudæorum *pater haberis, ſed coràm* Deo *apud quem credendo hoc promeruiſti.* Qui Deus *poteſt eos qui nunc in infidelitate mortui iacent, ad uitam fidei redu=cere, & qui propter infidelitatem ante* Deum *quaſi nihil ſunt,*

poteſt ſua uocatione, ut fideles ſint, eiq; obediant, per fidem effi cere. Abrahæ autem meritum ex fide hoc eſt, quoniam per fi= dem, confidenter in Dño ſperans, credidit, quod contra naturã impoßibile, ac proinde nec ſperandum uidebatur: ut hac fide mereretur fieri & nominari (aucto nomine ſuo Abraham) pa ter multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: Sic erit poſteritas tua in multitudine, ſicut ſtellæ cœli, & arena maris. Et quanquam promittente ſibi Domino de filio Iſaac, eſſet e mortuo iam corpore, nec ut prius erat, adeo ad generationem ualido, Sara quoq; haberet uuluam emortuam, minime tamen hæc conſiderans in fide uacillauit: In repromißione, quoq; quam de ſuæ poſteriatis multiplicatione et potentia acceperat, nihil hæſitauit, ulla ratione diuinis promißis diffidens: ſed in ſuæ fidei ſimplicitate confirmatus eſt, dans gloriam Deo, cre= dendo ſermonibus eius: certißimo ſciens potentẽ eſſe Dominũ ad implendum quæcunq; promiſerat, quantumcunq; ſibi ſecun dum naturæ curſum uiderentur impoßibilia: Ideoq; iuſtus ha= bitus eſt ante Deum. Non eſt autem ſcriptum hoc de eius iuſti= tia ex fide, propter ipſum tantum, ſed & propter nos poſteros eius, ad exemplum informationem, & conſolationem: quibus, ſicut & illi, reputabitur fides ad iuſtitiam, ſi crediderimus in patrem, qui reſuſcitauit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis ad uitam, qui diuina diſpenſatione et permißione, pro pter omnium noſtrum delicta exhaurienda, traditus eſt in ma= nus peccatorum, ad mortem: reſurrexit uero propria uirtute mortem relinquens, & ad uitam rediens, propter nos iuſtifi= candos. Nihil enim profuiſſet nobis, Chriſtum moriendo pro noſtris peccatis ſatisfacere, niſi et reſurgens ſpiritum fidei no= bis dediſſet, in qua eſt noſtra iuſtificatio.

CAPVT QVINTVM.

Iuſti igitur facti ex fide, curemus habere pacem, omnibus diſſenſio nibus eliminatis, ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chri ſtum, quo mediante acceſſus nobis datus eſt credentibus, in hãc gratiam Dei (quæ eſt adoptio filiorum Dei) ad quã uocati ſumus, in qua uiriliter perſtamus, gloriantes in ſpe & expectatio ne eius gloriæ, quæ danda eſt filijs Dei. Non autem in ea tantũ, ſed eius gratia ĩ tribulationibus etiã gloriamur, quòd ſciamus, per tribulationes patientiam exerceri, patientiam autem proba tos reddere, demum ex probatione ſpem tutam ſurgere. Quæ autem ſic probata eſt ſpes, fieri nequit ut ſperantes ſallat. Ecce enim pignus iam tenemus, eius quam expectamus gloriæ Dei, charitatem quam Deus pater abundanter effudit in corda no ſtra per ſpiritum ſanctum nobis dono datum. Certe quid opus fuerat, Chriſtum pro impijs, qui iuxta temporis rationem adhuc peccatores erant, uel ad tempus mori, ſi non per eius mortem nos uellet pater uitam conſequi? Nam inter homines, tantã uix reperias charitatẽ, ut uelit quis pro iuſto mori. Dico uix reperiri. Nã forſitan poſſit inueniri, qui pro bono uiro audeat mortem ſubire. Deus uero ſuã erga nos charitatem, magnifice cõmendatam nobis & confirmatam fecit, in eo quod ipſe pro iniuſtis ſecundum tẽpus (quia nondum ablata erant peccata mũdi) ad tẽpus mori dignatus eſt. Et ſi ita eſt, ĩmo quia ita eſt, multo magis ergo nunc in hoc tẽpore pacis & gratiæ, in quo à peccatis noſtris per effuſionẽ pretioſi ſanguinis eius, ſumus emundati, liberi erimus ab ira Dei ſuper incredulos uentura, p Chriſtum. Nã ſi tunc cũ adhuc inimici eſſemus, nõdum peracta ſatiſfactione pro peccatis noſtris, miſſo ad mortẽ filio pater nos ſibi reconciliauerit, igitur nunc multo magis, poſtquã reconciliati ſumus Deo per ſanguinem Chriſti, peccatis noſtris expiatis,

à dãnationis ira ſalui ac liberi erimus, per eundem iam morte deuicta, æternaliter uiuentẽ. Neq; *uero id expectamus tantum, ſed etiam nunc in iſto peregrinationis tempore, magnifice gloriamur in* Deo, *per Chriſtum dominũ noſtrũ, per quẽ nobis tãta promiſſa ſunt, et per quẽ* Deo *recõciliati ſumus.* Propterea, *ſicut per unũ hominẽ* Adam *protoparentẽ, potuit peccatũ in totũ hunc mundũ introire, & cum peccato mors atq; ira mors ſimul cũ peccato in omnes poſteros pertranſeundo per propagationem deuenire: per unũ, inquam,* Adam, *in cuius lũbis omnes poſteri origınalis peccati macula ſunt maculati: ſic indubie per unũ hominẽ, poterit & iuſtificatio, & uita, in omnes homines diffundi.* Nec *enim eſt arbitrandum, peccatum hoc ſimul cum lege intraſſe in mundũ.* Nã *ab initio præuaricationis, uſq; ad legẽ, iam regnauerat peccatum hoc in mundo.* Non *autem imputabatur, donec ueniet lex ipſum manifeſtans.* Immo *uero regnauit mors ab* Adam *uſq; ad* Moyſi *legem, etiam in eos qui nullo ſuo proprio actionis crimine præuaricati fuiſſent, ſicut* Adã *actuali inobedientiæ peccato, legis diuinæ præuaricator extitit: qui* Adam *uetus typus & forma quædam eſt noui* Adæ *ſequentis, ideſt,* Chriſti: *quatenus hic omnibus author erit uitæ: ut ille mortem propagauit in omnes.* Gratias *autem* Deo, *quòd præſtantius eſt donum grãtiæ nobis per* Chriſtum *collatum ad ſaluãdum, q̃* Adæ *delictum ad perdendũ fuerit. Si enim unius* Adæ *delictum tam potens fuit, ut multis (ideſt omnibus poſteris) mortis obligationem induceret: multo magis gratia nos* Deo *gratificans, & donum iuſtificationis, de plenitudine gratiæ unius hominis* Ieſu Chriſti *gratis acceptum, abundanter deriuatum eſt in multos, nem e in omnes qui in eũ credere uoluerint.* Et *non ſicut per unum peccatum* Adæ, *in uno tantum rei efficimur, non, inquam, ita donum gratiæ* Dei, *ab uno tan-*

tum peccato iuſtificat. Nam mortis iudicium, ex uno peccato originis ab Adam deducto, in condemnationem omnium proceſsit: gratia autem, non ex uno tantum illo delicto originali, ſed ex multis ſuperiectis, quæ ſibi quiſq; auxit, in iuſtificationẽ omnimodam procedit, liberans tam ab actuali quàm ab originali peccato. Rurſum, ſi per unum delictum unius hominis potuit regnare mors: multo magis per unum Ieſum Chriſtum, uerum uitæ authorem, regnabunt in uita, & uita regnabit in eis, qui nunc accipiunt abundantiã gratiæ & dominationis, ad ſuã iuſtificationem, de eius plenitudine, poſt emendationem à peccato. Igitur concludimus, quòd ſicut per unius delictum ad cõdemnationem mortis, in omnes homines uentũ eſt ſic: & per unius pleniſſimã iuſtitiam omnibus hominibus qui quæſierint illam, uenit iuſtificatio uitæ. Nec miranda eſt horum effectuũ tanta diuerſitas: quia ſicut ille per ſuam inobediẽtiam (eo quòd pater eſſet omniũ primus) omnes nos fecit peccato obnoxios: ita per unius Chriſti perfectam obedientiam, (qui eſt caput & principium omnium credentium) multi iuſti redditi ſunt, ideſt omnes credentes in eum. Sed hic quid de lege dicemus? An non potuit lex auferre hoc peccatum à mundo? Non profecto. Lex enim ad tempus introducta, & impoſita fuit populo imperfecto: per cuius aduentum, uitio non obſeruantium factum eſt, ut grauiora, & plura fierent ab eis peccata, dum multa præcipiuntur atq; prohibentur quæ ſine lege peccata non eſſent dũq; malum demonſtrando per occaſionem auget tentationem, & auxilium gratiæ non præbet. Sed nihil hoc nunc oberit credentibus: quoniam ubi abundauit delictum, abundantius ſupercreſcet & gratia: ita ut ſicut peccatum regnauit ad mortẽ, ſic gratia Dei nunc in fideliũ cordibus dominetur, & regnet p iuſtitiã fidei bonæ operationis, in uitam æternam, per Ieſum Chriſtum

dn̄m noſtrum,per quē nobis bona omnia prouenire fatemur.

CAPVT SEXTVM.

Quanquam autem ſupradiximus, noſtra iniuſtitia diuinam iuſtitiā commendari: Rurſum, ubi abundauit iniquitas, ſuperabundare & gratiam, nemo tamē ex his exiſtimet conſequenter nos uelle dicere, quòd bonum ſit in peccatis permanere, ut maior abundet gratia, & magis commendetur Dei *iuſtitia, noſtra ſuperexcreſcente iniuſtitia.* Nos *enim, qui ſemel peccato prorſus abrenunciantes, in conuerſione & baptiſmo, eidem mortui ſumus: nequaquam licet adhuc in illo uiuere, quod ſemel deteſtatione ſempiterna, quantum in nobis eſſet, abiurauimus. Scire etenim uos oportet, fratres mei, omnem eum qui fide ſuſcepta baptizatur in nomine* Ieſu *Chriſti (baptiſmate nouæ gratiæ, quo ipſe diſcipulis baptizare præcepit) baptizari ad configurationem mortis eius, ex qua baptiſmus ſuæ emundationis habet uirtutem.* Per *baptiſmum nanq; per configurationem quandam, cum illo ſepulti ſumus, quaſi mundo penitus mortui, & à mundi concupiſcentijs abſconditi, cum Chriſto, in morte eius: non quidem ut ab omni opere de cætero torpentes ceſſemus, quemadmodum nec Chriſtus in ſepulchro permanſit, ſed ut in opera nouæ uitæ, & per uirtutem gratiæ* Dei *reſurgamus, quomodo Chriſtus à mortuis poſt paululum ſurrexit, per uirtutem inhabitantis in eo diuinitatis. Si enim modo in hac uita, Chriſto uelut pinguiſsimæ radici & fœcundiſsimæ arbori, nos tanquam plantulæ quædam, & ramuſculi coinſerti fuerimus, per aſsimilationem, & configurationem mortis eius: nihil dubium, quin ſuo quoque tempore, gloriæ reſurrectionis eius participes erimus.* Par*ticipes enim fiunt pinguedinis, quæ eſt in radice aut arbore, ramuſculi omnes, qui fuerint per inſitionem recte*

implantati. Illud diligenter attendentes, quòd uetuſtas omnis peccati & malæ conuerſationis, omniſq; priſtina iniquitas, ſimul cum Chriſto (qui ipſam aſſumpſit & portauit pro nobis) crucis patibulo affixa eſt: ideſt, per Chriſti mortem in cruce deleta atq; deſtructa, per debitam placationem & condignam ſatisfactionem, ante patrem: ut caro iſta peccatis ſubdita deſtrueretur, & ſibi moreretur, ſic ut amplius non ſit, neq; dicatur corpus peccati, ad hoc ſine dubio, ut de cætero imperpetuum non amplius peccato ſeruiamus, propter quod expiandum, Dei filium pati & mori oportuit. Qui enim uere cum Chriſto mortuus eſt, neceſſe eſt à peccato illum eſſe iuſtificatum, & econtrario. Neq; enim ſi adhuc peccato uiuit & mundo, cum Chriſto mortuus eſſe poteſt. Et licet graue forſitan uideatur, Chriſti morti configurari, & cum ipſo mori, non tamen nos fatiget moleſtia, quoniam firmiſsima fide tenemus, omnes qui nunc ſic cum Chriſto uitijs mori ſtudent, etiam in futura uita, ſimul uicturos cum illo. Scimus autem, quoniam Chriſtus ſemel deuicta morte reſurgens, ultra ad mortem non eſt rediturus, nec redire poteſt, mors ultra in illum non præualebit, nec illam (ut ſemel) tenebit iterum, uel ad momentum minimum. Nam quod Chriſtus ipſe mortuus fuit, id propter peccata generis humani ſemel ſuſtinere uoluit quod ad omnium ſeculorum expianda peccata ſufficit. Quod autem nunc ipſe reſuſcitatus tertia die, uiuit, Deo uiuit, id eſt, ex uirtute diuinitatis ſuæ, quæ etiam corpus & humanitatem poſt reſurrectionem ſic glorificauit, ut mori amplius non poſſit. Ad cuius configurationem in nobis exprimendam, oportet, ut nobis firmiter perſuadeamus in animo, ut diligenter ſeduloq; imprimamus cordibus noſtris, quod peccato uere mortui ſumus, ut ex illa perſuaſione poſt conuerſionem ab omni peccato ab-

borreamus: Deo *autem uiuentes, in Chriſto* Ieſu *domino noſtro, ut illius uidelicet opera modis omnibus operari ſtudeamus.* Ne *ergo permittatis, neq; ultra ratione ſinatis, ut dominetur in uobis quod ſemel abiuraſtis peccatum, regnum'ue obtineat in iſta ueſtra corrupta carne, ſic ut obedienter perficere ſtudeatis praua deſideria eius quæ ſuggerit. Similiter neq; mēbra corporis ueſtri ultra exhibeatis in miniſterium ſeruitutis peccati, & inſtrumenta ad male agendum, quemadmodū olim eis abuſi eſtis: ſed iam à conuerſione ueſtra, quaſi ex mortuis, in ſpiritu facti uiuentes: præſtate uos* Deo *paratos ī omne opus bonum, & membra uiresq; corporis ueſtri, inſtrumenta ad bene agendum, in ſeruitute* Dei, *ad gloriam eius.* Nam *poſt hac nulla prorſus ratione permittendum eſt in uobis regnum peccati, poſtquam peccatis eſtis mortui, & Chriſti ſacramentis ſanctificati. Sub gratia enim* Dei *iam eſtis, quam & in baptiſmo accepiſtis, quæ contra malum fortificat, & ad bonum præbet auxilium, nō amplius ſub firma & inualida lege.. Sed quid?* An *ideo peccabimus magis, quia ſub gratia ſumus, non ſub lege (quemadmodum putant) eo quòd nunc prompta ſit ſemper gratia* Dei, *quæ peccata remittit, quomodò ſub lege non erat?* Longe *uero abſit hoc à fidelium cordibus, ut occaſione gratiæ* Dei, *licentiores fiant ad peccandum.* Magis *autem illud apud nos perpendamus, quòd cui nos ſemel exhibemus ſeruos, addicimusq; & ſubijcimus ultronei ad obediēdum, illius ſerui, proculdubio, noſtra hac uoluntaria ſubiectione & traditione efficimur, illius, inquam, cuius ſic nos obedientiæ ſubijcimus. Si peccati, ad æternæ mortis præmia, quæ ex illius ſeruitute promerebimur: ſiue ſalutaris obedientiæ fidei, & mandatorū* Dei, *ad fructū iuſtitiæ, & ſanctificationis noſtræ, quē ex illa beata ſeruitute conſequemur.* Deo *autē gratias ago, de bona conuer-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſione ueſtra, quoniam cum fuiſſetis olim ſerui peccati, ipſo tamen uocante, ſanctæ obedientiæ Chriſtianæ, ex animo in ſynceritate cordis, abiuratis eroribus, uoſipſos ſubmiſiſtis, Ad eã doctrinæ formam & ſanctæ inſtitutionis modum, in quibus uos Apoſtoli inſtituerunt, à patrijs erroribus & uitijs priſtinis traductos. Poſtquam autem deſijſtis eſſe ſerui peccati, facti eſtis ſerui iuſtitiæ. Quod dico, uos iam fideles factos, ſeruos eſſe iuſtitiæ (cum uideatur hæc eſſe ſecundum ueritatem mera & ſola libertas, iuſtitiæ ſeruire) id ego humano more loquor, ꝓpter carnis infirmitatẽ, ob quã, nihil dubito, quin laborioſum adhuc uobis exiſtat, ſeruire iuſtitiæ. Neq; grãde aliquid, & qđ ſupra humanas uires exiſtat, à uobis exigitur: Sed pp carnis infirmitatẽ, parũ aliquid, quod humanũ ſit & rationabile, & factu nõ difficile. Nihil enim aliud exigitur à uobis, ꝙ ut ſicut ante cõuerſionẽ ueſtram exhibuiſtis corpora ueſtra ad perficiendum immunditiam & iniquitatem, ad iniquitatem perpetrandam: ita nunc exhibeatis eadem illa ueſtra corpora, ex bona animi deuotione, ad perficiendum opera iuſtitiæ in eis, quibus ſanctificari ualeatis, & ipſa quoque priſtinis uitijs emundari queant, dum iam ſacris actibus mancipãtur, quæ olim prophanis. Cũ enim ſeruiretis peccato liberi eratis iuſtitiæ, ideſt, ab ea uacui, eaq; priuati. Dicite uero mihi, quem fructum aut quid ueri commodi tunc potuiſtis habere in uitijs & peccatis ueſtris, de quibus nunc erubeſcitis, cum uobis ad memoriam reducuntur, & pro quibus modo apud Deum confundimini, & pœnitentiam agitis? proculdubio nullum. Immo inſuper finis illorum & exitus, ad quem deducunt, æternæ mortis damnatio eſt. At uero nunc poſt conuerſionem ueſtram, facti à peccati ſeruitute per gratiam Dei liberi, & ſerui facti Dei habetis fructum operum iuſtitiæ, ipſam ſanctificatio-

nem cordis & corporis ueſtri, fructum haud dubie pretioſum & optabilẽ, inſuper finalem retributionem, gloriam uitæ æternæ. Nam ſtipendium peccati actibus debitum & determinatũ, mortis æternæ damnatio eſt. Vita autẽ æterna, nõ quidẽ ex cõdigno debito reddenda eſt pro operum in ſe condignitate: ſed ex Dei gratia et dono, pro operibus iuſtitiæ, eam nihilominus indubie recipiemus, in Chriſto Ieſu domino noſtro, per quem & in quo, nobis ſunt noſtra omnia uere bona.

CAPVT SEPTIMVM.

Ad uos nunc ſermonem cõuerto Iudæi, qui legis habetis ſciẽtiam, uobis ea quæ ſunt legis proponens: ut ex collatione clarũ fiat, quod uolumus. Scitis enim quod lex quælibet, ſuper hominem dominium non habet, neq; ſibi habet ſubiectum, & obligatum, niſi donec ipſa uigorem habet, & in ſuo perſtat robore. Nam ſi antiquata fuerit, abrogata ac mortua, non ultra ſibi tenebit quenquam obligatum. Et quidem mulier quæ ſub uiri imperio per matrimonium eſt ſubiecta, donec uir eius uiuit: alligata eſt legi: Ita ut illum non poßit pro libito relinquere. Si autẽ mori ipſum contigerit, hoc ipſo abſoluta erit, à lege uiri: nec erit lex uel ius aliquod, quo prohibeatur alteri iungi. Atq; ita, donec uir uiuit, adultera erit, & reputabitur: ſi priori relicto uiro (ſub cuius lege tenebatur obligata) alteri ſe adiunxerit, ad actũ maritalem. Mortuo autem uiro, à lege & iure uiri liberata eſt: ut adultera nec ſit nec reputetur ſi alteri ſe per matrimoniũ iunxerit. Legẽ uiro comparamus, ſub qua hactenus uixiſtis in Iudaiſmo: uos autẽ lege ſubditos, cũ muliere cõferimus. Vos itaq; fratres, legi eſtis mortificati. Id eſt, per mortẽ legis ei ſubtracti, quoniã ipſa mortua eſt uobis, per corporis Chriſti mortẽ, quæ conſummauit legalia & uetera oĩa, quoniã finis legis eſt Chriſtus, in ſanguine ſuo nouam legem & omnia noua dedicans: ut

poſthac alterius adhæreatis nouæ legi, hoc eſt, Chriſti Ieſu, *qui à mortuis reſurrexit.* Sic, inquã, *illi adhæreatis, ut* bonis *actionibus de cætero uacantes, bonorũ operũ fructũ uobis accumuletis in* Deo, *& ad gloriã eius. Cũ enim nondũ ad ſpiritũ fidei traducti, adhuc in carnis cõcupiſcentia uiueremus, malæ inclinationes & impulſus praui, quæ ex, lege occaſionẽ non modicam ad ſæuiendum accipiebant, modo quodam regnabant, & efficaciter dominabantur in corpore noſtro, ſpiritum tenentes ſuppeditatũ & captiuũ, ut nos ad mortem & dãnationẽ inducerent.* Nunc *uero à ueteri lege illa mortis occaſionẽ dante & uiuificare impotente, ſub qua ut paruuli ſub pædagogo concluſi detinebamur, per gratiã* Euangelij *liberati ſumus, ſic ut nõ amplius in literali legis obſeruantia, ſed in ſpiritus libertate, per regenerationẽ noui facti:* Deo *ſeruiamus: qui nos ab illa ſeruitute & uetuſtate, ad hanc nouitatem & libertatẽ, uocare dignatus eſt.* Neque *uero, quod dico paßiones peccatorũ per legem eſſe, ſic accipi uelim, quaſi ſentiam ipſam legem eſſe peccatum aut malum.* Sed *peccatum aliquod, immo plura dico eſſe peccata, quæ nõ cognoſcerentur eſſe peccata, niſi per legem ea prohibentẽ, atque ita prohibendo indicantem.* Exempli *gratia, de actu concupiſcendi, quis unquam crediſſet internum ſolũ concupiſcentiæ motum ſine exteriori operatione eſſe peccatũ, niſi lex indicaſſet, prohibens non concupiſcere rẽ alienã, nedũ non furari exterius?* At *uero ipſe qui in nobis habitat peccati fomes (qui hic peccatum nominatur, eo quòd omnis peccati ſit origo quædam,)* Id eſt, *corrupta noſtra & peruerſa ſenſualitas, occaſionem accipiens ex mandato, quo innotuit concupiſcentiam eſſe peccatum, dum nititur ſemper in uetita, exardeſcit uehementius, ut operetur in nobis multiplicem concupiſcentiam, & omnis generis peccatum. Ante legem enim datan, pec*

catum quodãmodo mortuũ erat, ut minus cognitum, minúſque ualidum & efficax. Et quidem fuit tempus, quando ſine lege ſcripta uiuebant homines, ante uidelicet legis dationẽ: & tunc ſibi uiuere quodãmodo uidebantur, quando lege ſcripta nõ redarguebantur, nec onerati cogebantur. Per dationẽ autem legis reuixit ualentius q̃ ante, & apertius notiusq́;, quod ante debile & incognitũ latuerat: & nos morti facti ſumus amplius obnoxij, ex legis indicio, nobis peccata demonſtrante, & occaſionaliter ad maiora et plura nos adducente, dum multas ſuperaddit præceptiones et prohibitiones, quibus ante non obligabamur, & peccata nota faciebat, ad quæ poſtmodum, cognito quòd eſſent peccata, corruptio ſenſualitatis inclinat ſolicitatq́; uehemẽtius. Atq; ita re ipſa compertum eſt, legem quæ ad uitam à beneficio Deo pro magno beneficio data erat, noſtro uitio nobis factam eſſe mortuis occaſionem. Corruptus enim ſenſualitatis fomes, accipiens occaſionem ex lege bona (ut ſupra diximus) ſeducebat homines à rectitudine rationis & uitæ ad conſentiendum carnalibus deſiderijs, & per illius bonæ legis occaſionem homines in peccati perpetrationem inducens interficiebat. Non ergo culpamus legem, quæ eſt ſancta & ſine macula, neq; mandatum Dei, quod omnimodis iuſtum eſſe fatemur, & ſanctum & bonum. Neq; dico legem bonam per ſe mortem nobis eſſe factam, quaſi ipſa mortem effecerit hominibus, ſitq́; mortis cauſa. Abſit enim, ut hoc de ſancta dei lege impie aſſeramus. Sed dicimus, quòd ipſe fomes peccati, per occaſionem bonæ legis, hominibus effecerit mortem, ſic ut apparens fieret, & ualidius quod ante latebat, priusq̃ per legem indicaretur, ut fomes peccati (quem hic ſemper peccatum dicimus) appareret iam ſupra modũ peccans, per legis occaſionẽ: dum poſt legẽ datã ad uetita magis ſolicitat & inducit, & pro

pter expreſſam legis prohibitionem, grauiora ſunt peccata quæ cõmittit:ut ſic & in pluribus delinquat et grauius. De lege enim illud ſcimus & fatemur, quòd bona & ſpiritualis ſit in ſeſe, utpote à patre ſpirituum data, homines autem, ex corruptione quæ eis ineſt ex primi parentis peccato, carnales ſunt; primi parentis peccato et conſenſu malo ſub peccati tyrannide traditi, conſtituti, obligati, & quaſi uenditi in ſeruitutem. Ecce quod dicturus ſum de toto humano genere, quatenus ſub illa corruptione fomitis continetur, ſub mea perſona dicturus ſum: ſic de meipſo loquẽs, quaſi præter peccati fomitem nihil in me foret, gratiam Dei quodammodo diſsimulans. Itaq;, quod ego ago ex corruptione carnis, non ſecundum rationis intelligentiam, ſed potius ſecundùm carnis ago malam concupiſcentiam, cui ex naturali propagatione omnes ſubijcimur, donec per Dei gratiam liberemur. Neque enim ſecundum carnem illud facio, quod ſecundum rationem ut bonum eligo; ſed quod ſecundum rationem deteſtabile mihi eſt malum illud facio: ſequens magis in opere, fomitis tractum peruerſum, quàm rationis rectum dictamen, & uoluntatis electionem bonam. In eo autem, dum facimus ſecundum carnis impulſum, quod ſecundum rationem deteſtamur, legem ſane approbamus, quòd bona ſit, quando per rationem, quod illa præcipit, nos ut bonũ iudicamus & eligimus, quamuis dominante concupiſcentia nõ perficiamus. Itaq; dũ ſic ex carnis mala inclinatione, cõtra rationem operor quòd malum eſt, non ego ſecundum ſpiritũ (qui eſt in homine potior pars) illud operor: cum frequenter repugnante etiam ſpiritu, contra rationis imperium, in nobis paſsiones peccatũ inſurgant: ſed peccati fomes, qui in carne corrupta per priuationẽ originalis iuſtitiæ implantatus inhabitat, p traducẽ & propagationẽ à primis parentibus. Experientia enim

quotidiana certus ſum, quòd in me ſecundũ carnẽ, & in corrupta carne iſta, non habitat ulla ad bonũ inclinatio, ſed pronitas ineſt ad omne malũ. Nã ex parte ſpiritus, uideo mihi bonũ frequenter in electione eſſe & deſiderio: ſed propter carnis concupiſcentiã, nequeo perficere, quod ſecundũ ſpiritũ utcunque uolebam. Iã autẽ diximus de homine nos ſic loqui, ut eſt in ſeipſo, ſine auxilio diuinæ gratiæ ſuperadditæ. Nõ enim ualẽtes ſumus ex nobis, ut bonũ qđ quomodocunque eligimus, perficiamus: ſed malum, quod ſecundũ ſpiritũ odio habemus, perficere potentes ſumus, quia nimirũ dominatur in hoĩe ex ſua uitioſa origine, peccati fomes, non ſpiritus. Si autẽ facio quod ſecundum ſpiritũ nolo: non utique ego ſecundum ſpiritum (qui eſt potior in homine pars) id facio: ſed caro ipſa & fomes peccati (qui in ea regnat, donec per gratiã Chriſti deuincatur) uel repugnante ſpiritu, & contradicente uoluntate, mala exuſcitat. Inuenio igitur, legem bonam eſſe & ſanctam, qualem uiximus, dum uolo bonũ facere ſecundũ ſpiritum: quanquam mihi malum in proximo in carnis concupiſcentia adiaceat, quod me à perficiendo bono retrahit. Nam ſecundũ ſpiritum (qui eſt interior homo, & præcipua pars hominis) complaceo et delector in lege Dei, dum ex naturali dictamine eadem eligo, quæ lex Dei aperte præcipit: tanq̃ bona. Sed cognoſco ex altera parte concupiſcentiam peruerſam et fomitem peccati in carne inhabitantẽ (quam etiã poſſumus legẽ quandã nominare, eo quòd cogat et inflectat et dominetur in carne) quæ repugnat naturali dictamini mẽtis, & quæ uiolẽtia quadã me uelut captiuũ reddit & ſeruire facit pctõ. Libet itaque nunc exclamare in perſona eius, qui Dei grã nõ adiutus, ſub tali tyrannide premitur, quærens facere bonũ, & propter carnis cõcupiſcentiã nõ inueniẽs. Heu me infelicẽ, & ex meipſo nihil niſi miſerũ: quis me liberabit à corpore iſto

morti obnoxio. liberũq́; faciet à corruptione quæ in eo inhabitat, ut non ultra in me dominetur? Quis talẽ mihi hoſtẽ ſubiugabit, aut infirmabit? Nunquid uetus Moyſi lex? Nunquid circunciſio? Nunquid legales obſeruantiæ oẽs, in quibus gloriantur Iudæi? Nihil horũ ſanè: ſed gratia Dei ſola, quæ ſpiritũ contra carnis corruptionem corroborat, concupiſcentiæ uirtutem infringit, impetũq́; minuit, et ſpiritui carnẽ obedire facit. Gratia, inquam, Dei, per Ieſum Chriſtum, per quẽ ſunt nobis omnia: quia gratia et ueritas per Ieſum Chriſtũ facta cognoſcitur, Itaq; nunc ego idẽq́; (donec iſta accedit gratia Dei, atq; ſecundum partẽ aliquã etiã illa in nobis habitante) ſecundũ ſpiritus bonã electionẽ, quæ legis Dei ſunt, Deoq́; placita, quæro perficere: ſecundũ carnem autẽ, quæ concupiſcentia ſuadet, & ad quæ fomes peccati inſtigat, concupiſco.

CAPVT OCTAVVM.

Igitur ob gratiã Dei, adiuuantem & liberantem à malitia inhabitantis concupiſcentiæ non eſt quod mortis æternæ dãnationem timeant fideles, qui in Chriſtũ credunt quaſi eam non poſſint effugere: Illi, inquam, non timeant, qui ſecundũ ſpiritum, gratiæ Dei acquieſcentes, conuerſari ſtudent, & non ſecundũ carnis concupiſcentiã carnaliter uiuere. Spiritus enim ſanctus, in fidelibus author uitæ ſpirtualis (quæ eſt uelut lex quædam, regulans in bono ſpiritũ humanum) ipſe eſt qui in Chriſto Ieſu credentem, liberat à lege peccati & mortis: id eſt, à fomite malæ concupiſcentiæ, atq; etiam à legis ueteris carnali obſeruantia: quoniam per ſpiritum Chriſti fit, ut nec fomes peccati nocere poßit, neq; ad legis ultra obligemur ſeruitutem. Quod enim ueteri legi erat penitus impoßibile, in eo quod infirma erat per ſuas carnales obſeruantias, & ad ſaluandum inualida, Deus impleuit ſua prouidentia, mittens filium ſuum indutum

carne, eiuſdem, ſecundum ueritatem, naturæ cum carne noſtra peccato ſubdita, quanquã eſſet eius caro peccato minime ſubdita: atq; ita per filiũ ſuum factum uelut hoſtiam pro peccato, damnauit, deſtruxit, expiauitq́; peccatũ, quod erat in carne noſtra, ut quam lex promittebat, ſed per ſe conferre non poterat, à peccato iuſtificationem nos completam in nobis & perfectam, Chriſti morte ſuſciperemus: Nos, *inquam, qui non ſecundum carnis deſideria adhærentes concupiſcentiæ, neq; in carnalibus ueteris legis obſeruantijs, uiuimus: ſed in ueritate & libertate ſpiritus, ſpiritualiter conuerſamur.* Qui *enim ſecundũ carnales, uel concupiſcentias, uel obſeruationes conuerſantur, non ſapiunt neq; ſciunt quæ ſpiritus ſunt, ſed tantum ea quæ carnis, & ad carnem omnia referunt.* Quemadmodum *econtrario ſpirituales, quæ ſpiritus* Dei *ſunt, quærunt referuntq́; ad illum omnia.* Nam *prudentia carnis, ſicut mortem: ita ſpiritus ex aduerſo uitam operatur & pacem.* Carnis *enim prudentia,* Deo *aduerſatur, atq; aduerſus ipſum exercet inimicitias, eo qđ legi* Dei *(quæ ſpiritualis eſt) ſubijcij nolit, ſiue quia ea quæ contra legem* Dei *ſunt, quærit, ſiue quia per carnales obſeruantias à libertate legis* Euangelicæ *auocat, & impedimentũ illi præſtat.* Ac *proinde, qui adhuc in carne conuerſantur, carnalia ſequẽdo deſideria, uel in carnalibus adhuc fidendo obſeruantijs,* Deo *nequeunt placere, donec ſic carni adhæſerint.* Spero *autem, qnoniam uos iam in carne non eſtis, facti ſpirituales: quales eſtis indubie, ſi ſpiritus* Dei *habitat in uobis.* Quòd *ſiquis ſpiritum* Chriſti *nõ habeat, extra* Chriſtum *ille eſt, & ad* Chriſtum *non pertinet.* Si *autẽ (ut ſpero)* Chriſtus *in uobis eſt, atq; proinde etiam ſpiritus eius: ergo caro quidem mortua eſt, propter peccatum, quod cum appetat, prohibetur perficere à ſpiritu ſancto, qui corpus peccato mortificat: ſpiritus autem uiuit*

propter iuſtificationem & iuſtitiã, quã ex gratia ſpiritus ſancti conſequitur. Si, inquam, ſpiritus patris, qui Ieſum à mortuis excitauit, in uobis manet, idẽ ipſe qui filiũ ſuſcitauit, ueſtra quoq; infirma & mortalia corpora uiuere faciet, in operibus bonis nunc, & poſtmodũ in æterna uita, propter ſpiritum qui in uobis inhabitat, à quo animæ procedit uita ſpiritualis, ſicut corpori ab anima ſua uita procedit. Itaq; fratres, debitores ſumus: nõ quidẽ carni, ut ſecundũ eius uiuamus deſideria; ſed Deo, ut illius impleamus uoluntatẽ, ſecundũ ſpiritũ. Nã ſi ſecundũ carnis concupiſcentias peruerſas uitã duxeritis, moriemini in peccatis concupiſcentiæ ueſtræ. Si autẽ per ſpiritũ, carnis deſideria ſupplantare, & carnis opera mortificare ſtudueritis, ita demũ uiuetis. Quicunq; enim in ſua conuerſatione ac uitæ ſuæ inſtitutione ſpiritu Dei reguntur atque ducuntur, hi (utpote eodẽ ſpiritu regenerati) ſecundũ adoptionẽ filij Dei ſunt. Spiritus enim quẽ accepiſtis credentes, nõ eſt ſpiritus ſeruitutis & timoris, ut nos ſic iterũ timere faciat q̃ſi ſeruos, quomodo olim Iudæi pœnarũ terrore ſeruiebant: Sed ſpiritus libertatis eſt, quo adoptamur in filios Dei, quo ſuggerẽte audemus Deũ fiducialiter patris nomine cõpellare, illiq; dicere Abba: quod interpretatur pater. Ipſe enim ſpiritus diuinus, occulta ſuggeſtione, ſpiritui humano perhibet teſtimoniũ, in quo inhabitat, quòd ueri ſimus filij Dei: de cuius teſtimonio nihil eſt dubitandũ, cũ ſit ipſe ſpiritus ueritatis. Si uero filij Dei ſumus: ergo & hæreditatis eius ſecundũ ſpem participes ſumus, eiuſdẽ ſuo poſtmodũ tempore futuri poſſeſſores. Hæredes quidẽ Dei patris, Chriſti uero filij, etiam cohæredes: quatenus & ipſe filius eſt Dei, & noſtrum oĩum per carnis aſſumptionẽ frater affectus. Si modo p patientiam configuremur Chriſto, in ijs quæ pro eius nomine ſuſferenda obueniunt: ut debito ordine hoc pacto, in tempo-

re retributionis, eidem ſecundum gloriam etiam configuremur atq; aßimilemur. Neq; uero magnum aliquid uideri cuiquam debet, pro nomine Chriſti grauia quædam ſuſtinere, propter expectationem uenturæ retributionis. Scio enim & certißime mihi perſuaſum habeo, paßiones quæ in hoc mundo obuenire poſſunt fidelibus etiam ſi uniuerſæ in unum conglobentur, non eſſe tamen ullo modo ſufficientes ad promerendum quaſi ex cõdignitatis debito, illã uenturi ſeculi gloriam, quæ ſuo tempore in nobis cum effectu manifeſtabitur, qui modo credimus et ſperamus in eum, & perſecutionem patimur pro nomine eius. Tanta enim erit illa beatitudo, ut ipſa quoque mundialis machina, & omnis quæ in eo eſt creatura, cum expectatione magna aßidue ſolicitéq; expectet, hãc filiorum dei reuelationem. Id eſt perfectam in corpore & anima, omnium ſaluandorum glorificationem. Interim enim, donec finalis ueniat omniũ iuſtorum glorificatio, creatura omnis quæ in mundo eſt, & totus ipſe mundus, ſol etiã ipſe & luna, cæteraq; aſtra & orbes cœlorum, uarijs immutationibus moribusq; continuis, ſecundum generationes & corruptiones ſubijciuntur ad humanum miniſteriũ, quæ oĩa uanitas quædã ſunt & inſtabilitas. Nõ quidem ex ſuæ naturæ cõditione, aut propter ſuũ bonũ, ſed propterea qd' ea Deus nũc ſeruituti ſubiecit, ad inſeruiẽdum homini pro hoc ſtatu mortali, propter quẽ facta ſunt oĩa, ſub ſpe liberationis in ſuo tẽpore, quando poſt finale iudicium, homini ultra eorũ miniſterio nõ erit opus. Nã tunc ipſa creatura, q̃ hactenus ſeruierat, ab illa ſeruitute corruptionis (id eſt inſtabilitatis, imp̃fectionis & ſubiectionis) libera fiet, filijs Dei ſic in libertatẽ gloriæ Dei trãſlatis. Scimus autẽ & firmißima fide tenemus, oĩa creata, et cœleſtia, et terreſtria, laboribus fatigari, & uelut nobiſcũ ſub põdere ſeruitutis, quã nr̃a cã ſeruiũt, gemere, et magno deſi

derio ſui laboris præmium (nempe requiem & innouationem in ſtatum meliorem) ab initio expectare. Non ſolum autē cor*poralis illa creatura ſuam liberationem expectat, et deſiderat: ſed multo magis noſipſi, qui ſpiritusſancti primitias, et potiora eius dona, accepimus in arram futuræ cœleſtis gloriæ, ex intimis cordis deſiderijs ingemiſcimus & ſuſpiramus, donec impleatur in nobis adoptio, & reueletur in nobis gloria filiorum* Dei: *expectantes pariter, & liberationem corporis noſtri, ab omnibus ſuis, quibus nunc aggrauatur miſerijs.* Quanquam *enim modo iſta oculis nō uidemus, ſpes tamen nos facit, de noſtra ſalutę penitus ſecuros:* Immo *ſpes non eſt de eo quod iam uidetur, & quaſi certū habetur atq; poßidetur.* Nemo *enim illud ſperare dicitur, quo iam ante oculos ſuos fruitur, quaſi re m certa & habita.* Tunc *autem ſperare dicimur aliquid, cum id quo in præſentia frui non datur, per patientiam tamen expectamus, donec tempus ueniat, ut accipiamus illud in cœnam & firmam poſſeßionem.* Quomodo *autem diximus de ſpiritu ſancto, quòd ipſe in nobis clamat:* Abba *pater, et quod teſtimoniū reddat ſpiritui noſtro, ꝙ ſimus filij* Dei: *ſimiliter dicimus, ꝙ ipſe eſt qui noſtrum imperfectum, benigno ſuo auxilio, clementer adiuuat in orationibus.* Nos *enim ex nobis nihil niſi cæci et miſerabiles, neque quid, neq; quomodo orare debeamus, cognoſcimus: ſed ipſe ſpiritus mentem noſtram illuminans, & affectū uoluntatis bonis deſiderijs ſuccendens, poſtulare nos facit à* Deo *quæ ſalutaria ſunt, gemitibus & ſuſpirijs, quæ enarrare uox neq; ulla lingua poteſt exprimere.* Verū *qui cordium cognitor eſt* Deus, *optime nouit quid ſibi uelint ſpiritus pro nobis poſtulationes et affectuoſißimi gemitus: quoniam quæ* Deo *ſunt placita, & hominibus ſalutaria, pro ſanctis poſtulat: non (ut pro ſeipſis ſolent homines) temporaria aut etiam noxia.*

Scimus

Scimus uero, quoniam ijs qui diligunt Deum, *eiuſdem ſpiritus beneficio, omnia ſiue proſpera, ſiue aduerſa, ſiue læta, ſiue triſtia, cedunt in bonum, & ad fructum creſcunt meritorũ*: Ita ut *nulla uia poßint, ab ea, ad quam prædeſtinati ſunt, gloria impediri: his, inquam, qui ſecundum propoſitũ diuinæ prædeſtinationis, uocati ſunt ad fidem* Chriſti, *in ſanctitatem*. Nã *quos ab æterno* Deus *ſic beatificandos præuidit, hos & prædeſtinauit fieri cõformes, & ſimiles filio ſuo cõſubſtantiali, qui eſt imago eius: proponens eis dare gratiam ſpirituſſancti per quam* Chriſtiformes, *immo* Deiformes *efficimur*. Sic *tamen, ut ipſe in præcellenti gloria, ſit uelut primogenitus inter multos fratres ſuos*. Q*uanq̃ enim omnes nos, in quibus eſt gratia* Dei, *filij* Dei *ſimus*: Ipſe *tamen conſubſtantialis & naturalis eſt filius, atq; ita primogenitus ante omnẽ creaturã, tam dignitate q̃ tẽpore*. Nos *uero tantũ adoptiui, & ſecũdũ beneplacitũ eius, ad id quod natura non eramus, aſſumpti*. Q*uos autẽ prædeſtinauit ab æterno ad gloriam ſuam, eoſdem ſuo tempore ad fidem et eccleſiam ſuã uocauit*. Q*uos autẽ uocauit* (Id eſt, q̃ *eius uocationi obediẽrunt*) *eoſdẽ deinde à peccatis mundauit, & ad bona opera ualidos fecit*. Q*uos uero ſic iuſtificauit, eoſdem & magnificauit: nunc quidẽ in gratiæ ſuæ donis magnificis: ac poſtmodũ in gloria æternitatis ſuæ*. Ecce *hæc ſunt mira & magnifica erga nos diuinæ dilectionis teſtimonia*. Q*uis unquã tanta ſperare auſus fuerat?* Q*uid reſpõdebimus ad tantæ charitatis beneficia, fratres?* Si Deus *tanto nos fauore proſequitur, & ſi ille tãtũ nobis demõſtrauit amorẽ: qs eſt qui ſe ſperet nobis poſſe nocere, noſtramq; nobis ſalutẽ ſubtrahere?* Ecce *tanto nos amore* Deus *proſecutus cognoſcitur, ut pro nobis redimendis, nobisq; ſaluãdis, nec proprio et unico filio ſuo pepercerit, ſed in mortem eũ pro nobis tradiderit*. Igitur *filium ſi nobis dedit & pro nobis,*

*nihil dubium,quin omnia ſimul ad noſtram ſalutem neceſſaria, cum illo & in illo nobis contulerit:*Nempe peccatorum *remiſſionem , & gratiæ ſuæ auxilium : & ſpiritualia omnia chariſmata,quæ nobis ad ſalutem ſunt neceſſaria .* Ecce Deus *eſt, qui electos ſuos à peccatis iuſtificat , quis tam audax , qui eos quos* Deus *á peccatis abſoluit,quaſi peccati reos, audeat falſis criminationibus accuſare?* Quis *tam potens qui eos quos* Deus *iuſtos habet,poßit condemnare?*Ecce *Chriſtus* Ieſus Dei *filius ipſe eſt qui pro noſtra ſalute morti ſe tradidit,immo morte deuicta tertia die reſurrexit, & in cœlum ſcandens,ad dexteram patris,in æqualitate gloriæ eius,uenturus iudex, reſidet .* Qui *etiam modo ad dexteram patris conſtitutus,pro nobis interpellare atq; orare inſtanter,non deſinit.*Et *quis eſt, aut quæ tandē iſta creatura,quæ præualere ſe putabit , aduerſus eos quos ſic* Deus *tanti facit,quibusq́;* Deus *tanta exhibet beneficia ſummæ charitatis?*Et *nos,poſtquam tanta,tam eximiæ dilectionis á* Deo *accepimus efficacißima teſtimonia, cuius tādem uirtute,aut potentia ſeparari poterimus á dilectione eius,aut quid uobis obuenire poterit,quo ab eius amore ſeparemur, qui nos prior tam inaudita charitate dilexit?* Neq; *tribulatio quælibet, neq; anguſtia,neq; egeſtas ulla,ſiue uictus,ſiue ueſtitus, neque perſecutio quælibet , neq; mortis periculum . Sic enim apud* P*ſalmiſtam,in perſona fidelium pro Chriſto patientium ſcriptum legmus.* Q*uoniam propter tuum amorem,& tui nominis confeßionem,mortificamur aßidue,æſtimati tanquam oues occiſioni deputatæ.Sed hæc omnia per patientiam ſuperamus, eisq́; per patientiam ſuperiores euadimus,ad longe etiam maiora parati,*Propter *eius amorem,qui nobis tanta oſtendit dilectionis efficacißima teſtimonia .* Confido *autem in domino, & certus ſum in gratia eius, quod neque mortis comminatio,*

neq; longæ uitæ promiſsio, nec angeli, neq; principantes eis, nec ſpiritus uirtutes operantes, nec boni, nec mali, nec inſtantia aut præſentia ſiue bona ſiue mala, nec futura, nec ulla potentia, nec quicquam eorum quæ ſunt in cœlo ſurſum aut ſub terra deorſum, nec ulla (ſi qua eſt) creatura alia, nobis poterit auferre charitatem Dei, *quam habemus in Chriſto* Ieſu *dño nr̃o.*

CAPVT NONVM.

Ne *uero me exiſtimare poßit aliquis ea quæ dixiſſe uideor in legis derogationem & Euangelicæ gratiæ commendationem, odio gentis meæ protuliſſe: ecce in ueritate, quam loquor ſine omni fictione & mendacio, corám Chriſto Ieſu, ſimul atteſtante mihi conſcientia mea, in ſpiritu ſancto, teſtor mihi triſtitiam magnam & dolorem aßiduum eſſe in animo, amplius q̃ credi poſſit, propter* Iudæos, *qui adhuc in ſua infidelitate permanentes, nolunt ſubijci fidei &* Euangelio *Chriſti. Vſq; adeo enim hæc res mihi cordi eſt, ut optarim atq; etiamnum optem (ſi fieri poſſet, & ſic* Deo *foret beneplacitum) ea quam expecto mercede retributionis priuari, atq; ita modo quodam à Chriſto (licet non amicitia, tamen æterna etiam præſentia) ſeparari, pro ſalute fratrum: ſi uel tali ac tanto pretio eos poſſem à ſua infidelitate & ſubſecutura damnatione redimere, ut ad Chriſtum conuertantur, & ſalui fiant,* Tanti *mihi eſſe illorum ſalutem, uere profiteor.* Fratres *autem meos uoco filios Iſrael, qui ſunt cognati mei ſecundum carnalem parentelam, quoniam ab eiſdem parentibus,* Abraham, *Iſaac &* Iacob, *deſcendimus.* Ad *quos pertinet filialis adoptio, quoniam & olim eos dominus propter patres ſuos in filios & popul ū peculiarem aſſumpſit, & in adoptione filiorum nouæ legis, ex promißione patribus facta, primas etiam partes habent.* Quorum *eſt etiam gloria magna in eo quòd mirabilia* Deus, *pro eis ac patribus eorum,*

feciſſe & exhibuiſſe cognoſcitur. Quibus olim teſtamentum il illud uetus, tanquam ſingulare beneficiũ datum fuit, & modo nouum offertur, aceptare uolẽtibus. Quibus olim & lex data eſt, & obſequia pecularia, rituſq; diuini cultus, ex legis præſcriptione, fuerunt deputata. Quibus etiã promißiones plures factæ ſunt, tam de temporalibus q̃ ſpiritualibus bonis. Quorũ inſuper patres illi ſunt, ex quibus ſecundum carnis generationẽ Chriſtus naſci elegit, atq; dignatus eſt, qui eſt ſuper omnia uerus Deus, in æternum benedictus, Amen. Atq; hæc omnia beneficia populo Iſraelitico peculiariter exhibita, quo magis multa ſunt, & magna, eo magis dolor aggrauatur mihi in animo, cum eos uideo, quos tantis Deus beneficijs ſemper eſt proſequutus, & quibus etiã nunc omnia quaſi primis & præcipuis offeruntur, obſtinato animo ſolos reſiſtentes Euãgelio Chriſti. Neque uero hæc dico, quaſi ſentiam promißiones Dei factas Abrahæ, de ſui ſeminis multiplicatione & beatitudine, prorſus factas eſſe irritas, ut non impleantur propter Iudæorũ obſtinatam iucredulitatem. Omnino enim implentur in ijs, qui ſunt ſecundũ ſpiritum Iudæi, & filij patriarcharum. Non enim exiſtimandum eſt omnes eos eſſe corãm Deo ueros Iſraelitas, qui ſecundũ carnem ex Iſrael ſunt propagati. Neq; omnes eos eſſe filios Abrahæ corãm Deo, qui carne ab eo fuerint diſſeminati. Qui igitur ſunt Abrahæ uerum ſemen? Illi ſoli qui ſecundũ Chriſtum cuius gerit typũ Iſaac) Abrahæ ſunt filij per fidẽ. Hoc eſt, non omnes qui ab Abraham carnis duxerunt originẽ, Deus pro filijs eius habet, neq; tales apud Deum Abrahæ filij reputantur, ſed qui ex fide nati ſunt ſecundum promißionem, ſicut & Iſaac ex promißione eſt natus, hi, inquam, ſoli reputantur de ſemine Abrahæ apud Deum, & inter eos computantur. De Iſaac autem, quomodo per repromiſſionem ſit natus, do-

cet nos ſcripturæ teſtimonium, quod in Geneſi *dictum legitur ab angelis hoſpitio receptis:* Iuxta *condictum reuertar ad te anno altero, & erit Saræ filius.* Non *ſolum autem Sara in uno filiorum accepit promiſsionem, ſed etiam* Rebecca *uxor Iſaac, ex eodem conceptu in utero geminos habens, in uno tantum accepit repromiſsionem. Cum enim nondum in lucem fuiſſent editi, neque bene adhuc egiſſent aliquid aut male, ut* Dei *propoſitum & prædeſtinatio, ſecundum electionem ſuam & ſuum beneplacitum firma maneret, & non ex hominum meritis pendere demonſtraretur.* Rebeccæ *conſulenti dominum, dictum eſt de alterius tantum electione, non ex operum meritis uel demeritis, quæ nulla præceſſerant, ſed ex præſcientia & electione* Dei, *quos ipſe uult eligentis, atq; uocantis, pro ſuo beneplacito.* D*ictum eſt, inquam, ei, quod minor (nempe* Iacob*) eſſet prælectus à* Deo, *ut ei ſubijceretur maior. Cui conſonat* Malachiæ *teſtimonium, dicentis in perſona* Dei: Iacob *erat &* Eſau, *& tamen* Iacob *dilexi, eum ad primogenituram eligens, & benedictionem paternam ei conferens, atq; etiam adhoc ut in eo complerem promiſsiones patribus factas,* Eſau *reprobato atq; ab his omnibus retruſo, cui tamen uidebantur ſecūdum iudicium humanum, ut primogenito, iſta magis competere.* Quid *uero ſuper hac re dicemus?* Nunquid *iniquitatem & iniuſtitiam facit* Deus, *dum hæc agit atq; ſimilia, pro ſuo beneplacito eligendo & reprobando, ante ulla merita uel demerita?* Abſit, *ut talem* Deo *impingamus blaſphemiam. Sic enim eſt, quomodo ad* Moyſen *loquens dicit dominus:* Miſerebor *ego, inquit, cui uoluero, & miſericordiam præſtabo, cui mihi placitum fuerit exhibere miſericordiam.* Significans *nimirum, in ſuo beneplacito ſitum eſſe, miſereri miſericordiamque exhibere, uel non exhibere, citra omnem iniuſtitiam.*

Non eſt igitur humanæ poteſtatis, interiori ullo animi motu, aut externa quauis, quantumuis uehementi atq; etiam laborioſa operatione, in Deo *prædeſtinationem cauſare,* Dei*q; prædeſtinationē comparare, quæ ſolius eſt* Dei, *miſerentis quibus uult, & quos uult ſine operū conſideratione præcedentium, ab æterno prædeſtinantis.* Et *de reprobatione quidem malorum, exemplum habemus in* Pharaone*: de quo in ſcriptura legimus à* Do*mino dictum, ad ipſum:* Ego *dominus te* Pharaonem *in regni ſolium exaltaui, & mentem iſtam rebellem & cor inobediens in te uenire atq; permanere permiſi, et permittam, ad eum finē, ut clarificetur in te potentia mea: quam in te puniendo ſic demonſtrabo, ut cum laude & gloria prædicetur nomen meum in uniuerſa terra.* Hunc *ecce quia noluit, reprobauit: quem ſi uoluiſſet pro ſua miſericordia, ſaluare utiq; potuiſſet.* Itaq; *uidemus ex hiſce exemplis, quemadmodum* Deus *pro ſuæ uoluntatis arbitrio, quibus uult, miſericorditer miſeretur:* Alios, *ꝓ ſuo placito (ſi uelit) obdurari permittit, atq; in obduratione permanere.* Verum *ex his quæ iam diximus, mouere forſitan aliquis poßit quæſtionem, & dicere:* Si *prædeſtinari et reprobari, eligi & obduratum permanere, in ſola* Dei *eſt uoluntate: quid ergo adhuc querela fit aduerſus malos & reprobos?* Nā *ſic* Dei *uoluntas eſſe uidetur: atque proinde nec reprehendi & puniri debere uidentur; cum ſit ex* Dei *uoluntate (ut ex dictis colligi uidetur) obduratio: atq; per conſequens etiam malitia omnis, quæ ex ea procedit.* Nam *eius uoluntati, quis uelit reſiſtere, aut quis pro eo quenquam reprehendat, quod* Dei *impleat uoluntatem?* Compeſce *teipſum ò homo, ab inquirendis huiuſmodi quæ ſupra humanum captum exiſtunt, profundißimis & ſecretis* Dei *iudicijs.* Quis *enim es tu ò homo miſer & mortalis, qui poßis te* Deo *exaduerſo opponere, ad criminandum ſiue culpandum*

iudicia eius? Quemadmodũ enim id quod per artem fingit figulus, qualecunque tandem ſit quod fingitur, non ob murmurat aduerſus figulum, dicens: Quid me feciſti ſic? Ita neq; homo contra Deum murmurando ſe poteſt opponere, quaſi ille male nos finxerit, aut malũ quenquàm creauerit. Habet ne figulus qui in luto operatur, hanc ſuper luto poteſtatem, ut poßit de eo facere quodcunque ſibi fuerit placitum, ſiue uas in uſum aliquẽ honorificum, ſiue aliud in uſum minus honeſtum, atque etiam contemptibilem? Quid ſi etiam Deus, uolens oſtendere ſeueritatem iuſtæ uindictæ ſuæ, et potentiam ſuam facere manifeſtam in punitione impiorum, toleret nunc in hoc tempore impios homines, qui ſint ei in nouißimo die uaſa iræ, in quæ uidelicet tunc effundat iram ſuam, exercendo in eos uindictam iuſtitiæ ſuæ: ut ex altera parte reluceat copioſißima illa & ditißima gloria miſericordiæ eius, erga uaſa miſericordiæ quæ prædeſtinauit ab æterno, atq; per gratiã ſuam in tempore præparauit, ut effundat in eos, impleatq; gloria ſua: iſta ſi Deus ita uelit, tu quis es qui reſpondes Deo, aut contra illum ſuper hoc agas? Atq; hos quidem quos ſic præparauit in gloriam ſuam, ipſe elegit: nõ ex carnaliter Iudæis tantum, ſed etiam ex gentilibus, Iuxta quod in Oſea propheta dicit dominus: Vocabo, inquit, eos qui olim populus meus non erant, ut fiant, ſintq; populus meus, in quo per gratiam inhabitem: & populum, qui antea dilectus non fuerat, propter idololatriam, uocabo habeboq; poſt uocationem dilectum, ut ei benefaciam: & qui prius ſub ira detinebatur, extra gratiam & miſericordiam, uocabo conſecutum miſericordiam. Futurumq; eſt in tempore illo, ut in locis illis gentium, ubi inhabitabant qui non erant populus Dei, illic poſtmodum uocentur ſintq; & habitent, non ſolum populus, ſed etiam filij Dei uiuentis. Populus enim gentium,

qui idololatria ſua erat non populus domini, non miſericordiã conſecutus, & non dilectus, ſuſcepta poſtmodũ fide, factus eſt populus domini, & dilectus, & miſericordiã conſecutus. Atq; *hoc quidem* Oſee *uaticinium, aperte de copioſa gentium (quæ modo impletur) uocatione prædixit. Cæterũ de uocatione* Iu*dæorum, & paucitate uocandorũ ex eis,* Eſaias *clamat, & palàm loquitur, dicens:* Ex *maxima & innumerabili multitudine filiorum* Iſrael, *reliquias aliquas (id eſt, paucos electos) ad ſalutem fidei peruenturas.* Erit *autem & ueniet ſuo tempore, qui conſummabit & perficiet uerbum prædicationis, legis prolixitatem in paucißima & facillima præcepta* Euangelica *contrahens: abbreuians ipſum in iuſtitia & æquitate, quoniam perfectam iuſtitiam & ſufficientem: ad ſalutem, includit abbreuiatũ uerbum ſancti* Euangelij. Dominus *enim ipſe (ut modo dictum eſt) uerbum* Euangelij *abbreuiatum predicari faciet in omnibus finibus terræ: ad cuius prædicationẽ conuertentur ad dominum prædeſtinati ex gentibus, atq; etiã nonnulli ex* Iudæis *præordinati, qui per legis prolixitatem, iuſtificationem & ſalutem perfectam, conſequi non poterant.* Et *iterum dicit* Eſaias: Niſi *dominus exercituũ in* Chriſto *nobis aliquos dediſſet, ſeruaſſetq; electos, iam ſicut* Sodoma & Gomorra *omnes in obſtinatione et damnatione perijſſemus, nec eſſet ultra memoria noſtri inter bonos & ſanctos fideles.* Sua *enĩ ſingulari miſericordia, adhuc aliquos ex* Iudæis *in fide recta ſeruat* Deus, *& ſeruabit uſq; in finem mundi, propter ſanctos* Patriarchas *patres eorum, ut nõ penitus pereat populus ille, qui tam electos patres olim habuit de numero fidelium, & ſaluandorum.* Quid *ergo de his dicemus mirabilibus* Dei *iudicijs?* Miranda *ſanè, ſed uera ſunt quæ dicimus.* Quod *gentes quæ iuſtitiam non requirebant, in apertis & enormibus peccatis ſine rubore uiuentes, ſtatim audita*

prædicatione Euãgelica*, credẽtes agẽtesq́; pœnitẽtiã, appreben derunt iuſtitiam ueram, (iuſtitiam dico fidei)* Filij *autem* Iſrael*, qui ex lege ſua quærebant iuſtificari, ſtudentes ſuis corporali- bus cæremonijs peccata tollere, ad ueram iuſtitiã (quantum ad magnam eorum partem) non peruenerunt.* Et *quare hoc illis euenit? Quia non ex fide quærunt iuſtificari, unde debuerant, ſed ex legis carnali obſeruantia, unde non poterant,* Reſiſten- *tes enim Chriſto, & eius doctrinam nolentes recipere, ſic offen derunt ut caderent: & factus eſt eis qui erat ſaluator datus, eo- rum peruerſitate, quaſi lapis offenſionis, & ſui caſus occaſio, de quo ſcriptum eſt.* Ecce *ſuo tempore mittam in populo Iſrael lapidem offenſionis, & petram offendiculi,* Id *eſt, Chriſtum* Ieſum*, in quem impingendo, et eui reſiſtendo, ſeipſos lædent, & qui illis erit ĩ ruinæ interitusq́; occaſionẽ.* Omnis *autẽ qui in il- lum nõ impegerit, ſed ei per fidem cũ charitate adhæſerit, non erit confuſus in nouiſſimo, ſed erit ei in ſalutẽ ſempiternam.*

CAPVT DECIMVM.

Iterum *dico uobis, fratres mei (ne quis de me ſiniſtre ſuſpicetur, odio me habere gentem meam) deſiderium cordis mei uel ſum mum, id eſſe, ad quod etiam precibus, quantum poſſum apud* Deũ*, nitor aſſidue, ut ipſi quoque* Iudæi *ad Chriſtum conuerſi, fiant ſalui.* Nam *hanc rem in meipſo ſatis expertus, teſtimoniũ illis perhibeo, quòd zelum habeant atq; feruorẽ, quo ſe putant pro* Dei *gloria agere: ſed inſipiens & ſtultus eſt eorum zelus, qui non eſt ſecundum fidei ſcientiam:* Immo *fidei contrariatur.* Iccirco *enim tam feruide aduerſus* Chriſti *nomen agunt, quo- niam putant per Chriſti nomen, ueri* Dei *(quem colunt) gloriam imminui: & ob hoc, ipſum impugnantes,* Deo *ſe pu- tant præſtare obſequium.* Nam *quia ueram ignorant iuſtitiam, quæ ex fide eſt coràm* Deo *: ſuam uero illam, quæ ex le-*

gis operibus eſt coràm hominibus, ſecundum carnalem legis obſeruantiam, quærunt confirmare, nec permittere uolunt, ut per legem fidei antiquetur, ita fit, ut propter ſuam apparentem iuſtitiam, quam tueri modicus & intertenere quærunt, iuſtitiam fidei quæ perfecta eſt coràm Deo, *non ſolum non acceptent, ſed etiam impugnent. Quod ſummæ procul dubio inſipientiæ & dementiæ eſt.* Totius *enim legis ueteris finis eſt* Chriſtus, *ut in eo, & per eum conſequantur perfectam iuſtitiam, omnes qui credunt in eum. Finis, inquam, eſt ad quem omnia legis, tam cæremonialia, quàm iudicialia præcepta reſpiciunt: ad cuius aduentum, ſuos obſeruatores lex præparabat, & ad quem ipſa ſuis teſtimonijs transmittit ſibi ſubiectos. Denique ipſe finis eſt, & perfectio, & conſummatio omnium tam cæremonialium, quàm iudicialiũ, quæ in eius morte facta ſunt irrita. Vnde patet, inſipienti admodum zelo illos agi, quo nunc oblatam fidei iuſtitiam, recuſant: atq; etiam impugnant.* Nam *de iuſtitia quæ ſecundũ legem & ex lege eſt q̃ ſit imbecillis atq; inualida, patet ex eo ꝙ ſolum à morte corporis cuſtodiebat obſeruantes, non autem animam à peccatis iuſtificare potuit,* Iuxta *quod* Moyſes *ſcripſit in libro* Leuitici, *quòd iuſtitiam quæ ex lege eſt qui opere impleuerit, uiuet per eam,* Id eſt. *Qui iuſtitias legis omnes, & præcepta omnia diligenter impleuerit, mortis pœnam atq; etiam cæteras corporis pœnas tranſgreſſoribus deputatas, effugiet, nullum ueræ iuſtificationis fructũ, ex legis obſeruatione aſsignans.* At *uero fidei iuſtitia, hoc exigit atq; poſtulat ut nõ dicas quaſi dubius aut ĩcredulus apud te metipſum. Quomodo fieri potuit qd' dicũt* Chriſtiani, *ut* Chriſtus Dei *filius de cœlis deſcẽderit ad terras?* Et *quis eſt qui aſcẽdit in cœlum? hoc eſt, ut illum inde nobis deduceret, qui huius rei certitudinem nobis poſsit exponere?* Neq; *iterum dicas du-*

bius in corde tuo: Quomodo uerũ eſſe poteſt quod dicũt Chriſtiani, Chriſtum mortuũ ab inferis reſurrexiſſe ad uitã? Et quis huius rei cauſa, ad infernum deſcendit, id eſt ad Chriſtum excitandum à mortuis ſuſcitandumq́; ab inferis? Hoc eſt, fidei iuſtitia, nõ in operatione carnalium obſeruantiarum cõſiſtit, ſed in hoc, ut ſine ulla hæſitatione aut dubitatione, ac ſine quæſtionibus, contradictionibusq́;, ſimpliciter credatur Chriſtus Dei filius de cœlo deſcendens, humanam aſſumpſiſſe naturam, eundemq́; poſtquam ut homo mortuus extitiſſet, tertia die ad uitã diuina ſua uirtute rediiſſe. Abſq; quæſtionibus, inquã, eiuſmodi & hæſitationibus, quæ fidei firmitati repugnant. Sed iuxta ſcripturæ uerbum (ut eam noſtro ſermoni, noſtroq́; propoſito aptemus) propè & intra te eſt uerbum fidei, & in corde tuo, & in ore tuo: ſi fidem rectã & corde credis, & ore cõfiteris. Et intra te totius Euangelij habere potes rationem, ſi tantum uelis abſq; hæſitationibus & interrogationibus eiuſmodi, ſimpliciter (ut oportet) credere. Nã fides ſola, omnium eorũ quæ credimus, tota ratio eſt. Hoc autem uerbum de quo nunc loquimur, in quo ſolo eſt perfecta ſalus, uerbum, ſancti Euangelij eſt uerbum fidei Chriſtianæ quod prædicamus: Nempe quod õmnis qui in corde ſuo ſimpliciter firmiterq́; crediderit in dñm noſtrũ Ieſum Chriſtũ, quod ipſe uerus ſit Dei patris filius, quẽ pater à mortuis tertia die reſuſcitauit, ac cætera quæ de illo ſanctum prædicat Euãgeliũ, ea etiã cũ opportunũ fuerit ac neceſſariũ, in ore cõfiteri nõ formidans, neq; erubeſcens, ſalutẽ ille cõſequetur, quiſqs tãdẽ fuerit. ſiue Gẽtilis, ſiue Iudæus. Tametſi enim fides quæ ĩ corde eſt ꝑ ſe iuſtificet, nõ erit tamẽ ad ſalutẽ finalẽ ſufficiens: niſi & ore (cũ res popoſcerit, & occaſio occurrerit) paratus ſis quod corde credis, cõſtanter confiteri. Atq; ita de cæteris cæterorum membrorum officijs: quæ omnia

debent eam quæ in corde eſſe dicitur. fidem atteſtare, quæ fidei ſunt conſona(cum occurrit occaſio) libenter operando. Nam *de hac ſalute omnibus indifferente, ſcriptura prophetica loquitur pro hoc tempore gratiæ, dicens:* Omnis *qui in Chriſtum credit, fide uiua & charitate formata, per quæ dilectionē operatur, non confundetur, ſed ſaluabitur.* Non *enim nouit* Deus *(quantum ad hanc rem) ullam inter* Iudæum *&* Gentilem *differentiam.* Ipſe *enim unus idemq́;, omnium hominum ſine diſcretione aut exceptione, ex æquo uniuerſalis eſt dominus, copioſus in miſericordia, & liberalis admodum in ijs quæ ſunt ſalutaria, erga omnes qui illum recte(ut oportet) inuocauerint.* Omnis *enim quicunq; ex fide uera, & perfecta charitate inuocauerit nomen domini, de corde puro, & conſcientia bona, ſalutem conſequetur æternam. Sed ut inuocare poſſent, neceſſe erat ut prius crederent in eum quem inuocarent.* Credere *uero non poterant in eum, quem nunquam audiſſent.* Neq; *rurſum audire potuiſſent, niſi aliquo prædicante.* Atqui *prædicantes, ut ueri ſint & apoſtolici prædicatores, neceſſe ut mittantur à* Deo. De *quibus prædicatoribus apud* Eſaiam *per admirationē ita legimus.* Quàm *mundis ſunt affectibus futuri, & quàm gratus eſt futurus illorũ aduentus, quos mittet* Deus *ad annunciandum pacis per filium* Dei *terris allatæ, noua gaudioſaq; nuncia, et præparata fidelibus bona cœleſtia.* Itaq;*(à primo ad nouiſſimum, colligendo ſermonē) nō poſſunt inuocare ad ſalutem nomen domini, niſi mittantur, qui prædicent eũ quem inuocare oportet,* Chriſtum Ieſum. Verum *quanquam mittantur qui prædicent, non omnes tamen fidem habent* Euangelio, *quod prædicari audiunt.* Eſt *apud* Eſaiam *teſtimonium, qui de myſterio humanitatis* Chriſti *locuturus, in perſona* Apoſtolorum *nouæ legis loquitur domino, dicens:* Domine *perpauci admodũ ſunt,*

qui noſtro auditui, id eſt, uerbo Euangelij, *quod à te audiuimus didicimusq́; prædicandum populis, uelint habere fidem: quiq́; doctrinam quam à te didicimus, uelint ſuſcipere.* Ex quo patet, *fidem haberi ex auditione prædicātis. Quanquam enim fidem in nobis principaliter ſpiritus ſanctus operetur interius, exterius tamen, ex miniſterio prædicantis, per auditionem comparatur:* Ita *ut apud* Deum *prima ſit & præcipua* Euangelicæ *prædicationis authoritas, eiusq́; fructificationis, nempe fidei efficientia: auditus uero tantum miniſterium præbeat operationi diuinæ. Auditus autem eſt per uerbum prædicationis ſancti* Euangelij, *quod per os loquentium inſonat in auribus audientium, ut poſtquam audierint credant. Quæro autem.* Num *ulla excuſatione poßint ſe excuſare, per hoc quod non audierint, qui in incredulitate ſua hoc tempore publicatiouis* Euangelij *permanent?* Non *eſt ſané hac in parte, ullus excuſationi relictus locus. Quandoquidem (iuxta* P*ſalmiſtæ teſtimonium) in omnes terræ partes exiuit ſonus prædicationis eorum, & in ultimas quoq; habitationes orbis terrarum, peruenerunt uerba prædicantium Chriſti* Euangelium. *Sed de populo* I*ſrael quid dicemus?* Nunquid *forſan ille non cognouit? Cognouit uel maxime: quanquam aduerſus ueritatem, excæcante inuidia, repugnauerit ſemper, atq; etiamnum repugnet.* Dixit *propter hoc* Moy*ſes prior quidem, ſed tectius et aliquanto occultius, pœnam infidelitatis eorum, in his uerbis, ex perſona domini.* Ego *dominus, uos filios* I*ſrael, ſi mihi fueritis inobedientes, uſque adeo deprimam: & populum* Gentilium, *quem uos quaſi nihilum & quaſi non populum reputabatis, ſic honorificabo & exaltabo, ut aduerſus illos odio ſitis, & indignatione commouendi intra uoſmetipſos, & inuidiam exerceatis aduerſus eos, quaſi iam uobis prælatos in ſalute: adeo ut ipſi eos*

iam inſequi debeatis, ſi ad eandem ſalutem uelitis pertingere. Et per populum iſtum, qui ut inſipiens olim reputabatur, ad iram uos adducam: quãdo illos uidebitis in ſalute, uobis quoq; factos priores. Eſaias autẽ poſterior poſt Moyſen, apertius etiã & clarius audet dicere, de Iſraélitici populi abiectione, et Gentilium aſſumptione, ſub hac ſententia, in perſona domini: Inuenerunt me (ait dominus) & ad cultum meum ſe conuerterunt qui me non ſolebant requirere, neq; meum nomen reuereri, cũ in idololatria uiuerent: palàm me illis exhibui et obtuli, qui me pro Deo ſuo non ſolent colere, nec tanquã ad Deum in neceßitatibus occurrentibus ad me recurrere. Ad populũ uero Iſraeliticum, uocem longe dißimilem loquitur, dicens: ſe continuo uelut apertis ulnis ſtetiſſe, in modum expectantis & præſtolantis, ad recipiendum eos in ſalutem, ſi ad fidem uoluiſſent conuerti. Verum illi credere recuſantes, etiam contradicere atq; repugnare ueritati, nihil formidarunt.

CAPVT VNDECIMVM.

Quærat forſan aliquis, ex ijs quæ iam de Gentium uocatione, & Iudæorum pro magna parte obſtinatione, diximus. Nunquid Deus in uniuerſum totum illum Iudaicum populum abiecit aut reprobauit, quem olim tam peculiarem ſibi populum habebat, & unice charum? Abſit ut dicamus, in uniuerſum filios Iſraél omnes, à Deo eſſe reprobatos. Alioqui & ego repulſus ſum atq; reprobatus qui ſum de filijs Iſraél, ſecundum carnis propagationẽ natus, ex ꝓgenie Abrahæ, ex tribu Beniamin. Nequaquam, inquam, Deus populum ſuum in uniuerſum repulit, ex quo multos adhuc ſaluandos prædeſtinauit atq; præſciuit. Neq; uero incommode poteſt huic loco accomodari, id, quod in ſacra hiſtoria de Helia legimus. Is enim (ut ex ſcriptura uos noſſe arbitror) cum ad mortem quæreretur ab impia Iezabel, falſa

exiſtimatione deceptus, in oratione ſua ad dominum, contra Iſraeliticum populum loquebatur, allegans neminem fuiſſe relictum præter ſe, qui Dei *eſſet uerus cultor.* Domine, *inquit,* Populus *iſte filij Iſrael, ſeruos tuos prophetas occiderunt, altaria in quibus tibi ſolita erant offerri ſacrificia, demoliti ſunt.* Ego *uero ex omnibus filijs Iſrael relictus ſum unus tui nominis cultor, & nunc etiam mihi quærunt uitam tollere.* Verum *diuina reſponſione admonitus, audiuit ſibi dicentē dominum.* Tu *te Helia ſolum putas relictum, cum ego mihi notos habeam uſq; ad plura milia, quos per gratiam meam ſeruaui, mei nominis ſolius cultores, qui nullum unquam honorationis, uel adorationis ſignum ſtatuæ* Baal, *neq; ulli idolo exhibuerunt, nullũ præter me Deũ agnoſcentes, aut adorantes. Sic (ut noſtro propoſito illam aptemus hiſtoriam) etiam nunc in hoc tempore gratiæ* Euangelicæ, *nihil dubitandum eſt: quanquam maiorem Iudæorum partem uidemus in ſua infidelitate permanere, tamen relictos eſſe, atque ſemper relinquendos fore, nonnullos ex uniuerſo populo Iſrael, quos* Deus *ſecundum electionē gratiæ ſuæ faciat ſaluos, ſic ut nunquam uniuerſum* Iudæorum *genus,* Deus *credatur in totum abiecturus. Si autem per gratiam* Dei *eligentis ſalui ſunt futuri, fiantq; ſalui:* Non *ergo ex operũ debito, eo modo quo ex legis ſuæ operibus olim quærebant ſalutem.* Nam *ſi ex operum debito ſaluarentur, iam id quod eſt gratia (nempe ſaluari) non eſt gratia: quoniam ex debito foret, quod repugnat gratiæ. Quid ergo dicimus? Aut quorſum hæc?* Vt *clareat nimirum quoniam totus quidem Iſraéliticus populus quod quærebat ex lege ſua, nempe iuſtificationem & ſalutem, non potuit aſſequi: uerum qui electi ſunt ex eis, tanquam reliquiæ quædam, pauci admodum in comparatione totius populi. hi demum, nunc tandem conſecuti ſunt per fidem, quod*

olim quærebant per legis carnalem obſeruationem. Cæteri uero qui non ſunt ad fidem electi in cæcitate ſua permiſſi ſunt & permittuntur à Deo. Sicut apud Eſaiam ſcribitur: quod illos Deus in mentem malitioſam, inuidam, atq; ueritati ex propoſito repugnantem, & conſimilem peruerſum affectum, uenire permiſerit, Unde factum eſt: ut oculos habentes, quæ Dei ſunt non uideant: & aures habentes, quæ ueritatis ſunt audire non ualeant, Inuidia nimirum, & oculos excæcante, & aures eis infeliciter obturante: quales in hunc uſq; diem, obſtinati permanent. Quorum miſeriam & infidelitatem, graphice depingit propheta Dauid: cum p increpationis modum, quid ſecundum diuinæ iuſtitiæ rigorem futurum ſit ijs qui Chriſtum impugnauerunt, imprecando prænunciat, dicens: Carnalium promiſſionum apparatus (in quas ſemper intentos habent mētis ſuæ oculos) fore illis in occaſionem mortis, tanquam laqueum, quo irretiantur ad perditionem, fore etiam illis in retributionem finalem, poſtquam non ſperent aliam, & in offendiculum, quod illos ab æterna faciet ſalute cadere: quia dum temporalibus inhærent promiſſis, cœleſtia & ſempiterna lōge meliora, negligūt. Obſcurabitur (inquit) acies mentis eorum: ſic ut ueritatem uidere nequeant, & ſemper ipſi in ima reſpicient, quomodo ſolent, qui dorſo incuruato incedunt: idq; uel temporalia ſemper bona reſpiciendo, uel ſub pondere, & ſeruitute legis grauiter ſudando. Quæ omnia ſic fieri aperte uidemus: quando propter temporalium promiſſionum reſpectum, in quem intendūt ex legis conſuetudine, Chriſtum abſq; illis uenientem contempſerūt, & ab æterna retributione ceciderunt. Et qui (ſi ueritati uoluiſſent acquieſcere) illuminari potuerant oculis, atq; per libertatem Euangelicam exonerari ab onere legis, in ſua cæcitate obſtinati permanent, obſcurati oculis mētis ſuæ, & dorſo

adhuc

adhuc incuruato, ſub pōdere legis ſudant. Sed iterū quærimus. Nunqd ſic offenderunt Iudæi in hac ſua obſtinatione, tantum ut caderēt, ſine ulla utilitate alia, aut ſine ſpe reparationis eorūdē? Non ita eſt, quoniam infidelitatem eorum conſecuta eſt, grandis eſt utilitas, & omnino eſt caſus reparabilis. Quorum prius quidem ex eo patet, quod illorum malitiam Deus conuertit in bonum: quando ex occaſione infidelitatis & malitiæ eorum ſalutem miſit populo gentium, Iudæis enim repugnantibus uerbo Euangelij. Apoſtoli ad gentes conuerſi ſunt, atq; ita, occaſione malitiæ Iudæorum, ſalus uenit gētilibus: ſic ut iam cogantur hos imitari & inſequi, tanquam apud quos ſalus uera inhabitet, & per hos illi prouocentur, ad ſalutem: quomodo olim contrario, Gentiles æmulabantur Iudæos eos inſequētes: & ab eis quodāmodo ad legem tranſeundo, ſalutis modum poſcentes. Quod autem nō ſit eorum lapſus irrecuperabilis, ita oſtenditur: quoniam ſi Iudæorum peccatum, occaſio fuerit quod mundus ſit ditatus, ſalute undequaq; diſperſa & circunfuſa, quæ prius in paruulo Iudææ loco deliteſcere uidebatur, & ſi credentium Iudæorum paucitas, occaſionem dederit, ut apud Gentes conuertentur plurimi: multo magis indubie & mundus ditabitur, & gentes honorificabuntur, ex illorum plenitudine, id eſt, ſi etiam ipſi conuertantur ad fidē, ut impleatur, tam ex Iudæis q̄ ex Gentilibus, ouile domini: quomodo futurum eſt in fine ſeculi, quando mundus (omnibus omnino in unam ueram fidem concluſis) copioſiſſime diues erit, undiq; pulſa egeſtate uerbi Dei, & eius atq; omnium ſpiritualiū bonorū abundantia, ubiq; redundante in uniuerſa terra. Neq; metuendum Gentibus de illorum reditu. Quinimo uobis Gentibus audacter dico & libere: quandiu ut ſum, permanebo Apoſtolus Gentium, miniſteriū iſtud mihi cōmiſſum, tanta diligentia propono exercere, ut etiā

ultra mihi cõmiſſos, quo ſit honorabilius, uelim extendere ad hoc, laborãdo (quantum in me erit) ut & Iudæi ſalutem cõſequantur: ut quoquo modo ad ueſtri æmulationem in bonum, ueſtramq; imitationem, prouocem illos fratres carnis meæ, & ſaluos faciam, uel aliquos ex illis. Omnino enim expetenda eſt, & uotis omnibus depoſcenda, illorum ad Chriſtum cõuerſio. Si enim illorum à Deo propter incredulitatem defectio, orbi penè uniuerſo occaſionem attulit reconciliationis, per ſancti Euangelij prædicationem, quæ ab illis repulſa in gentes pertrãſijt, quid tum eſt futurum, & quàm gaudenda res erit, ſi etiam ipſi rurſus aſſumãtur ad fidem? Nihil aliud ſanè, quàm ſi à mortuis quis ad uitam redeat. Hoc eſt: grãde illis reaſſumptis erit beneficium, & cæteris omnibus magni materia gaudij, nulli uero ullum exinde nocumentum: quomodo mortuo ad uitam redeunte, gaudent omnes, & nemo detrimentũ patitur. Et planè iuxta generis conditionem, non incongruum nec indignum uidetur, ut reaſſumantur aliquando Iudæi, ratione patrum ſuorum: quoniam delibationi meritò debet reſpõdere maſſa, & radici, qui ex ea procedunt rami. Iudæorũ uero populus, qui tanquam maſſa una reputatur, delibationem ſanctam habuit atq; fidelem: & ex ſancta radice, ipſi tanquam rami proceſſerunt, nempe ex Patriarchis & Prophetis, qui fuerunt fideles & Deo bene credentes. Ipſi enim ſunt delibatio & radix, totius maſſæ ab eis propagatæ, & omnium ramuſculorũ ab eis poſtmodum naſcentium. Talis ergo cum fuerit eorum origo, talis eorum delibatio, talisq; radix: non eſt, ob patrum merita, de eorum ſalute deſperandum penitus. Neque uobis Gentilibus, ulla ratione aduerſus illos, eſt ſuperbe aut contentioſe gloriandum. Eſto enim, ex illis ramis propter infidelitatem plurimi exciſi ſint, uos uero de oleaſtro ſterili aſſumpti: ex parentibus idolo=

latris progeniti, illorum loco inſiti eſtis & implantati bonæ oliuæ, ſecundum ſpiritum filij Patriarcharum facti, illis qui ſecundum carnem uidebantur exciſis, deinde radici aſſociati & coniuncti, per uirtutem fidei, participes facti eſtis ſpei promiſſionum cœleſtium illis factarum: Noli *tamen quiſquis ex* Gen*tibus credidiſti, ſuperbe gloriari aut contendere, aduerſus illos qui rami erant & exciſi ſunt*. Q*uòd ſi gloriari omnino uelis, dicetur tibi ad compreſſionem elationis tuæ quia non ſuper te (frater) radix plantata eſt, ſed tu ſuper radicem adiunctus es: atque ideo potes & tu excidi, atq; effringi, quemadmodum & illi effracti ſunt, & à radice ſua euulſi. Si rurſus contendis, dicens:* E*ffracti ſunt & exciſi rami illi tanquam inutiles, ut ego insererer:* R*ecte quidem dicis illos exciſos eſſe, ſed propter incredulitatem, non propter generis ſui abiectionem exciſi ſunt: quemadmodum & tu nunc ſtas, & in radice manes, ſed per fidem non ratione tui generis, aut alia quacunq; ex cauſa.* Pro*pter quod ne ſuperbe ſapias, nec tibi placeas nimium, ſed in timore age ſolicitus, ne forte & tibi contingat, à fide (quæ eſt* Dei *donũ) excidere, atq; ita ex bona oliua eijci. Si enim* Deus, *eos qui naturali carnis propagatione à uera radice, id eſt, ab ipſis patriarchis deſcenderunt, propter infidelitatem, ſecũdum rigorem iuſtitiæ ſuæ abiecit, & extra electorum numerum reprobauit, tibi quoq; metuendũ eſt, donec in hoc corpore agis, nequando idipſum contingat.* C*onſidera uero hic, & attentius intuere, ſimul in* D*eo, & miſericordiæ benignitatem, & iuſtitiæ ſeueritatem:* H*anc quidem, aduerſus exciſos reprobosq; infideles ramos, manifeſtius oſtenſam:* I*llam uero, in uobiſipſis ex* G*entibus conuerſis, qui illorum loco eſtis inſiti: ſi tamen permanſeritis uſque in finem, digne uiuentes illa benignitate: quã uobis præſtitit* Deus. A*lioqui & tu quiſquis fue-*

ris, ſine perſonarũ acceptione, eijcieris atq; reprobaberis. Sed & illi, ſi non permanſerint in ſua infidelitate, uelintq; reuerti ad fidem Chriſtianam, iterum reaſſumentur in bonam oliuã: & in fidelium numerum, unde exciderunt, rurſus deputabuntur. Neque enim tam impotens eſt Deus, quin illos iterum poſſit (ſi modo ipſi uelint) unde ſemel eiecit, inſerere. Si enim tu Gentilis, qui naturali propagatione, oleaſtri ramus eras, ab infidelibus parentibus, ſecundum carnem progenitus, inſitus es cõtra natiuitatis rationem, in oliuam bonam, filius patriarcharum propter fidem effectus: multo apparentius eſt de ijs, qui ſecundum naturalem carnis propagationem ab illis deſcenderunt, ut iterum inſerantur in ſuam oliuam: ſi reuerti ad ſuæ originis ſimilitudinẽ uelint: id eſt, ad fidem, quæ in patribus eorũ ſemper claruit. Ne uero ſitis in oculis ueſtris ſupra quam oportet ſapientes, ac (ut ſolent eiuſmodi) uobiſipſis nimiũ placẽtes, ecce occultum uobis pandam, de Iudæorũ in fine mundi reditu myſterium. Dico enim, ꝙ Deus cæcitatem ĩfidelitatis uenire ac manere permiſit ſuper bona parte populi Iſraelitici, donec plenitudo electorũ ex Gentibus, ad fidem intrauerit: atq; ita demum in fine ſeculi, pariter omnes cum Gentilibus in unam fidẽ reuertantur, ut fiat unum ouile & unus paſtor: iuxta quod ſcriptum eſt in Eſaia. Veniet ex Sion, qui eripiet & auertet, auferetq; & tollet peccata, à populo Iſrael. Et hoc à me diſpoſitũ eis teſtamentum tunc implebitur, cum per fidem, ipſis credentibus, dimiſero eis peccata eorum. Quod uaticiniũ, ſicut partim impletũ eſt in Chriſti primo aduentu, ita implebitur perfectius in fine mundi. Sunt ſanè modo ratione Euangelij, cui nolunt acquieſcere, ſub odio & ira Dei: manent tamẽ ratione electionis patrum ſuorũ, Deo apprime dilecti: ſi tantum uelint ad fidem ſeſe cõuertere. Quæ enim Deus ſemel dat uel promittit,

ſic facit ſine pœnitẽtia & retractione: ut quãtum ex parte eius eſt) non reuocet quod dedit, neque neget quod ꝓmiſit: niſi nos donis acceptis ipſi faciamus indignos aut obſtemus ipſi, quo minus in nobis impleantur promiſſa Dei. Quẽadmodũ enim uos qui olim nõ credebatis, nũc Dei miſericordiam inueniſtis, & fideles facti eſtis, occaſione incredulitatis Iudæorum: ſic & illi modo in Euãgelij gratiam & miſericordiam, quam uos creditis, credere recuſant. Vnde fiet: ut tandẽ cum ſe uiderint ſpe ſua fruſtratos, ad eandem gratiam cõfugientes, quam in uobis uident, miſericordiã inueniant. Ecce prolixiſſima deductione uidetis, quoniam admirabili & nouo conſilio, Deus omnes tam Gẽtiles q̃ Iudæos, incredulitate teneri permiſit: ut omnibus, ſuo tẽp ore miſericordiæ ſuæ impenderet beneficium. Gentiles quidem ſub tempore legis naturæ & Moſaicæ, ut in tempore nouæ legis uocarentur ad miſericordiam: Iudæos uero modo ſub tempore gratiæ, ut in fine ſeculi ad miſericordiam reuocentur. O profunditatem inexhauſtam theſaurorum inæſtimabilis ſapientiæ ac ſcientiæ Dei, q̃ ſunt modis omnibus incomprehenſibilia iudicia eius occultiſſima, & nimis admiranda, quibus omnia æquiſſime & rectiſſime iudicat, gubernat atq; diſpenſat: & uiæ eius rationesq; & modi, quibus agit omnia, prorſus à nullo inlellectu creato, ualẽt ullis perueſtigationibus inueniri. Nec enim quisq̃ eſt, qui propoſitũ diuinæ mẽtis, per ſe poſſit, aut potuit unquã, cognoſcere. Neq; à quoquã expoſcit cõſiliũ, neque cũ quoq̃, uelut minus per ſe ſapiens, cõmunicat ſua cõſilia, qui per ſe ſibi ſufficientiſſimus eſt, ipſa nimirum æterna ſapientia. Denique, quis eſt qui de hoc gloriari poſſit, quaſi Deo prior aliquid dederit, ut ſic ex debito accipiat retributionem? Nemo certe quicquam ei prior dare poteſt, quod non ante ab illo acceperit. Quoniam ex ipſo, tanquã omnis bonitatis fontali &

inexhauſto principio: & per ipſum, uelut, uniuerſale principium efficiens: & in ipſo, tanquam in fine ultimo & optimo, & conſeruante benigniſſimo, procedunt, efficiuntur, conſeruantur, & ſunt, quæcunque creata ſunt uniuerſa. Cui omnium creatori, laus ſit & gloria in æternitate. Amen.

CAPVT DVODECIMVM.

His itaque ſic compoſitis, & ſub peccato, ut nemo glorietur, omnibus concluſis: nunc demum ad ea quæ mores queant inſtituere, ſermonem paululum diuertamus. Oſecro itaque uos per eã miſericordiam, quã à Deo cõmuniter omnes qui crediđiſtis experti eſtis, ut corpora ueſtra, quæ hactenus uel gentilibus ritibus uel Moſaicis exhibuiſtis obſeruantijs, conuerſi ad fidem Chriſti, nunc exhibere ſtudeatis oblationem Deo, in opera nouæ uitæ, in omni ſanctitate: ſic ut placeat Deo, qui eſt omnis ſanctitatis & ueritatis amator. Sitq; amodo obſequiũ, quod Deo præſtare uultis: non ut olim gentium irrationabile, nec ut Iudæorũ carnale, ſed rationabile atque ſpirituale, ut Deum (qui ſpiritus eſt) ratione magis & ſpiritu, quàm corporalibus ſacrificijs, colere ſtudeatis. Et ne uitam ueſtram ducatis ad ſimilitudinem & modum hominum huius ſeculi, in uitijs & concupiſcentijs: ſed nouam uiuendi formam, ſecundum ſancti Euangelij doctrinam aſſumite, ſecundum nouitatem mentis ueſtræ, & ſpiritus, quam in baptiſmo accepiſtis, ut ipſo opere experiamini & experientia probetis, quid ſit quod fieri, aut omitti uelit Deus, quod bonum ſit, Deóque beneplacitũ ſuò acceptũ et perfectũ. Peculiariter autem, quantum ad ſuperbiæ uitium ſecũdum gratiam Apoſtolici muneris, quæ mihi à Deo eſt data, ut ſim fidelis, omnes uos hortor ac moneo: ne quiſquam de ſe ſentiat amplius quàm oporteat, néue ſibi quis nimium placeat. ſed hortor, ut ad mediocritatem quiſque de ſe ſapiat & ſentiat, ſecun-

dum id quod in ſe eſt, & eo modo quo oportet. Iuxta menſuram fidei, qualitatẽ uidelicet & quantitatem, quam à Deo accepit, nihil de ſe amplius præſumendo extra debitam menſurã. Quemadmodũ enim in uno corpore multa conſpiciuntur mẽbra, diuerſis deputata officijs, & operationes diuerſas habentia: ita fideles omnes, unum corpus componimus, cuius Chriſtus caput exiſtit, cuiusq; ſpiritu, totum corpus illud cum capite ſuo, in unum compingitur & coaptatur. Sumus uero membra inuicẽ cohærentia: habẽtes dona ſecũdũ multiformẽ gratiã Dei, quæ nobis: alteri hæc, alteri illa, pro Dei placito diſtribuitur, diuerſa quibus inuicem alter alteri deſeruimus. Sunt enim, qui prophetiæ donum ex gratia Dei acceperunt, quæ proportionari ſolet fidei eius qui accipit, per quam occulta fidei myſteria illuſtrati, recte capiunt & intelligunt: ut alijs quoque illuminandis, ipſi ſufficiant. Sunt alij qui adminiſtrationis cuiuslibet munus à Deo acceperunt: ſiue in ſpiritualibus, ſiue in corporalibus miniſterijs. Sunt, qui docendi gratiam habent, ut potentes ſint & alios docere, qui minus intelligunt. Sunt qui ex Dei dono, in ſuccendendo ad bonum fratrum animos, plurimũ ualent. Sunt quibus eſt, unde in ſimplicitate cordis ſui, ob Dei amorem, benigne et liberaliter ſuccurrant egentibus. Sunt quibus aliorum cura eſt à Deo commiſſa, ut ſibi creditis cum ſolicitudine inuigilent. Alij hoc à Deo acceperunt, ut quomodocunque iuxta ſuæ facultatis & uirtutis proportionem, miſericordiam præſtent: ſi non rebus, ſaltem animo, ijs qui miſericordia indigent. Eſtq; hoc donum Dei, ut in cordis hilaritate alacriter id queant agere, quod per ſe alioqui moleſtum eſt corpori. Deniq; uaria admodum & multiformia ſunt Dei dona. Veruntamen in omnibus ſemper dilectio adſit neceſſe eſt, eaq; ſine fictione, uera & integra. Sitis quoque, neceſſe eſt, in omni

bus ſemper declinantes à malo, omnem etiam mali occaſionem ſolicite fugientes, & bona diligentiſsime ac ſedulo ſectantes, charitate fraterna & amore mutuo, inuicem familiarius et uiſcerosius diligentes: ad fouendam mutuam beneuolentiam ſtudentes inuicem deferre, & modeſtis præuenire honorationibus: abſq; pigritia ſemper ſoliciti ac uigilantes: ſpiritu per dilectionem, ad quæq; bona feruentes: in omnibus quæ agitis, ſemper domino ueſtram ſeruitutem exhibentes: in cœleſtium expectatione ac ſpe gaudentes: in tribulationibus, propter ſpē uenturorum bonorum (ſiquæ occurrant pro Chriſti *nomine perferendæ) exhibentes illæſam patientiam, in orationibus aſsidui:* Chriſti *fidelium inopiæ, iuxta facultatis conditionem, de proprijs miſericorditer ſubuenientes:* Erga exteros quoq;, *hoſpitalitatis beneficium libenter & ſtudioſe exercentes.* Benedicite *ijs qui uos perſequuntur, eis, pro malis quæ ingerunt, precando bona.* Benedicite, *inquam, tanquam benedictionis filij, & à maledictione prorſus abſtinete, quæ ſeruis* Dei non conuenit, Cum *ijs qui ſpirituali & ſancto gaudio gaudent, pariter gaudete: et cum ijs qui in afflictionibus agunt, ex compaſsione pariter dolete.* Nam *inuidorum eſt, alijs gaudentibus contriſtari, & gaudere dolentibus proximis, quod* Chriſtianū *non decet.* Eundem *erga inuicem benignitatis affectum habentes, quod in proximo eſt, quaſi in uobiſipſis ſentientes aut idem ſentientes adinuicem, ut non ſitis in ſententia fidei diſſentientes:* Non ma*gna uobis, quæ ſupra uos ſunt, perſuadentes, nec ſublimia quærentes: ſed humilibus uos accōmodantes, humilibus uos adiungentes, humilia ſectantes.* Non *ſitis prudentes in oculis ueſtris, uobiſmetipſis per ſuperbiam uane placentes:* Nemini *unquam malum pro malo ex ira reddentes quod ſaluator uetuit: prouida circunſpectione curantes, ut quæ agitis bona nō ſolum* Deo

ſint accepta,ſed etiam coràm omnibus hominibus, in exemplũ ualeant lucere,ad gloriam Dei:ut ueſtro exemplo, cæteri quoque,ad boni æmulationem prouocentur. Quantum fieri poterit,cum omnibus hominibus pacem habere ſtudentes, ut(quantum in uobis eſt) nemini unquam iuſtam aut rationabilem turbationis aut iræ cauſam,detis. Non proprias iniurias uindicantes chariſſimi,nec uoſmetipſos de aduerſarijs per iram & uindictæ amorem ulciſci quærentes, quod Chriſtus uetuit: ſed cedendo potius,ira aduerſarij uincenda eſt, q̃ iracunda uindicta. Qui enim per patientiam,cedendo locum dat iræ:plerunq; aut iram declinat,aut frangit,ſedátque,aut minuit quàm reſiſtendo ac uindicando,magis exagitaſſet. Nam quod ipſi de noſtris iniurijs non uindictam debeamus per nos quærere, uox domini in cantico Moyſi loquentis,nos docet. Ad me, inquit, ſpectat uindicta, & meum eſt ulciſci: Mihi committe quod meum eſt, & ego ſuo tempore retribuam,ijs qui faciunt iniuriam. Quin immo ſi eſuriem patitur qui ſe tibi inimicum exhibet,ut Euangelicam conſequaris gratiam,accurate et ſtudioſe paſce illum: ſi ſitierit potum da illi:& ſi in alia qualibet egeſtate conſtitutũ uideris,pro tua facultate ſtudium ſit tibi illius indigentiæ ſubuenire. Sic enim faciendo,fieri poterit: ut illum lucrifacias,eiuſmodi beneficijs in tui amorem accendens,& in peccati ſui pœnitentiã inducens,quaſi carbonibus ſuper caput impoſitis atq; congeſtis. Non te permittas à malo uinci:ut illi cõſentias, malúmque pro malo reddas,ſed ſtude(quod melius eſt)in bonitate malum uincere,& mali aſperitatem atque ardorem,per bonitatatis dulcedinem mitigare atque extinguere. Malum enim, malo creſcit amplius:ſed bonum & uirtus facile uincit omnia.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Omnis homo uiuens in hoc corpore ſciat ſe ſubijci debere ꝑ obe-

dientiam & reuerentiam, prælatis à Deo in poteſtate conſtitutis. Non enim eſt ulla poteſtas, aut prælationis ueræ ſuperemi-nentia, quam Deus non inſtituit, cuius prælati omnes, legitimi ſunt uicarij: & illæ ipſæ quæcunq; ſunt poteſtates à Deo cõſtat eas eſſe ordinatas: & quæcunq; à Deo ſunt, recte ordinata atq; inſtituta ſunt & ſeruari iure optimo debent. Ac proinde cõcluditur eum qui obedire recuſans, poteſtati reſiſtit, non homini tantum, ſed magis diuinæ ordinationi repugnare: cum id quod Deus ordinauit & inſtituit, conatur infringere. Qui uero diuinæ ordinationi reſiſtunt, clariſsimum eſt eos hoc ipſo ſibi damnationem conciliare, pro ſuæ inobediẽtiæ demerito. Recte autem poteſtates à Deo inſtitutas eſſe atq; ordinatas, patet. Nam principes non ſunt dati ad timorem ijs qui operantur bonum, ſed ijs qui malum operantur. Si autem uelis non timere poteſtatem: & ab eius ſeueritate eſſe ſecurus, nihil opus eſt, niſi ut mala fugiens opereris quod iuſtum ac bonum eſt. Atq; hoc faciẽs, nõ ſolum nõ erit quod metuere debeas: quin & laudem & alia uirtutum præmia, pro honeſtis tuis actionibus, ab ea potius reportabis. Dei enim miniſter eſt à Deo, tanquam uicarius, ſuo in loco conſtitutus, tibi quidẽ et omni bene agenti in bonum, nempe in tutelam & defenſionem ab impijs oppreſſoribus. Si uero quod malũ eſt & iniuſtum feceris, eſt indubie cur timeas. Nec enim fruſtra, neq; pro nihilo, gladiũ portat. Dei enim uicarius miniſter eſt, ultionis gratia, ad exercẽdum iram & uindictam, aduerſus illos qui operantur quod malum eſt & morte dignũ. Atq; ideo quoniam Dei miniſter eſt à Deo conſtitutus, neceſſarium eſt omnino ut poteſtatibus ſitis ſubditi: non tantum propter euitandam illorum iram & declinanda ſupplicia, ſeruili quodam timore, ſed etiam coràm Deo ex dictamine cõſcientiæ ueſtræ, quæ hoc iuſtũ & ratione teſtatur. Quemadmodum uel

ex eo facile probari poteſt, quòd tãquam ſuperioribus, infrriores, illic tributa perſoluitis: quod ſanè ueræ eſt ſubiectionis ſignum. Sunt enim miniſtri Dei, *ab eo inſtituti, ab eo authoritatẽ habentes, & eius locum tenentes, ad hoc ipſum ſeruientes: ut loco* Dei *(quemadmodum ſupradictum eſt) & bonis ſint in tutelam, & malis in ultionem.* P*erſoluite itaq;, ut iuſtum eſt, omnibus ſua debita,* C*ui tributũ debetis, ſoluite illi: cui uectigal debetis, uectigal illi ſoluite: cui timorem & reuerentiam obedientiamq; debetis, ſoluite:* C*ui honorẽ debetis, ſicut debetis, ita ſoluite.* I*n ſumma, ad hoc laborate, ut quantum in uobis eſt & fieri poterit, nulli ſubtrahatis quod debitum eſt, non reddentes cũ poßitis: nec cuiquam ſitis debitores, omnibus ſua debita perſoluentes: niſi in ſola mutua dilectione, in qua ſemper uolo uos inuicem permanere debitores.* N*unquam enim à diligẽdo fratrẽ, liberi eſſe poſſumus aut debemus: ſed ad illam ſemper oportet eſſe obligatos.* G*randis enim & pretioſa res eſt dilectio.* N*am qui diligit proximum opere et ueritate ſicut oportet totam implet legem.* O*mnia enim hæc legis particularia mandata: non adulteriũ, nõ homicidium, nõ furtum facies:* N*on dices aduerſus proximum falſum teſtimoniũ:* N*on concupiſces rem proximi tui, ſiue rem quãlibet alienam, & cætera ſimiliter mandata, quæ proximum cõcernunt, in hoc uno generali præcepto, uelut capitulantur ſummatimq; colliguntur, & cõfirmãtur, quaſi ex ipſo robur habẽtia obligationis.* N*empe in hoc, diliges proximum tuũ, ſicut teipſum.* D*ilectio ſiquidem proximi, malum nos nõ permittit operari: & iniuſtitiam aduerſus proximum nõ patitur exercere eum, in quo ſecũdũ ueritatẽ infuerit.* I*taq; totius legis quædam plenitudo & integritas, una dilectio eſt: quia ipſa eſt, in qua implẽtur ſimul omnia, quæ lex quo ad proximũ obſeruanda præcipit.* A*tq; hoc, nempe dilectioni uacare,*

amplius modo nos cõuenit obſeruare: attẽdentes cõſiderãtesq́ cõditionẽ temporis in quo ſumus, quoniã iam nouißima hora eſt, & tẽpus ut à ſomno exurgamus, id eſt ab infidelitate, uel à torpore, uel etiã ab ocioſo legis cultu. Nũc enim appropinquauit regnũ celorũ, & ꝓpinquior eſt nobis noſtra ſalus modo, q̃ olim, qñ credẽdo expectabamus ſalutẽ adhuc uenturam, et per Chriſtum operandam, quam nunc credimus & ſcimus ꝑ Chriſti aduentum operatam & completam, nihilq́; reſtare amplius, quàm ut ſalutem operatam et oblatam, per fidem acceptemus. Noctis tempus iam abijt, & expirauit duratio eius: Id eſt, infidelitatis tenebræ & legalium obſcuritas, iam præterierunt, dies uero (qui eſt tempus lucis) iam aduenit, illuceſcente ſole iuſtitiæ, & claritate ſancti Euangelij, ubiq; radios ſuos ſpargente. Omni ergo ſtudio, & cura, tenebrarum opera à nobis abijciamus, deteſtantes & abiurantes uitia omnia & peccata, quibus in tenebris agentes cõmaculantur infideles. Pro his uero, ſtudium ſit nobis aſſumere lucis & fidei bona opera, uelut arma quædam, quibus induti & honeſtemur, & aduerſus impugnantium tela reddamur ſecuri: ut armis lucis induti, honeſtam ducamus conuerſationem noſtram, quemadmodum diei conditio expoſtulat. Ipſa enim conditio diei expoſcit, ut tunc honeſtius incedant homines, bonis ornati indumentis, q̃ in nocte, quando uel nudari prorſus uel uilioribus uti ſolent. Nõ iam ut olim guloſi comeſſationibus ſuperfluis et ebrietatibus indulgentes, neq; (quæ ex his cõſequi ſolent) luxurijs & impudicitijs uacantes: neq; cõtẽtionibus et æmulationibus, pro honorũ aut tẽporaliũ bonorũ aſſecutione, ꝑ ambitionẽ aut ꝑ auaritiã intẽdẽtes: quæ omnia non diei neq; lucis, ſed noctis et tenebrarum ſunt opera. Quin potius omnibus his abiectis, circundantes uoſipſos operibus bonis, ſic induite dominum Ieſum Chriſtum, ut in omni-

bus operibus ueſtris ipſe reluceat, ut illum glorificetis & portetis, etiam in corpore ueſtro. Et ante omnia cauete, ne ad perficienda carnis deſideria proni ſitis atq; ſoliciti: neue illi ad oĩa quæ concupiſcit implenda curam adhibere uelitis, quæ neceſſitatis ſunt illi miniſtrare contenti.

CAPVT XIIII.

Quoniã uero in totius eccleſiæ cœtu, alij fide ſunt robuſti & ualidi, alij adhuc infirmiores, iccirco quẽadmodum ad inuicem hi pacifice queant agere, nunc dicere pergamus. Eum itaq; qui ſecundum fidem adhuc infirmus eſt, & imperfectus, uos qui ualidiores eſtis & perfectiores, ne deſpicite propter infirmitatem, ſed aſſumentes fouete, donec creſcat ad perfectionem, non per diſceptationum ambages, cum illo contendendo, ſed in ſimplici manſuetudine illum ſuſtinentes, atq; in ſpiritu lenitatis inſtruentes. Sunt enim qui in Euangelica *libertate perfecte confidentes, nullum cibum reſpuant tanquam immundum: ſed ex fide* Chriſti, *audent ſine ciborum delectu quibuſlibet ueſci, quæ in macello uenundantur, aut in menſa apponuntur, cum gratiarum actione. Sunt imperfectiores alij, qui nondum perfecte* Euangelij *gratiam & libertatem agnouerunt. Qui ſic infirmi ſunt & imperfecti, ſinantur uel holus ſolum (ſi uelint) manducare, et in ſua imperfectione tolerentur ab alijs perfectioribus, nec ſtatim ob ſuam imperfectionem deſpiciantur. Qui manducat quæ appoſita ſunt ſine delectu, eum qui à cibo aliquo tanquam immundo abſtinet, non contemnat, ob ſuam imperfectionem: ſed potius in manſuetudine toleret imperfectionem fratris ſui.* Conſimiliter *is qui propter conſcientiam abſtinet ab aliquo cibo, caueat, ne quaſi tranſgreſſorem iudicet eum, qui ex libertate conſcientiæ, propter* Euangelicæ *libertatis gratiam, confidenter quibuſlibet ueſcitur. Aſſumpſit enim utrunq;* Deus *per-*

uocationem ſuam, ad eandem fidei gratiam. Tu igitur *quis es ô homo, ut iudices illum qui nõ ſeruus tuus eſt, ſed alienus, id eſt, domini à quo eſt aſſumptus? Siue ſteterit, ſiue ceciderit homo: domini eſt iudiciũ, & illius intereſt cuius homo ſeruus eſt.* Ipſe *uideat, & iudicet: tua nihil refert.* Stabit autem uterq;. Ille qui*dem in ſua conſcientia, atq; hic itẽ in ſua.* Potẽs eſt enim Deus, *unumquenq; in ſua conſcientia in fidei ſtabilitate conſeruare.* Salua *enim fidei unitate, fieri poteſt: ut alius imperfectior fide, diem à die diſcernat, iuxta legis ritũ, dierũ adhuc obſeruantias dijudicans, hoc nimirũ imperfectionis, ex* Iudaiſmo *ſecum gerens.* Alius *uero omnem diem ex æquo reputat, ſine legalium præſcriptionum obſeruatione.* In *huiuſmodi rebus, ſuo quiſq; iudicio perfruatur & ſuæ conſcientiæ quiſq; ſatisfaciat.* Neu*ter enim, ſi ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat, condẽnandus uenit.* Nã *qui diem diſcernit, & dierũ obſeruantiam legalem adhuc tenet ad* Dei *honorem (quem in lege ueneratur) id facere creditur.* Atq; *econtrario, qui dierum obſeruantiam negligit, ad* Dei *gloriam id ſimiliter facit, libertatem, quam contulit per filium, confidenter acceptans.* Et *qui ſine ciborum delectu quibuſlibet ueſcitur ad gloriam* Dei *id facit: quoniam poſtquam manducauit,* Deo *gratias de perceptis donis agit.* Atq; *in contrario qui propter conſcientiam legis abſtinet à quibuſdam, ad gloriam* Dei *id facit, ſecundum intentionem animi ſui, quem adhuc in lege reueretur: et gratias agit* Deo, *qui ſibi dat abſtinendi uirtutem, & alia ſufficientia abſque lege uetitis, quibus ſuſtentari poßit.* Sic *enim omnia ad* Domini *gloriã fieri debent à fidelibus.* Ne*mo enim hominum ſibi uiuit aut moritur, quaſi ipſe met ſibi ſit iudex aut dominus: ſed in omnibus ſemper, ſiue uiuimus, ſiue morimur, domini ſumus, et ſub illius ſtamus iudicio, tam in uita quàm poſt mortẽ, & eundem mortui atq; uiui debemus agno=*

ſcere iudicem. Ad hoc enim *Chriſtus ſecundum humanitatem mori uoluit, & tertia die reſurgere; ut per mortis paßionem, quatenus homo, mereretur reſurgens accipere poteſtatem iudiciariam, & plenum cum poteſtate dominium, ſuper omnes uiuos ac mortuos. Cum itaq; ſolus ſit in cœlis dominus cui traditum eſt cum poteſtate dominium: quæ eſt hæc præſumptio, ut quod* Dei *eſt, ſibi uſurpet homo, proximum ſuum iudicans propter eſum, aut ſpernens propter abſtinentiam?* Omnes *enim exhibebimur ante iudicium Chriſti, & ab uno iudice illo omnes pro meritis accipiemus ſententiam:* Non *autem inuicem, alius alij erimus iudices. Scriptũ eſt enim:* Viuo *ego, dicit dominus, quoniam ueniet dies, in quã me omnis creatura rationalis agnoſcet uerum dominum, mihiq; reuerentiã exhibebit ut uero domino: & omnis lingua dabit confeßionem* Deo*: ſiue miſericordiam ſaluantis collaudando, ſiue iuſtitiam condemnantis, ſecundũ conſcientiæ dictamen, comprobando.* Itaq; *unuſquiſq; noſtrum reſpondebit, & examinabitur de operibus ſuis, ante iudicium iudicantis* Dei. Ac *proinde, nos inuicem iudicare non debemus, quod* Dei *eſt, nobis uſurpantes.* Po*tius autẽ hoc apud ſeſe quiſq; indicet, curet, et prouideat, ne uerbo aut facto quicquam faciat, in quo offendi uel ſcandalizari poßit infirmior.* E*quidẽ credo, & certus ſum, & firmißime id mihi perſuaſum habeo in fide domini* Ieſu, *nullam eſcam, immo nullam omnino rem per ſe immundam eſſe, ut illius uſu qui libere utitur, poßit contaminari: tamen qui adhuc perſuaſum habet aliquam eſcam uel rem immundam eſſe, huic propter iſtam quam adhuc in* Iudaiſmo *tenet conſcientiam, illa eſca immunda reputatur: non quidem per ſe, ſed illi tantum, propter conſcientiam: qua ſtante, ſi manducauerit quod commune reputat, peccabit, & polluetur.* Atq; *horum infirmitati condeſcendendum eſt, hoc*

potiſsimum tempore, quo nondum plene innotuit Euangelicæ libertatis ueritas, plurimis adhuc ex conuerſis ad fidē, in legis obſeruantijs iſtis permanentibus. Si enim tu qui perfectior uideris, coràm infirmo, nimia libertate manducaris quæ ille reputat immunda, propter cibum tuum fratrem contriſtas, conturbas, offendis, aut ſcandalizas: illi dans occaſionē, immo (propter infirmitatem) cauſam te iudicandi, ut tranſgreſſorem: hac ſanè in parte, non ita agis ut Chriſtiana charitas expoſtulat. Noli (quæſo) per tuum cibum illum in peccatum mittere, uel ut te iudicet, uel ut de fide Chriſti dubium incurrat, quem tanti Chriſtus reputauit, ut etiam mori pro eo dignaretur. Nō ergo faciamus bonum libertatis noſtræ, infirmorum maledictioni et maledicentiæ obnoxium, quod certe fiet, ſi abſq; reſpectu, noſtra libertate in ſcandalum fratrum uti uoluerimus. Non enim in eſca uel potu ſitum eſt regnum Dei, nec cœleſte regnum per horum obſeruationem comparatur: ac proinde ſinantur infirmi, quibus uelint uti: nec pro hoc ita multum zelandum eſt, ut compellantur manducare quæ ſunt lege uetita, ſed perfecta uitæ iuſtitia, & pax ſancta cum omnibus, & internum gaudium in ſpiritu ſancto, hæc & modo regnum Dei intra nos efficiunt, et in futuro nos ad æternum regnum perducent. Qui enim ſic in his Deo ſeruit, iſta ſectādo, hic placet Deo & probatus erit ab omnibus, inter quos ſic ſancte conuerſatur. Nam iuſtitiam ſeruare illæſam, & pacem cū omnibus tenere in gaudio, ſine amaritudine: & Deo nos gratos faciunt, & hominibus quibuſcum conuerſamur etiam infidelibus, gratos & amabiles reddunt. Nos itaq; ut pacis filij, quæ ad pacem faciunt ſtudioſe inſequamur: quantum in nobis eſt, omnem turbationis cauſam auferentes fratribus: & ea quibus inuicem poſſimus ad bonum promouere: & ad profectum perducere, diligenter cuſtodiamus:

pro

pro nulla cauſa ulli dantes occaſionem ſcandali, aut peccati cauſam. Noli (*quæſo te iterum*) *opus quod* Deus *creauit, & per fidem ac baptiſmum modo quodam recreauit, propter eſcam tuã perdere, illum occaſione tuæ nimiæ & indiſcretæ libertatis, in peccati mortalis periculum conijciendo.* Equidem *non nego, quin munda ſint omnia, atque ob hoc omnia (quantum ex ſe) ad manducandum eſſe licita: ſed ſiquis cibum aliquem manducat cum infirmi fratris ſcandalo & offenſione, illi malum eſt, & ad uitium deputatur: non cibus ipſe qui editur, ſed libertatis ſuæ cum ſcandalo abuſus. Quanquam enim & caro & uinum nemo dubitet eſſe per ſe munda, ſi tamen in horum uſu, ex infirmitate frater quiſpiam ſcandalizatur, aut offenditur, omnino bonum erit etiam ab his licitis, propter uitandum fratris ſcandalum, abſtinere. Sicut & de alijs omnibus dicendum eſt, in quibus contigerit fratrem ſcandalizari, aut offendi. Eſto, fidem habes perfectam qua credis te poſſe propter* Euangelicæ *libertatis gratiam quibuslibet ſine peccato ueſci: fidem iſtam ſi habes, habe coràm* Deo, *in tua conſcientia, qui tibi remunerabit mercedem perfecte credentium. Cæterum ad fratris ſcandalum, aut cum fratris ſcandalo, caue utaris.* Beatus *eſt & iuſtitiã ſeruat, qui in eo quod tanquam bonum approbat, ſeipſum non condemnat, faciendo contra id quod bonum iudicat.* Exempli *gratia, qui tanquam bonum approbat, conſcientia dictante, nõ manducare hoc aut illud, iuſtitiam ſeruabit, ſi abſtineat ut dictat ratio: quam perderet ſi contra id quod probat ageret, manducando. Qui autem tanquam illicitum, quippiam diſcernit ac dijudicat: ſi hac ſtante conſcientia manducauerit, ſeipſum condemnationi facit obnoxium, contra conſcientiam mãducando, quod iudicabat illicitum & immundum.* Idq; *nõ ex ipſius cibi immunditia, ſed quia non ex fide, & contra eam quã intus ha-*

bebat ex ſua fide conſcientiam, egit. Omne autem quod contra conſciētiam fit, quā ex ſua quiſq; fide ſibi format: eo ipſo quod contra cōſcientiam, peccatum eſſe conſtat: etiam ſi res in ſe mali habeat nihil.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Illud autem fraterna charitas expoſcit: ut qui perfectiores ſunt inter Chriſtianos, infirmos cum manſuetudine & lenitate ſupportare debeant, in ſuis imperfectionibus: & non ſibiipſis ſuperbe placere, atq; ita fratres infirmos deſpicere, aut imperfectiones eis exprobrādo irritare, quod faciunt ſuperbi & ſupercilioſi homines, qui cæteros facili ex cauſa deſpiciētes, ſibiipſis nimium placent. Sit hoc omnibus cōmune ſtudium: ut quantum fieri poteſt cum Deo, quiſq; fratri ſuo placeat, in bonum: non per adulationem, ſed per ſanctam & pacificam conuerſationē, ut in noſtra conuerſatione ædificentur proximi. Nam ex charitate propter Deum laborare ad placendum proximis, res eſt magni meriti, non ſic autem in malum. Et quidem pro hac re, Chriſti habemus exemplum: qui nō ſibi ſuperbe placuit, ut nos deſpiceret, neq; quæ ſibi ſecūdum carnis fragilitatem erant placita, quæſiuit: ſed quæ humilia erant, & quæ carnis fragilitas horrebat, etiam aſpera improperia, pro nobis libēter ſuſcepit. Iuxta quod ſcriptum eſt: Ceciderunt ſuper me improperia, irriſiones, atq; illuſiones, eorum qui tibi in me exprobrabant, quā Chriſti uilipenſionem, nobis trahere debemus in exemplum. Quæcunq; enim ſpiritusſancti operatione, in ſcripturis à temporibus antiquis tradita ſunt, ad noſtram informationem & inſtructionem ſcripta fuere: ut per exempla patrum in ſcripturis nobis propoſita, patientia roborati, & conſolatione dulciſſimorum eloquiorum confortati, in ſpe noſtra firmi & ſtabiles in finem uſque permaneamus. Ipſum autem Deum,

cuius eſt ſolius donare patientiam & conſolationem ueram ſpiritus, precor: ut det uobis unum idemq́; ſentire cum inuicem, ut in eadem fidei ſententia ſitis & permaneatis omnes, ſecundum Chriſtum Ieſum, in ueritate: ut una eademq́; fide, quæ concordes facit animos, & uno ore eandem confeßionem fidei exprimente, ſic honorificetis Deum, qui eſt pater domini noſtri Ieſu Chriſti. Propter quod ſuſcipite inuicem, ac fouete per patiētiā: ſicut & Chriſtus uos aſſumpſit, fouitq́;, & cōdeſcendendo euexit, ad honorem & gloriam Dei. Nam de modo quidem, quo Chriſtus uos aſſumpſit, atq; ſuſcepit, dico Chriſtum Ieſum, circuncißionis (id eſt, populi Iudaici) à Deo patre miſſum fuiſſe & datum miniſtrum, & prædicatorem, & operatorem ſalutis, propter ueritatē Dei, qui fidelis eſt in omnibus uerbis ſuis, ad implendas in illo promißiones patribus eorum factas. Gentes uero, licet Chriſtum in carne, ſuæ ſalutis miniſtrū per ſe nō habuerint: tamen & ipſos dico Deum honorare debere, ſuper maxima ſibi gratia & miſericordia à Deo exhibita, nō minus quàm Iudæis, cum tamen nullæ ipſis promißiones neq; patribus eorum factæ extitiſſent. Quod olim in ſpiritu Dauid prævidens dicebat. Propterea confitebor tibi ſuper gentibus domine, & nomini tuo pro illis cantabo. Et alibi, dicuntur Gentes ſimul cum plebe electorum Dei gauiſuræ ſpirituali lætitia, poſt quā illis fuerint annumeratæ, Et alio in loco, cohortans gentes ad lætitiam, ſic eos in ſpiritu alloquitur. Laudate dominū pro exhibita miſericordia omnes gentes, laudate eum omnes populi nationū. Et alio in loco Eſaias dicit: Ex radice Ieſſe exurrecturum rectorem gentium, et principem populorum, in quē gentes ſperabunt. Deus autem ipſe, qui eſt tota & uera ſpes omnium credentium, abundare uos faciat copioſe, in omni gaudio & pace ſpirituali, per fidem rectam quæ ſunt tenenda ut

oportet credendo:ut abundet in uobis ex Dei liberalitate ſpes & fortitudo uera, quæ eſt à ſpiritu ſancto. Non autem id precor, quòd uobis illa penitus deeſſe exiſtimem. Perſuaſum enim habeo, & confido in domino de uobis: quòd & copioſe iam in uobis inhabitet uera dilectio charitatis: ſimul & ſcientia ſpiritualis: ita ut non ſolum poßitis per charitatem inuicem ſupportare, ſed per ſcientiam etiam ſalubriter monere, atq; ad perfectiora bonis inſtructionibus infirmiores adducere. Parcite uero meæ erga uos aliqua ex parte nimiæ audaciæ (ut cuiquam uideri poteſt) per quã, ego incognitus, uobis nunquam uiſis, tã prolixis literis præſumpſi ſcribere: non tamen quaſi ingnorantes uos inſtruens, ſed potius tanquã cõmonefaciens, de ijs, quæ uobis alioqui bene erant cognita. Quod autem feci, id feci, propter gratiam iſtam Apoſtolici muneris, quæ mihi à Deo commiſſa eſt: nempe ut ſim miniſter & Apoſtolus Chriſti Ieſu, in Gentibus, Euangelium Chriſti uelut rem aliquam ſacram, uerbo & exemplo prædicans & adminiſtrans: ut per mean prædicationem, Gentes omnes quas ei lucrifacio, eiq; uelut oblationem, offero, in fide perfecta & inſtitutione bonæ conuerſationis Deo placentes fiant, & ſanctificatæ in domino, in ſpiritu ſancto. Atq; in his ego meam gloriam conſtituo: non quaſi in meipſo, nec apud homines, ſed in Chriſto Ieſu, ĩ quo facta ſunt per me omnia, ante cõſpectum Dei, ad gloriam eius. (Nam de his quæ per me Chriſtus non effecit, nec audeo, nec uolo gloriari.) Gloria, inquam, mea, quam habeo ad Deum in hoc eſt, ut obedire faciam Gentes fidei: Idq; in uerbo prædicationis & in opere conuerſationis, & in uirtute edendi ſigna atq; prodigia, per uirtutem dono datam mihi à ſpiritu ſancto, ad confirmationem prædicationis meæ. Ita ut his medijs, uniuerſas regiones & loca omnia ab Hieruſalem uſque ad Illyricum, reple

uerim Euangelio *Chriſti, illud in eis prædicando ac notificando.* In Euangelio *autem prædicando, illud ſemper obſeruaui: ut rudiſsimis omnino prædicarem, qui de* Chriſti *fide nulla fundamenta ab alio prius acceperant.* Nõ *ubi ante me per alium eſſet prædicatus* Chriſtus, *nolẽs ſuper ea quæ ab alijs erãt incepta, ædificij mei ſtructuram* collocare: *ſed ijs qui à nullo alio quicquam ante audiſſent de* Chriſto. Iuxta *ſcripturam quæ de* Gentium *conuerſione loquens dicit.* Quoniam *illi quibus hactenus* Chriſtus *prædicatus non fuerat,* Apoſtolica *prædicatione edocti, cognoſcent eum, atq; ea quæ prædicantur creduntur q́; de illo.* Et *qui* Chriſtum *prædicari nunquam audierant, per* Apoſtolicam *doctrinam illuminabuntur lumine fidei, ut uideant, & credant in eum.* Quæ *res (nempe in loca in quibus nunquam audita fuerat fidei prædicatio inferre* Euangelium*) quanti ſit laboris nihil dubium quin facile perſpicitis.* Atque *his quidẽ negocijs, hactenus impeditus fui, quominus ad uos inuiſendos acceſſerim: & uſque modo non fuit per occupationes laborioſiſſimas, quæ mihi incumbunt, licitum, neque opportunum, ut uenirem ad uos.* Nunc *uero cum his in regionibus noſtra præſentia nihil ultra diſcipuli habeant opus, ſatis iam in fide inſtructi, & firmati, cunctisq́; rite diſpoſitis, cum in omnibus uicinarum regionum urbibus ian prædicationem abſoluerim, habuerim uero ab annis aliquot deſiderium uos aliquando inuiſendi, ſpero nunc compleri poſſe deſiderium meum.* Meditor *enim iter in* Hiſpaniam, *ut etiam illis,* Chriſtum *penitus adhuc ignorantibus, annunciem* Euangelium. Et *cum uenerit, ut iuxta propoſitum uerſus* Hiſpaniam *iter direxero: ſpero iſtac me facturum iter per uos, atq; ita in tranſitu uos uidere, & per uos deducẽdum illuc: poſteaquam aliquanto tempore apud uos permanſero, & in uobis fuero cõſolatus.* Nunc *autem proficiſci propo-*

no quantocyus in Hieruſalem,ad miniſterium fidelium paupe=rum,qui ſunt in Hieruſalem,deferendo illuc collectam pro eis eleemoſynam,ab eccleſijs Gentium. Conſenſerunt enim & uo=luerunt,me procurante ac ſolicitante,Macedones & Achaici, qui in temporalibus ſunt abundantiores,de ſuis facultatibus cõmunicare,& cõmunem collationem facere, pro eis qui inter fideles ſunt egentes in Hieruſalem,ad ſuccurrendum eorum ino=piæ. Sic enim eis placet,neq; nos ab illis extorſimus. Nec mi=rum ſi placuit, quoniam aliquo modo, quantum ad hanc rem, eis ſunt obligati ac debitores. Nam ſi ſpiritualiũ facti ſunt par=ticipes Gentiles,per gratiam Dei:quæ ex repromiſsione Iudæorum peculiariter uidentur: iuſtum eſt ut & de temporalibus, quibus abundant,his quibus in fide & ſpiritualium bonorum participatione facti ſunt ſocij,cõmunicent atq; impertiant,pro releuandis eorũ corporalibus neceſsitatibus. Vbi uero hoc mi=niſterium meum compleuero,& attulero,tradideroq; illis, iſtã quã collegi eleemoſynam,tum ſpero(ſi ita Deus uoluerit) per uos,in Hiſpaniæ partes interiores,ad illis quoq; prædicandum uerbum Dei,proficiſci. Confido autem in domino, & credo, quòd non erit ſpirituali fructu uacuus aduentus meus ad uos, ſed in copioſa benedictione Chriſti, in gaudio & conſolatione ſpirituali,ueniam ad uos. Hoc igitur, quo melius & celerius compleatur iuxta Dei uoluntatem, cui ſemper omnia conſilia noſtra ſubmittimus:obſecro uos fratres,per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum,& per charitatem Dei quæ eſt in ſpiritu ſan=cto,aut per ſpiritum ſanctum qui eſt charitas:ut ueſtris ora=tionibus apud Deum me adiuuetis,in hoc potiſsimum, ut libe=rer ab infidelibus,& peruerſis,quorum eſt in Iudæa bonus nu=merus, habent exoſum, eo quòd Gentiũ ſum Apoſtolus, quos non dubito mihi machinaturos malum,ſi poterint. Atq; etiam

ut oblatio mea iſta quam admniniſtrare pergo ſanctis in Hieru*ſalem, fiat placita & accepta:ut ſic tandem cunctis peractis, libere ad uos ualeam uenire cum gaudio,uolente* Deo,*ut uobiſcum & in uobis aliquid refrigerij & conſolationis in ſpiritu accipiam, cum inter uos exiſtens comprobauero ſynceritatem fidei ueſtræ,& conuerſationis uidero uirtutem.* Ipſe aũt Deus, *omnis pacis author, largitor, & amator, qui & ipſe tota & uera pax eſt,ſit ſemper cum omnibus uobis, per inhabitationẽ gratiæ ſuæ,ut uos uſq; in finem in ſuo amore cuſtodiat.*

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Tandem concludens epiſtolæ curſum cõmendo uobis Phœben *hanc fidelem mulierem huius epiſtolæ gerulam, quæ* Eccleſiæ Cenchræenſi *multa exhibet miniſteria, ac neceſsitatis obſequia ſanctis fideliter impendit,ut eam benigne ſuſcipiatis,cum omni humanitate & reuerentia in domino, ſicut fideles decet recipere inuicem, & ab inuicem recipi, & adiuuetis eam in ſuis negocijs, ſi in aliquo ueſtra opera indiguerit. Digna enim eſt ut hoc illi præſtetur, quoniam quidem multis ipſa adiumento fuit.* Id quod in meipſo quoque ſum expertus. Salutem dicite *meo nomine* Priſcæ & Aquilæ, *adiutoribus & cooperatoribus meis in fidei negocio, qui pro me & uita mea tutanda etiã mortis ſubiere diſcrimina, periculo mortis ſe expoſuerunt. Quibus hoc nomine,nõ ego ſolus gratias ago, ſed omnes etiã* Gentiũ *mihi creditæ eccleſiæ,quoniam quod mihi impendunt, omnibus eccleſijs profuiſſe cognoſcitur.* Et *familiam quæ in domo eorum eſt cõgregata fide ſanctificata, ut merito eam dixerim eccleſiam, ſalutat.* Epænetum *quoque mihi apprime dilectum, qui eſt uel primus uel præcipuus aut ex præſtantioribus eccleſiæ, quæ eſt in* Aſia *ſalutate in* Chriſto Ieſu, *ſalutatione ſancta. Salutate* Mariam *quam noſtis, quæ inter uos &*

pro Chriſti nomine multum laborauit. Salutate Andronicum & Iuniam cognatos meos, et qui ſimilem quam ego aliquando pertuli, captiuitatem ſuſtinuerunt, qui etiam paßionum toleran tia, uel prædicationis uirtute, digni ſunt qui pro Apoſtolis magnis habeantur, qui etiam ante me fidem acceperant. Salutate Ampliatum, mihi in domino chariſsimum. Salutate Vrbanum adiutorem meum in Chriſto Ieſu, & Stachyn dilectum. Salutate Apellem, in Chriſti fide probatum & laudandum. Salutate eos qui ſunt de ſamilia Ariſtobuli. Salutate Herodionem, meum cognatum, ſalutate eos qui de familia ſunt Narciſsi fideles in Chriſto. Salutate Tryphenam & Tryphoſam laborantes pro nomine domini. Salutate Perſidam chariſsimam, quæ pro nomine domini multos ſubijt labores. Salutate Rufum domini ſeruum electum & eius matrem, quam ego ut propriam meam matrem habeo, uenerabiliterq́; iubeo ut filius ſalutari. Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermen, Patrobam, Herman, & cæteros, qui cum eis uerſantur Chriſtifideles. Salutate Philogum & Iuliam, Nereum & ſororem eius, & Olympiadem, & qui cum his uerſantur omnes fideles. Salutate inuicem oſculo ſancto pacis ſpiritualis, quomodo nunc ego ſpiritu, licet abſens corpore, ueſtram dilectionem exoſculor. Saluto uos ego omnium eccleſiarum Chriſti mihi commiſſarum, & ſubditarũ nomine, tanquam earum Apoſtolus. Vnum uero adhuc reſtat, quod antequam ſermo claudatur, omnimodis admonendũ uidetur. Obſecro autẽ uos fratres, ut magna diligentia & obſeruatione attendatis, & magna cautela timeatis, ab ijs qui diſſenſiones ſuſcitant & offendicula ponunt, turbationem excitantes paci & concordiæ fidelium, nitendo docere contraria fidei catholicæ, quæ ſecundum ueritatem à ueris prædicatoribus & Apoſtolis docetur, & ab ijs quos tales agnoueritis, tanquam à

peſtiferis ſeductoribus, declinate. Huiuſmodi enim homines, Chriſto domino ſuo nõ ſeruiunt, nec illius gloriam aut lucrum quærunt, ſed gulæ & uentri: & per adulationes & aſſentatorias ſuas blandicias, quibus præualent adulatores illi peßimi, mellita uenena guſtantes in ore, animos ſimplicium frequenter ſeducunt à uia ueritatis, mittentes in erroris deuia, Omnino autem uobis ab eiuſmodi eſt attendendum. Nã obedientia ueſtra, qua tam prompte & ſynceriter uos ſubdidiſtis fidei & Euangelio, *ubiq; locorum fama uolante diſpergitur, ad ueſtri commendationem. Quo uobis magis cauendum eſt, ne ueſtro bono nomini, impoſtores illi maculam inſtrant. Gaudeo igitur, in ijs qui de uobis narrantur bonis, ſed ut ſolidum ſit & uobis hoc bonum, & mihi meum hoc gaudium, opto & moneo uos in bono cautos eſſe ac prudentes: ut quod ſemel recte accepiſtis, non facile uanis perſuaſionibus dimittatis: ad malum autem ſitis ſimplices ac rudes, quaſi neſcientes male agere.* D*eus autẽ pacis, qui uos uocauit, ipſe per ſuam gratiam, celerem uobis & facilem dabit perſeuerantibus, de hoſte triumphum: ut non ſolum, non illi ſitis per peccata ſubditi; uerumetiam abundantes operibus bonis, illum contemnentes & conculcantes, ſub pedibus ueſtris. Sit uobiſcum in auxilium, gratia domini noſtri* Ieſu Chriſti*. Salutat uos qui mecum eſt* Timotheus *præcipuus adiutor meus in negocijs fidei, præ omnibus promptus & ſolicitus, &* Lucius *&* Iaſon, *&* Soſipater *cognati mei. Saluto uos ego ſeruus* Dei Tertius *nomine, qui hanc epiſtolam charactêribus, dictante* Paulo, *deſcripſi nomine domini. Salutat uos* Gaius, *apud quem hoſpitor: & uniuerſa quæ hic eſt fidelium eccleſia, ueſtram* Romam, *quaſi ſororem ſalutat. Salutat uos* Eraſtus, *noſtræ ciuitatis receptor (qui uulgo dici ſolet) & alius quidam fidelis cui nomen eſt* Quartus. *Gratia domini noſtri*

Ieſu Chriſti, ſit cum omnibus uobis. Amen. Ei *autem qui potens eſt per gratiam ſuam uos confirmare in fidei rectitudine, ſecundum* Euangelium *quod mihi eſt commiſſum, & prædicationem de* Ieſu *Chriſto, iuxta reuelationem myſterij redemptionis humanæ, per incarnationem filij* Dei : *quod hactenus nunquam prædicatum, nunquam propalatum, ſemper fuit in ſecreto diuinitatis conſilio, menteq́; diuina tacitum, et occultum, nunc autem cognitum, ſecundum æterni* Dei *beneplacitum, temporibus iſtis, quibus omnes gentes uoluit ſub obedientia fidei ſubdere, quod nunc eſt patefactum, oſtenſumq́; ac confirmatum per ſcripturas* Prophetarum, *quas nunc (ſpiritu ſancto illuminante) cognoſcimus multo ante de ijs quæ in hoc tẽpore uidimus impleta, prædixiſſe:* Ipſi *inquam ſoli ſapienti* Deo, *per* Ieſum *Chriſtum, ſit honor et gloria in ſecula ſeculorũ.* Amen.

Finit *Elucidatio in* Epiſtolam *ad* Romanos
Beati Pauli Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM
in Epiſtolã ad Corinthios priorẽ Beati Pauli Apoſtoli.

COrinthij, *accepto ab* Apoſtolo *uerbo Euangelij, in uarios poſtmodum errores, partim à mundi ſapientibus, partim ſuo uitio inciderant.* Nam *primum quidem odioſis adinuicem contentionibus, uane gloriando pro hominibus, uacabant: quos in ipſo ſtatim epiſtolæ initio redarguit* Apoſtolus, *iterumq́; in tertio replicat, aſſerens indignum eſſe, ut pro hominibus contenderent, qui in unius Chriſti nomine eſſent (licet per diuerſos miniſtros) ba-*

ptizati. Erant deinde, qui ſimplicitati & humilitati Apoſtolicæ prædicationis minus fidentes, ſeculari ſapiẽtiæ curoſius intenti, uehementiusq́; affecti, doctores eiuſmodi ſibi conquirebant: propter quos, de ſecularis ſapientiæ, & omnis mundanæ ſubtilitatis reprobatione, poſt medium primi capitis totus ſermo texitur, uſq; ad caput tertium: declarando, quemadmodum Deo ſic fuit beneplacitum, ut per Apoſtolicæ prædicatiõis ſimplicitatem, mundus ad ueram Dei cognitionem adduceretur, quod per mundi ſapientiam fieri non potuit. Et quia ex contentionum acerbitate ad hoc etiam procedebãt Corinthij, ut ſuum quiſque electum præceptorem præferre cupiens, cæteros iudicare præſumeret: idcirco quarto capitulo, Deo ſoli iudicium docens competere, homines monet ante tempus non iudicare. Cũ nec ſibi quiſq;, iudex eſſe queat ſufficiens. Eam tamen quam ſecundum corpus propter Euangelium patitur utilitatem, tanquam filijs chariſſimis, propter fouendam charitatem, ſine uerecundia proponit. Acciderat quoq; facinus inter eos abominandum, ut patris ſui uxori quidam commiſceretur, cæteris peccati correctionem diſſimulantibus, aut etiam per mundi ſapientiam defendẽtibus. Quos acriter obiurgans, monet quãtocyus fornicarium illum è cœtu fidelium eijci, & Satanæ tradi in interitum carnis, ut ſpiritus ſaluus ſit ĩ nouiſſimo die. Atq; huius occaſione, uniuerſali de omnibus conſtitutione ordinat, Chriſtianos in manifeſtis peccatis uiuentes ac permanentes, uitari debere à cæteris, ut per confuſionem, ad rectam uiam reuertantur. Nihil interim de illis qui ſunt extra eccleſiam præſcribens, quos diuino iudicio relinquit. Atq; hæc quidem, capite quinto. In ſexto autem, illos arguit qui propter lites pecuniarias, ac cætera temporalia, iudicia accedebant infidelium, non ſine ſcandalo & dehonoratione nominis Chriſtiani: monens, ſi quæ occur-

rant ſuper huiuſmodi difficultates, ut à Chriſtianis cũ pace & quiete terminentur, potius q̃ ad infideles deducantur: ubi rurſum ad fornicationis deteſtationem reuertens, eius turpitudinem aperit: & quàm ſit Chriſtifidelibus, qui per ſpiritum ſanctum facti ſunt templum Dei, *res illa fœdiſſima fugienda, manifeſtat.* Interrogauerant *autem* Corinthij *Apoſtolum de quibuſdam, quæ ad matrimonium, & diuortium, & ad uirginitatem pertinent:* Quibus *omnibus, capite ſeptimo, prolixe reſpondet, matrimonium quidem ut licitum, & contra fornicationem indultum remedium, non prohibens:* Virginitatem *tamen, ut maius bonum, magisq́; à* Deo *indiuulſe adhærendum utile, præferens ijs, qui matrimonio iuncti ſunt, ut ſolutionem non quærant, præcipiens ijs, qui liberi ſunt: ut ſe in matrimonij uinculum non conijciant, fideliter conſulens, tanquam miſericordiam conſecutus à domino.* Adhæc, *erant inter* Corinthios *in fidei ſcientia perfecti nonnulli, qui ſcientes nullum eſſe per ſe communem cibum, paſſim ſe ingurgitabant idolothytis:* Idq; *non ſine proximorum infirmorum ſcandalo.* Quorum *ſcientiam, quòd charitas adiuncta non eſſet, capite octauo damnat* Apoſtolus: *eosq́; à ſcãdalo uſque adeo deterret, ut ſe dicat malle inæternmm à cibo quolibet abſtinere, quàm per eſum quẽquam ſcandalizare.* Atq; *huius rei occaſione, ſeipſum in exemplum proponens.* Nono *capitulo declarat, multa ſibi eſſe licita, & iure tam diuino quàm humano permiſſa, quæ tamen propter euitandum ſcandalum ſe nolle facere proteſtatur, ne quod offendiculum contingeret* Euangelio *Chriſti: ſimilitudines eorum qui in ſtadio currunt, & qui certant in agone, adiungens ad perſuaſionem.* Adducit *ad idem capite decimo, patrum exempla terribilia ad correptionem poſterorum ſcripta, ne ſibi ſatis eſſe putent quòd Chriſti ſint baptiſmo abluti, & fidei myſterijs initia-*

ti, ſed ut in timore uiuentes, proximorum ſcandalum & Dei offenſam, potißimum autem idololatriam caueant, commoneſacit attentius: A qua prorſus immunes non eſſe declarat, eos qui in idolorum templis recumbentes, menſæ dæmoniorum participant. Atq; ita rurſus, ad dehortandum à ſcandalo & offenſione proximorum, in fine capitis concludendo reuertitur. Poſt hoc, undecimo capitulo, quemadmodum ſe in oratione publica gerere debeant, utriq; ſexui præſcribit, uiris, ut capite orent prophetentq́; non uelato. Mulieribus, ut uelamine in ſubiectionis ſignum caput operiant, ſerio, nec ſine ſeueritate denunciat. Atq; id quidem, ferè uſque ad capitis medium, poſt quod eam, quæ iam incipiebat pullulare, prauam conſuetudinem, in conuentionibus (quas ex more ad manducandum domini cœnam faciebant) acri obiurgatione deteſtans, corrigere ſatagit, quoniam uidelicet ad contentiones & odia, mutuumq́; contemptum, & pauperum confuſionem, conuentiones faciebãt: quas ad pacem & concordiam, charitatis quoq; promotionem, & pauperum conſolationem facere ſolebãt, & intertinere ſic debuerant. Quas publicas conuentiones, ut cum reuerentia & charitate fieri perſuadeat, inſtitutionem ſanctißimæ Euchariſtiæ, ſicut à domino accepit, ita clare & aperte eis deſcribit, ſimul & de eius indigna ſumptione terribilia proponens. Atq; in hoc, undecimum clauditur capitulum. Quoniam uero in ſpiritualibus ſufficienter edocti non erant, longe eos ac late de ſpiritualibus, inſtruit ſpiritualis Apoſtolus: per tota tria duodecimum uidelicet, decimumtertium, ac decimum quartum capitula. In duodecimo quidem, de gratijs gratis à Deo datis, in utilitatem eccleſiæ ſub analogia corporis naturalis, diuerſorum officiorum diuerſa membra habentis. Decimotertio, charitatis gratiam præponit omnibus. Decimoquarto, de prophetiæ

eminentia ſuper donum linguarum pertractat, linguas in ſignum dicens infidelibus, prophetiam uero fidelibus datam, in ædificationem: ſimul & ordinem in horum donorum uſu congruum (mulieribus impoſito ſilentio) præſcribit, ut omnia honeſte fiant & ſecundum ordinem. Quoniam uero inter Corinthios exurrexerant quidam præſumptores, qui ſapientiæ carnali & ſcientiæ mundanæ innitentes, reſurrectionem mortuorum non eſſe futuram aſtruebant, ſimplicium animos mundanis rationibus perturbantes: Iccirco capitulo decimoquinto, uelut per præfationis modum Euangelicæ prædicationis firmitate & authoritate præmiſſa, ad ueritatem futuræ reſurrectionis aſtruendam, accedit: ubi ex ijs quæ in natura & ſecundum naturam fiunt, ea quæ ſupra naturam diuina ſola uirtute fienda ſunt, poßibilia demonſtrat: utpote ex ſeminis mortificati fructificatione, corporis defuncti atq; ſepulti reſurrectionem: ubi & reſurrectionis myſterium & mortis proſtrationem, patefacit apertius. Demum de collectis pro pauperum Hieroſolymitanorum ſubleuatione, per unam ſabbati, & alia quædam familiaria commonefaciens, ita claudit Epiſtolam.

Finit Argumentum in Epiſtolam ad Corinthios priorem.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD *Corinthios priorem beati Pauli Apoſtoli.*

CAPVT PRIMVM.

PAulus *ſecundum* Dei *uoluntatem uocatus, ut eſſet* Apoſtolus Ieſu *Chriſti, & Soſthenes frater ſcribunt, ſalutéq; precantur congregatis in Chriſto fidelibus* Corinthi*, per* Ieſum *Chriſtum ſanctificatis à peccato, uocatis ad uitæ ſanctimoniam, et uniuerſaliter omnibus de puro corde inuocantibus nomẽ domini noſtri* Ieſu *Chriſti, ubicunq; locorum conſiſtant, ſiue hoc in loco noſtro, ſiue in alio quolibet ſuo loco.* Vobis *igitur omnibus ſit gratia & pax à* Deo *patre noſtro, et domino* Ieſu *Chriſto.* Non *ceſſo gratias agere* Deo *meo, ueſtro nomine: propter gratiam* Dei*, quæ per Chriſtum uobis eſt data. Abundantes enim facti eſtis per illum, in omnibus quæ uere ſunt ſpiritus bona: in uerbo, inquam, prædicationis, quod uobis plene & ſynceriter eſt adminiſtratum, & ſpirituali eius intelligentia: quibus Chriſtiana fides corroborata eſt, atq; fundata in uobis. Adeo, inquam, abundantes, ut nullius gratiæ ſpiritualis egeſtatem patiamini: expectantes inſuper aduentum domini noſtri* Ieſu *Chriſti, quando omnium plenitudinẽ accipietis copioſiſſime. Qui uos interim perſeuerantes faciet uſq; in finem in omni bono, uſq; in diem aduentus eiuſdem, abſq; omni crimine, quod uobis poſſet in illo die ad damnationem obijci.* Deus *enim fidelis adiutor eſt, ut non ſine cauſa uobis ſubtrahat ſuum auxilium: per quem uocati eſtis ad participandum hæreditatem filij eius,* Ieſu *Chriſti domini noſtri. Per hoc ipſum itaq; tam uobis merito gratiſſimũ nomen, obſecro uos fratres mei, ut ſine ſectis & diuiſionibus,*

idem & dicatis ore & ſentiatis animo: Sitis autem non diuiſi ab inuicem ſed in unum compacti atq; perfecti, quaſi unũ corpus integrum & continuum, in quo nullus ſit hiatus & nulla diuiſio, unius mentis, & eiuſdem in fide ſcientiæ atq; ſententiæ. Quod autem iſta in ipſo ſtatim epiſtolæ initio uobis ſcribam, hæc eſt ratio. Nam indicarunt mihi qui ſunt de familia Chloes, exoriri atq; exortas eſſe inter uos contentiones odioſas, quæ unitati fidelium ualde aduerſantur. Hoc autem ego uoco contentionẽ, quod ſinguli ueſtrum gloriamini: alius in Paulo, alius in Petro, alius in Apollo, alius (ſi quis eſt perfectior) in Chriſto tantum: atq; hoc, propterea quòd à diuerſis ſitis baptizati. Sed nunquid diuerſi & plures ſunt Chriſti? Immo unus eſt, in cuius nomine omnes eſtis baptizati. Sed neq; Paulus pro uobis crucifixus eſt neq; Cephas, neq; in nomine alicuius noſtrum baptizati eſtis: quare fruſtra pro nobis contenditis. Inter uos, neminem baptizaui (quod ſciam) niſi Criſpum & Gaium, & familiam Stephanæ, neq; conſtat mihi de pluribus. Atq; hac parte gratias ago Deo, quòd paucos baptizans, abſtuli uobis occaſionem ſic pro me contentioſe gloriandi: ne dicatis, quòd in meo nomine ſitis baptizati. Iccirco autem non multum curæ fuit mihi plurimos baptizare, quoniam dominus non me miſit præcipue ad baptizandi implendum miniſterium, ſed potiſſimum ad euangelizandum. Atq; id, non in uerborum ſapientia, aut ſermonis ornatu, ut crucis Chriſti gloria non pereat, neq; imminuatur. Stultitiæ enim crucis Chriſti & ſimplicitati humilitatis eius, non conueniunt uerborum phaleræ. Nam uerbũ crucis, perituri ac peruerſi homines ſtultitiã reputant: illi uero quos ad ſalutem prædeſtinauit Deus, cuiuſmodi ſumus nos qui credimus in eum, uirtutem Dei (quæ in uerbo crucis eſt ad ſaluandum omnes credentes) agnoſcunt. Scriptum eſt enim: Deſtruam

ſtruam ſapientiam eorũ qui mundo ſapientes uidentur, & prudentiam prudẽtium huius ſeculi ego retrudam atq; proijciam. Vbi eſt ô ſapiẽs mundi, ô ſcriba legis doctor, ô diſputator quæſtionum ſecularium, gloriatio tua? Profectò ſtultam comprobauit Deus ſapientiam omnem huius ſeculi. Euangelicam donans ueram ſapientiam. Quia enim mundus, iuxta quod oportebat de Deo ſapere, non potuit per ſecularem ſapientiam Deum ſufficienter agnoſcere, uiſum fuit Deo, mediante prædicationis ſtultitia, credentes ad ſalutem adducere. Stultitiam dico: quia Iudæi (propter conſuetudinẽ) non niſi ſigna quærunt, & Græcis nihil placet præter ſapientiam, quæ in crucis ignominia, uidentur non poſſe reperiri. Nos autem, qui crucis Chriſti agnouimus uirtutem, audacter proclamamus, & prædicare nec erubeſcimus nec formidamus, Chriſtum crucifixum, Iudæis obſtinatis factum offendiculum, ad quod impegerunt: infidelibus Gentilibus, ſtultitiam reputatum: ijs autem qui ſunt ad fidẽ uocati, tam ex Iudæis quàm ex Græcis, Dei uirtutem, ſolam ſaluare potentem, & æternam patris ſapientiam. Quoniam ſtultum hoc à Deo nobis datum, quod ſeculares homines ſtultum reputant, uincit omnem humanam ſapientiam. Et infirmum illud nobis à Deo datum, quod infidelibus infirmum uidetur, uincit omnem humanam fortitudinem. Immo uero cogregationem ueſtrã ſi perſpexeritis, paucos numerabitis inter uos iuxta mundum potentes, ſapientes atq; nobiles. Sed quæ mundus ut ſtulta deſpicit, elegit Deus: ut per eos mundi ſapientes reddat confuſos, partim quidem hoc tempore, ſed in nouiſſimo plenius. Itẽ mundi inualida, ut fortia quæq; confundat, & ignobiles cõtemptibileſq;, & eos qui ſunt tanquam nihilum reputati, & infirmos hominum, ipſe elegit ut eos, qui aliquid uidentur eſſe confundat, ut uanam oſtendat gloriam omnis hominis qui in car-

bus nititur, & ſecundum naturæ curſum omnia iudicat, neque quam principes huius ſeculi, ſiue dæmones, ſiue præſtantes cæteris philoſophi: adinuenerunt, quos non ſaluabit ſua ſapiētia, cuiuſmodi ſunt artes magicæ & ſcientiæ naturales: ſed ſuperhumanam, ſupernaturalem & prorſus diuinam loquimur ſapientiam, in occultis ſanctisq; fidei ſacramentis: quæ eſt occulta & abſcondita, nec per ſe patens, niſi à Deo *reueletur*. *Quam ab æterno* Deus *præparauit, diſpoſuitq; ſuo tempore, & complere in opere, & manifeſtam facere, ut per eam nos ad gloriam perducamur, quicunq; per fidem, illam acceptamus. Sane abſcondita eſt hæc ſapientia noſtra, cuius ſubtilitatem ſublimitatemq;, nec ipſi dæmones qui mundo dominabantur, neq; ſapientiores in populis ulli, potuerunt per ſuam ſubtilitatem comprehendere*. Alioqui *ſi cognouiſſent dæmones, nunquam ad Chriſti crucifixionē inſtigaſſent* Iudæos: *& ipſi ſcribæ ac principes, ſi abſque cæcitate cordis uere cognouiſſent dominū eſſe gloriæ quē ad mortem poſtulabant, futurum non erat, ut illū cruci affigerent*. Nemo, *inquam, principum huius ſeculi, ſapientiam* Dei *cognoſcere per ſe potuit: iuxta ſcripturæ teſtimonium, dicentis: quod neque oculo, neque auribus (id eſt nullo ſenſu) ſentiri potuerit, neque ratiocinando, aut cogitando, humana ratio comprehendere potuerit, aut cognoſcere, quænam illa ſint quæ* Deus *præparauit ijs qui ſe diligunt: nunc quidem in interioribus gratiæ donis, & in futuro, in perfectione gloriæ ſuæ*, Sed *quod nec ſenſu potuit, nec ratione inueniri, nobis eſt à* Deo, *deſuper miſſo ſpirituſancto, reuelatum: qui cuncta diuina conſilia optime peruidet, quantumuis etiam occulta. Quemadmodum enim nemo nouit quæ in homine latent, cogitationes atq; cōſilia, niſi mens hominis quæ in ipſo eſt & cui illa quod in ſe tenet ſignificare uoluerit*: Ita *conſilia* Dei *ſolus*

nouit ſpiritus eius, & quibus ſpiritus ille uoluerit: reuelare. At hunc Dei *ſpiritum, qui ex* Deo *eſt, & quæ* Dei *ſunt edocet eos quos inhabitat, nos accepimus qui in* Chriſtum *credimus: non talem, qui nos ea quæ huius mundi ſunt (id eſt, ſapientiam ſecularem) edoceat: per quem* Dei *ſpiritum agnoſcimus & intelligimus dona* Dei, *gratiam nimirum & gloriam futuram, quæ iam, uel in re uel in ſpe, donata ſunt nobis.* Quæ *etiam, ut cognoſcimus, prædicamus, uerbis non utiq; ad doctrinam humanæ ſapientiæ compoſitis, ſed ad ſpiritus doctrinam accommodatis. Spiritualibus enim edocendis myſterijs, accommodanda ſunt uerba item ſpiritualia, & ſpiritualibus auditoribus, accommodamus ſpirituales doctrinas.* At *uero animales homines, ſpiritum non habentes, nequeunt intelligere ſpiritualia, ſed ea ſtultitiam æſtimant.* Idcirco *autem nequit animalis intelligere ſpiritualia, quia ſpiritualiter dijudicari debent, non ad humanæ ſapientiæ regulas, aut ſenſuum demonſtrationes. Spiritum autem habentibus, facile eſt omnia quæ credenda ſunt examinare & dijudicare.* Quippe *qui lumen in ſe habeant ſpiritus in quo uidentur, fiuntq; credibilia.* Ipſe *autem à nemine poteſt condemnari, quatenus ſpiritualis eſt.* Nam *qui iudicare debet ſpiritualem, quatenus huiuſmodi eſt, hunc neceſſe eſt ſpiritu* Dei *aut ſapientiorem eſſe aut maiorem. Sed iuxta ſcripturam:* Nemo *hominum, conſilia per ſe nouit ſpiritus* Dei: Neq; *prior eſt quiſquam ſapientia, qui poßit eum inſtruere.* Nos *uero conſilia Chriſti & eius mentem optime nouimus, ab ipſius nimirum ſpiritu edocti, inſtructi, & illuminati.*

CAPVT TERTIVM.

Et ego fratres mei, propter ueſtram imbecillitatem, non potui uobis ſublimia Dei, *quaſi prorſus ſpiritualibus, ipſo primo acceſſu proponere, ſed quaſi carnalibus magna ex parte, mihi neceſ*

ſe ſuit ueſtræ fragilitati accommodare ſermonem. Dedi enim *uobis, facilioris & ſimplicioris doctrinæ lac in potum, nō eſcā ſolidiorem ſublimioris ſapientiæ.* Nondum enim ꝑ *infirmitatem ualentes eratis.* Immo *ne nunc quidem (cum adhuc magna ex parte carne ducamini) ſufficitis altioribus capiendis myſterijs.* Ipſe *enim æmulationes, & quæ ſunt ex eis contentiones, teſtantur uos carne adhuc duci, & aliqua ex parte ſecundum humanam infirmitatem, etiam nunc uiuere.* Vnde *enim niſi à carnis concupiſcentia inaniq; gloria, ut contendat alius aduerſus alium pro homine, aut* Paulo, *aut* Cepha, *aut* Apollo: *dicente alio,* Ego *ſum* Pauli *in baptiſmo filius, et huic ego adhæreo: alio dicente,* Ego *ſum* Apollo, *& ita de reliquis. Sed reſpondete mihi.* Quid Paulus? *& quid* Apollo? *homines per ſe uiles et miſerabiles, ut in eis ſic gloriemini?* Nihil *ſumus niſi miniſtri eius* Chriſti *in quē unum noſtra prædicatione unanimiter omnes credidiſtis.* Atq; *hoc ipſum quòd miniſtri* Dei *ſumus, nihil eſt aliud niſi* Dei *donum, & unicuiq; competit miniſtrorum, ſicut à domino accepit.* Nam *ego prima iacens in uobis fidei ſemina, plantaui uos in* Chriſto Apollo *fratrem reliqui uobis, ut uos rigare uerbo prædicationis, quæ ego ſeminaui ad fructū perducens.* Deus *autem eſt, qui interius poſsit uitam & uigorem dare, ut quæ noſtro miniſterio ſunt plantata, atq; irrigata, eius uirtute creſcerent atque adoleſcerent.* Ipſe *autem neq; plātans, neq; rigans, per ſe eſt aliquid, ſed uegetator & uiuificator* Deus, *totum eſt, quicquid eſt:* In *quo inſuper, & plantans & rigans unum ſunt, & à quo ſimul utriq; ſui habent operationē miniſterij.* Vnuſquiſq; *autem miniſtrorum, propriam accipiet remunerationem, iuxta ſuam induſtriam, laborem, atq; diligentiam, iuxta quod fideliter creditum ſibi miniſteriū adimpleuerit.* Nos *enim* Deus *ſua dignatione uelut cooperatores & ad-*

iutores aſſumpſit, in promouenda & procuranda per nos con uerſatione infidelium. Vos eſtis ager, quem nos Deo *colimus, uos eſtis ſtructura, quam nos miniſtri* Deo *ædificamus*. Ego *quidem iuxta gratiam deſuper acceptam, ut architectus præci puus, ſecundum ſapientiam* Dei, *ieci in hoc ædificio bonũ fun= damentum, ueræ ſynceræ que & immaculatæ fidei Cæterum unuſquiſq; attendat, quid malit ſuperſtruere.* Nam *de fundamẽ to nemo debet eſſe ſolicitus, quoniam fidem nemo poteſt aſſere re, aut conſtituere, aliam à fide* Ieſu *Chriſti, ſupra quam ego uos ædificaui.* De *fundamẽto ergo nolite dubitare, ſed tantum de ſtructura eſtote ſoliciti. Quidam enim ſupra fundamentum ædificant aurum, argentum, & pretioſos lapides, qui uidelicet opera bona, fidei ſuæ adijciunt, nonnulli ſumma & perfectißi ma, alij mediocria, alij infima, bona tamen: quemadmodum ſunt, caſtitas uirginalis, caſtitas uidualis, & debitus uſus matri monij. Alij uero ſuperædificant lignum, fœnum, & ſtipulam, quæ combuſtioni ſunt apta: ij nimirũ, qui fidei ſuæ qua in Chri ſto fundati ſunt, etiam ſi in charitate, tamen ſuperaddunt pecca ta nonnulla uenialia, quæ ignis eſca (niſi hic purgentur) erunt in igne purgatorio, eáque uel maiori combuſtioni & longiori deſtinata, uel breuiori: ſecundum quod grauiora illa ſint, uel le uiora, uel leuißima. Quid autem horum unuſquiſque iam ope= retur, etiam ſi nunc lateat, ſuo tamen tempore fiet manifeſtum.* Dies *enim illa extrema, in qua dominus ad iudicium adueniet, manifeſtabit, et declarabit, quale fuerit uniuſcuiuſq; ædificium: quia per ignem uniuſcuiuſque opus reuelabitur, quale ſit. Au= rum enim, argentum, & lapides pretioſos, dum cõflagrare nõ poterit, declarabit ea bona eſſe: lignum autem, fœnum & ſti= pulam, declarabit mala fuiſſe: quando ea conflagrabit, & ardo re ſuo puniet: Cuius nunc opus ab igne punitum non fuerit, nec*

per ignem purgatione dignum probatum ſic erit hoc opus, & æternæ uitæ mercedem bonam recipiet. Cuius uero opus inuentum fuerit, tanquam aliquid habens admiſtum malitiæ, ignis conflagratione & purgatione opus habere: patietur ille quidē pœnam donec in purgatorio quæ ſecum detulit conflagranda, purgata fuerint: Ipſe tamen, quia fundamentum non perdidit, in quo manet per charitatem fundatus, finaliter poſt purgationem ſalutem conſequetur. Sic tamen, quaſi per ignem purgatorium, ab iis quæ ſecum detulerat leuioribus peccatis expurgatus. Huiuſmodi autem ultio ſi pro leuioribus etiam peccatis exigetur de fornicatione quid æſtimabimus? Non ignoratis credo, *quia ſpiritus* Dei *quem accepiſtis credentes uos conſecrauit in templum ſanctum domino, & ipſe inhabitat in uobis.* Qui *autem auſus fuerit templum* Dei *(id eſt, ſeipſum ſactum* Dei *templum) fornicationis turpitudine uitiare, quid exiſtimatis conſequi, niſi ut illum quoque abijciat & perdat* Deus? *Sanctum enim & omni dignum reuerentia, exiſtimari debet templum* Dei. *Atqui, templum* Deo *ſanctificatū uos eſtis, quicunq; ſpiritum ſanctum credentes accepiſtis.* Nemo *igitur ſe ſeducat uanis perſuaſionibus excuſans excuſationes in peccatis.* Multo *magis qui inter uos ſapiens habetur, humilitatis ſtultitiam induat, quo uere fiat ſapiens.* Quoniam *quam mundus reputat ſapientiam,* Deus *ſtultitiam æſtimat. Scriptum eſt enim de hac ſapientia:* Condemnabo *ſapientes in ſtultitia ſua & ſtultitiam eorum meo iudicio ego faciam manifeſtam.* R*urſum: dominus nouit uanas eſſe ſapientium cogitationes.* Itaq; *(ut cōtinuando ſermonem ingrediamur unde digreſſimus) nemo glorietur in hominibus, immo nec in ulla creatura.* Omnia *enim, uobis à* Deo *in miniſterium ſalutis ueſtræ data ſunt, & electis ſubſeruiunt omnia, ſiue nos prædicatores &* Apoſtoli, Paulus, Ce-

phas, Apollo, & cæteri, ſiue quæ in mundo ſunt omnia, quæ homini conſtat ſeruire, quaſi illi propter quem facta ſunt, ſiue uita iſta, in qua per opera uirtutum tempus habemus promerendi, ſiue mors corporalis, quæ patenter tolerata perducit ad ſalutem, ſiue præſentia, quæ nobis à Deo donantur, ſiue Deo permittente obueniunt, ſiue futura: omnia, inquam, ueſtro ſunt miniſterio deputata, et propter uos ſunt omnia, atq; ad ueſtram ſalutem ſunt ordinata. Propter quod in nulla creatura uobis eſt gloriandum, cum in inferioribus & ſubiectis uanum ſit gloriari. Vos autem eſtis Chriſti, & ad illum quaſi membra ad caput referimini: & ob hoc, in ipſo ſolo ut ſuperiori & meliori, eſt uobis gloriandum, non in hominibus, quod uanum eſt: quemadmodum Chriſtus Dei filius ſecundum humanitatẽ, non in ſeipſo, ſed in patre ſolo gloriabatur.

CAPVT QVARTVM.

Quemadmodũ autem gloriari uobis non expedit in nobis, ſic neq; conuenit ut odioſe iudicetis nos, qui ſumus miniſtri Dei & ueſtri. Sic nos habetote, ô homines, quia intima iudicare non poteſtis ut miniſtros Chriſti, & myſteriorum eius diſtributores. Cæterum, quantum ad reliquum, inter diſpenſatores uidendum eſt, ipſiq; hoc uiderint, ut fideles inueniantur in credito ſibi miniſterio: ueſtrum tamen non eſt, illos ſtulte iudicare. Ego uero pro nihilo reputo, ſi aut à uobis aut ab ullo humano iudicio iudicer: quoniam ſcio, iudicium hoc humanum non eſſe certum, nec ſolidũ. Immo nec meipſum ſufficio iudicare, certo iudicio. Nam tametſi probabili perſuaſione, nullius mihi conſcius ſceleris, exiſtimo, me iuſtum, tamen non hæc res me certo iuſtificat. Dominus eſt ſolus: qui uerum & infallibile de me iudicium iudicat. Vos itaq;, nolite anteuertere tempus iudicij ſed expectate diem illum, quo per aduentum domini illuminabuntur, quæ

erant in tenebris abſcondita, & occulta cordium fient manifeſta: quando pro bono opere erit cuiq; laus à Deo uera & ſolida, quando neminem coronabit laus falſa, nemo priuabitur laude debita. Quæ autem in prioribus dixi de uana gloriatione in hominibus, iccirco ſub nomine meo & fratris ac cooperatoris mei Apollo dixi, neminem ex pſeudapoſtolis deſignãdo, ut ſub noſtris nominibus doceremus uos, in nullo hominum gloriandum, ne in ipſis quidem ueris Apoſtolis, multo minus in falſis, qui ſecundum ſeculi tantum ſapientiam prædicant, quibus tamẽ adhærere utcunq;, et in eis gloriari incipitis: ut diſcatis, inquã, ſub noſtris nominibus quæ expreßimus, ne ſupra id quod ſcriptum eſt (Id eſt, ne aliter quàm in domino) contentioſe & ſuperbe agatis contra inuicẽ: alius pro ſuo præceptore cui adhæret, alius pro alio. Quis enim te, miſer homo, diſcernit, ac iudicat? Nec tuum ergo eſt alios iudicare, ut hunc præferas, illum poſtponas, hunc laudes, illum uituperes, Quòd ſi dicas, propter gratiam aliquam: uel donum quod in uno eſt, & nõ in alio, te hunc illi præferre, quid habet homo à ſeipſo, quod à Deo nõ acceperit? ac proinde, etiam ſi gratijs aliqui emineant, non tamen in eis eſt gloriandum, nec ipſi debent in ſe gloriari, quaſi ea quæ habent à nullo accepiſſent, ſed potius in domino, à quo primitus procedunt. Eſto, iam uos ſaturati eſtis, ditati eſtis in omnibus, etiam in ſpiritualibus. Sine nobis iam perfecti eſtis, nihil ultra nobis opus habentes. Sic uos uobis perſuadeatis. Ego autem non ad inuidiam hoc dico. Immo utinam regnetis in omni perfectione, quo uos mecum & ego uobiſcum pariter regnemus. Ego quidem fateor, & libenter agnoſco meam infirmitatem & utilitatem, quæ tam eſt aperta, ut negare non poßim. Videre enim uideor mihi, quod Deus nos Apoſtolos abiectißimos dedit mundo, & uelut morti deſtinauit: quoniam

eiuſmodi facti ſumus, in conuerſatione ac paßionibus Chriſti, ut ſint in nos intenti omnium oculi, & mundus uniuerſus, & angeli, et homines, quaſi ſpectaculum omnibus facti. Mundus enim, ſpectare geſtit quaſi ſtultos, magos, aut nouitatum annunciatores: Angelis ſpectaculum facti ſumus dignæ admirationis & uenerationis: hominibus bonis, in exemplum fidei & ſanctæ conuerſationis. Cum nos ſtulti reputemur, infirmi & ignobiles, propter Chriſtum quẽ prædicamus crucifixum, uos interim gloriamini tanquam ſapientes, tanquam fortes, tanquã nobiles. Nos, ex quo Chriſtum prædicare cœpimus, frequẽtiſſime eſurie affligimur, & ſiti, & nuditate, colaphis cædimur, habitationis nullum certum locum habentes, cauſa prædicandi Euãgelij circuimus uagabundi, & manibus noſtris operamur. Cum male nobis loquuntur homines, nos illis econtrario bona precamur. Cum perſecutionem patimur, nos ſuſtinemus. Cum conuicia nobis inferunt, nos molli obſecratione ſupplicamus, ut iram frangamus (ſi poſſumus) manſuetudine. Quid multa? Tanquam id quod purgando abijci ſolet, uelut nihilum facti ſumus, ſicut quod abſtergi ſolet ad emundandum quippiam, uſque in hanc horam, etiam ſi nunc forſitan uideamur facti glorioſiores, poſtquam eccleſiarum facti ſumus Apoſtoli. Hanc autem paßionem meam, non ad ueſtram confuſionem ſcribo, quaſi uobis exprobrans, quod tantum pro ueſtra ſalute perpetiar, ſed tanquam filios mihi charißimos commonefacio: ut diſcatis quãto uos affectu diligam, & ne ulla ratione à noſtra eruditione unquam recedatis, ad Pſeudapoſtolos declinantes, qui pro ueſtra ſalute nec minimum quid uellent ſuſtinere. Nam & ſi decẽ milia inſtructorum poſt me uenerint qui uos ad ſuum libitum inſtituant: ſolus tamen ego, patris nomen iure mihi ſeruo in uobis, quoniam ego per ſemen incorruptibile ſancti Euãgelij uos

genui primus, cum nondum quicquam eſſetis in Chriſto. Rogo ergo uos ô filij, eſtote imitatores patris ueſtri: ut qualis ego ſum in omnibus prædictis, tales efficiamini & uos. Sicut et ego ſum imitator Chriſti, qui fuit opprobrium & abiectio omniū. Vt autem cognoſcatis exemplum conuerſationis meæ, ecce mitto ad uos Timotheum chariſsimum filium meum, & fidelem in negocio Dei adiutorem: ipſe uobis ediſſeret conuerſationem noſtram, qua conuerſamur ſecundum exemplum Chriſti Ieſu iuxta formam ſecundum quam ubiq; in omni eccleſia doceo cōuerſandum. Et quanquam huic præmitto ueniam tamen breui (ſi dominus uoluerit) & ego: & tunc experimentum ſumam de quibuſdam qui nunc me abſente inflantur, docentes & agentes non bona. Examinabo autem, non illorum ſermonem diſertum, ſed conuerſationis uirtutem. Perfectio ſiquidem Chriſtianæ uitæ non eſt in ſermone, ſed in bonæ conuerſationis uirtute. Ecce eligite, in manu ueſtra eſt, ut ueniam ad uos, uel in ſeueritate correptionis, uel in manſuetudine lenitatis.

CAPVT QVINTVM.

Publica fama & certa relatione audiui, talem inter uos cōmiſſam eſſe ac ſuſtineri fornicationem, qualem uix gentes ferant, quæ Deum ignorant. Nempe ut uxori quis iungatur patris ſui, illiq; tanquam legitimæ commiſceatur uxori. Et uos interim in contentionibus ueſtris ſuperbe agentes occupamini, & negligitis ad huius peccati expiationem intendere: ut pro peccato tanto tamq; horribili ſcelere, luctum uel publicum inſtitueretis, illum uero facinoris authorem, à communis eccleſiæ conſortio ſepararetis atq; excluderetis. Et uos quidem illum inter uos ſuſtinetis. Ego uero quanquam corpore abſens à uobis ſpiritu tamē mentis uobis inuigilans atq; ſuperintendens, & ita me adiungens, iam tuli, quam & executioni quantocyus dari uolo, ſen-

tentiam, debere uos cum meo ſpiritu in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti congregatos, in uirtute Dei (quam conſtat adeſſe eccleſiæ rite in nomine domini congregatæ) hunc hominem tradere Satanæ in carnis afflictionem, à ueſtra cum communione ſecludendo, quo ſpiritus ſaluus fiat in die iudicij extremi: quia ſperandum eſt, hac pœna conuertendum illum ad pœnitẽtiam. Non eſt bonũ, quod uobis iſta complaceant: quod ſanè uidetur cum ante oculos ueſtros ſine punitione ſuſtinetis. Conſtat enim modicam corruptionẽ facile totam maſſam, cui eſt commiſta corruptio, ſimul inficere. Et periculum eſt, ne ſuper uniuerſam ueſtram congregationem ira Dei deſæuiat, propter unius hoc tam enorme facinus, quod conſentiẽdo ſuſtinetur ab omnibus. Vos igitur ueſtram eccleſiam atq; uoſipſos purgantes, eijcite corruptionem peccati: ut ſit ueſtra eccleſia uniuerſa, uelut noua & incorrupta, & immaculata maſſa, quemadmodum & eſſe debetis ſine corruptionis fermento. Nam & Chriſtus oblatus eſt nobis in agnum paſchalẽ: Qui cum ſit ſine macula, nos itaq; conuenit gloriari, & gaudere in eo eumq́; manducare & incorporare nobis, non per malitiam aut nequitiam, quæ ſunt fermentum uetus, ſed per ſynceritatem à peccatis, & ueritatem uitæ, quæ ſunt azyma, id eſt, ſine fermẽto corruptionis. Scripſi uobis alias per epiſtolam ne commiſceamini fornicarijs. Hoc utique non ſic intelligendum, neq; ſic erat accipiendum quaſi uoluerim uobis interdicere conſuetudinem cum quibuſcunque fornicarijs, auaris, idololatris aut rapacibus huius mundi, etiã qui ſunt ſine fide Chriſti: ſic enim omnium hominum, penè conuerſationem deberetis fugere, & ſolum intra eccleſiam deliteſcere, quoniam mundus hiſce plenus eſt. Nunc autem declaro uobis, hanc fuiſſe meam ſententiam atque ordinationem: ut ſi quis inter uos, nomine ac profeſſionis titulo Chriſtianus: aut

fornicator ſit, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut ad maledicta promptus, aut ebrioſus, aut rapax, & talis comprobetur & habeatur, ſic eum à ueſtro ſeparetis conſortio, communi iudicio, ut nec cibum unà cum eo ſimul uelitis capere, quo ſic confuſus reſipiſcat. De *his autem qui ſunt huius mundi & extra eccleſiam, qualeſcunq; tandẽ fuerint, mea quid refert iudicare, ut eorum uobis interdicam conſortium? Certe de his qui intra eccleſiam ſunt, uos iudicare debetis, delinquentes puniendo. Qui autem extra eccleſiam ſunt, licet noſtrum effugiant iudicium*, Deus *tamen illos iudicabit ſecundum opera ſua.* Vos *autem uideritis, ut malum illum qui in uobis eſt, & malitiam illam iam exortam, quantocyus tollatis ex medio ueſtrum: ipſam quidem malitiam rigide puniendo, mali uero authorem à ueſtro conſortio excludendo.*

CAPVT SEXTVM.

Et *illud omni eſt reprehẽſione dignum, quod iudicia ſecularia acceditis in ueſtris cauſis, quas adinuicem habetis, & iudicium petitis ab infidelibus: cum potius deberetis apud* Chriſtianos, *ueſtras agere cauſas. Scitote uero quoniam qui nunc ſunt humiles* Chriſtiani, *in nouiſsimo die de hoc mundo iudicabunt cum Chriſto, eius ſubſcribẽtes ſententiæ. Quòd ſi ſufficientes erunt ſancti ad iudicandum mũdum, utique & digni ſunt & ſufficiẽtes, iudicare hæc minima negotia ueſtra.* Immo et angelos *malos, nos iudicabimus: quanto magis ſecularia negocia iudicare ſufficimus, quæ tantum circa pecuniam, aut poſſeſsiones, aut alia ſunt huiuſmodi?* Igitur *ſi contingat uos ſeculares habere cauſas, iudicio terminandas, ego puto uel eos qui ſunt in eccleſia contemptibiliores & infirioris ordinis ſufficere, ut ipſi ueſtras (ſi quæ occurrerint) actiones iudicio terminent.* Nam *nõ eſt æquum, maioris gradus* Chriſtianos *pecuniarijs litibus au-*

diendis uacare. Sic loquor contemptibiliter, ut confundamini propter hunc abuſum. Quaſi uero non ſit inter uos nec unus ſapiens, qui ſufficiat cauſæ terminandæ, quæ occurrerit, inter fratrem & fratrem. Chriſtiani uero, qui ut fratres adinuicem debent in pace uiuere, ſeinuicem ad iudicia prouocant & iudicio contendunt: Atque id quidem (*quod grauius eſt*) *apud infideles iudices. Sane, uel hoc ſolum culpa non uacat, & ex ueſtra eſt imperfectione, atq; à malo eſt: quod litigioſas actiones, homines* Chriſtiani, *habetis adinuicem, pro rebus perituris, conſulente* Chriſto, *pallium debere dimitti, uolenti tunicam auferre. Præſtaret enim iniuriam ferre ſine defenſione iuris, aut etiam fraudem perpeti ſine defenſione, tali potiſsimum ex qua ſcandalum oriri poteſt, apud iudices infideles.* Nūc *autem, non ſolum non ſuſtinetis fraudem & iniuriam: ſed ipſi etiam iniuriam & fraudem facitis, quodq; eſt grauiſsimum, etiam fratribus, id eſt,* Chriſtianis, *pro quibus etiam animam ponere deberetis.* Non *attenditis, quod iniqui regnum* Dei *nō poßidebūt hæreditate?* Nolite *errare, ſtultis ſeducti perſuaſionibus. Scimus enim: nullum fornicarium, idololatram, adulterum, mollem, maſculorum concubitorē, furem, auarum, ebrioſum, maledictorem, aut uiolentum raptorem, regnum cœleſte poſſeſſurum.* Huiuſmodi *autem, & ſi fuiſtis olim: nunc tamen illa uobis non ſunt iteranda: quia baptiſmo abluti eſtis, ſanctificati eſtis, per peccatorum remißionem, & per fidei gratiam iuſtificationem cōſecuti, in nomine domini noſtri* Ieſu Chriſti, *in quo baptizati eſtis, & in quem credidiſtis, & per ſpiritum ſanctum quem à* Deo *credentes accepiſtis. Quod autem dixi* (*non eſſe iudicio cauſas agendas, pro temporalibus rebus*) *licet forſan res per ſe omnino illicita non ſit, tamen propter ſcādalum uitandum, & offenſionem cauendam, nullo modo expe*

dit. Nec enim quæcunque licent, ſemper expediunt. Mihi ſanè licet plurima: id eſt, omnia quæ iure aut lege prohibita nõ ſunt. At uero non omnia item expediunt, ut licent. Quemadmodũ licitum eſt & mihi ſumptus accipere, & quibuslibet ueſci, & alia multa facere: quibus tamen licitis uti non expedit, propter ſcandalum uitandum, aut fructum Euangelij nõ impediendum, aut alia quauis de cauſa. Omnia, inquam, eiuſmodi mihi non ſunt per ſe illicita: Ego uero magis puto expediens, à multis etiam licitis abſtinere, ut me nulli ſubijciant, inq; mea libertate permaneam: quæ non ita mihi eſſet integra, ſi ſtipendia à uobis acciperem, aut ueſtris ſumptibus uiuerem, quæ tamen per ſe mihi ſunt licita. Eſca uentri eſt deputata, ut in eo cuſtodiatur, ad decoctionem & corporis nutritionẽ, & uenter ſic eſcis deputatus eſt. Deus uero & eſcam deſtruet, & uentrem: quoniam & eſca corrumpitur in ſubſtantia: & uenter licet reſurget, tamen deperibit à ſuo, quod nunc habet ad eſcas, officio, et neutrũ horum Deus ad immortalitatem ſeruare diſponit. Propter quod paruipendenda eſt cura uentris, & non tanti faciendus eſt, neque uenter, neque cibus, quin quantum ad uentrem et eſcam multa expediat omittere quæ alioqui ſunt per ſe licita. Nemo uero exiſtimet, quomodo uenter eſcis deputatur, ſic corpus fornicationi item eſſe deſtinatum. Corpus enim, non fornicationi eſt deſtinatum, ſed domino: & dominus, corpori uult dominus eſſe, quod ad immortalitatem & gloriam reſuſcitare diſponit, & in quo habitare uult: modo per gratiam & poſtmodum per gloriam. Et ſicut dominum Ieſum Deus tertia die ſuſcitauit à mortuis, ſic & noſtra corpora per uirtutem ſuam opportuno tempore reſuſcitabit. Cum igitur ſic Deus, immortalitatis & reſurrectionis honore, noſtra corpora dignetur, non debemus ea nos fornicatione inhonorare. Mirum quod

non attenditis corpora ueſtra adeò digna eſſe: ut ſint membra Chriſti. Vos ipſi iudicate, ſi non res indigniſſima ſit, membra Chriſti ab ipſo auellere, & fœdiſſimæ meretrici inſerere. Sciendum uero, quod is qui meretrici copulatur, in unum corpus cũ ea quodam modo conglutinatur: quæ conglutinatio, per corporum fit commiſtionem: ſicut in Geneſi de legitima copulatiõe legitur, quod uir & mulier (quantum ad actum cõmiſtionis illius) ſunt quaſi duo in carne una. Quo contra qui Deo *ſe per amorem adiungit, unum cum* Deo *in ſpiritu efficitur, ut ſint unum, ſpiritus diuinus & ſpiritus humanus.* Fugite, *dico, modis omnibus fœdiſſimum illud fornicationis uitium, uel ob ſolam ipſius fœdiſſimam fœditatem.* Cætera *enim peccata, corpus non maculant, ſed animam tantum etiã ſi per corpus fiant.* Fornicatio *uero, corpus ipſum fœdiſſima fœditate immundans miſere atq; ſenſibiliter commaculat.* Attendite, *quæſo, & intelligite, quoniam corpora ueſtra ſpirituſſanctus ſibi in templum totique* Trinitati *conſecrauit: quem ſpiritum pro magno munere habetis à* Deo, *& non eſtis ueſtri, ut uobis liceat ueſtris mẽbris pro libito abuti.* Pretio *enim magno ualde (id eſt, ſanguine Chriſti) redempti eſtis è manibus diaboli, ad ſeruitutẽ* Dei, Propter quod, *neceſſe eſt ut* Deum, *qui uos emit, portetis atq; glorificetis, etiam in corpore ueſtro.*

CAPVT SEPTIMVM.

Poſt *hæc reſpondendum eſt, ad ea de quibus pèr literas me interrogaſtis.* Principio, *quantum ad ea quæ de matrimonialibus requiſiſtis, ita definio, bonum eſſe uiro, ſi poſſit omnino à muliere abſtinere.* Ob *euitandum tamen fornicationis periculum, nõ hoc præcipitur, ſed tãquam licitum permittitur unicuiq; uiro, ſibi propriam habere mulierem iunctam matrimonio: & cuilibet mulieri, permiſſum ſit habere proprium maritum: ut per ſacramentum*

cramentum matrimonij, ſit remedium aduerſus fornicationem. Teneatur uxor debitum reddere uiro, & nihilominus uir mulieri: ſi conuenienter & rationabiliter poſtuletur. Mulier enim ſuum corpus tradidit in poteſtatem uiri, per matrimonialem conſenſum, & uir corpus ſuum ſubiecit poteſtati mulieris (quãtum ad actum hunc matrimonialem, in quo pares ſunt ambo) ſic ut altero alterum requirente rationabiliter, non liceat negare corporis uſum. Nolite *inuicem ſubtrahere fraudulenter debitum: niſi id ex communi fiat utriuſq; cõſenſu, ad tempus communiter conſtitutum, ut poßitis diligentius orationi inſiſtere. Poſt quod tamen tempus tranſactum, rurſum erit in unum cõueniendum ſicuti prius, propter infirmæ carnis incontinentiã: ne forte in tentationẽ uos inducat Satanas.* Nõ *hoc dico, quaſi imperans uobis, ſed quaſi indulgens (nempe, ut reuertantur cõiuges in idipſum, et ut quiſq; ſuã uxorem habeat, & unaquæq; uirum ſuum.)* O*ptarem aũt magis, omnes eiuſmodi eſſe qualis ſum ego, id eſt, ſine coniugis conſortio, ſed* Dei *uoluntas alij donat maius, alij minus donum: ut ſit huius donum caſtitas uirginalis, alterius uidualis, alterius matrimonialis. Singulariter autem, ijs qui nondum ſunt matrimonio iuncti, & uiduis, dico conſultum eſſe, ſi ſic ut ſunt permanſerint ſine coniuge, quemadmodum & ego, ſine cõiugis cõſortio permaneo.* At *ſi timeant ſe non poſſe continẽter uiuere, licite poſſunt inire matrimoniũ. præſtat ſiquidem matrimonio iungi, quàm concupiſcentiæ ardoribus libidinoſe ad lapſum agitari, eiſ que ſuperari. Cæterũ, illis qui iam matrimonio ſunt iuncti præcipio, non ex me, ſed ex præcepto domini, ne uxor à uiro diſcedat, excepta fornicationis cauſa.* Q*uòd ſi eã cõtigerit iuſta cauſa diſcedere, nõ poſſit tamen priore uiuente alteri nubere: ſed maneat ut eſt, ſeque contineat. Aut ſi continere nõ poteſt, potius reuertatur ad ui-*

rum priorem.Neq; magis liceat uiro,uxorem deſerere. In his enim pares ſunt ambo coniuges. Atq; hæc dicta ſint ijs, quorũ uterque fidelis exiſtit. Nunc autem de illis loquimur, *qui pariter in infidelitate contraxerunt matrimonium, ſed poſtea conuerſo altero ad fidem Chriſti, alter manet infidelis. Cæteris ergo huiuſmodi ſic ordino, non quidem ex domini præcepto, ſed ex meo conſilio: ut ſiquis non ita faciat, non tamen ob hoc peccauerit. Ego tamen ut utilius conſulo: ſi Chriſtianus aliquis ad fidem Chriſti in matrimonio conuerſus, uxorem habeat permanentem infidelem, quæ uelit cum eo pacifice abſque iniuria nominis Chriſti permanere, ut illam nõ deſerat, prætextu Chriſtianiſmi. Similiter & mulier, ſi conuertatur uiro non conuerſo, & ille conſentiat pacifice ſine iniuria Chriſtiani nominis, cum illa permanere ut ante, nec ipſa deſerat uirum ſuum. Chriſtianitatis prætextu. Vincit enim ſanctitas uiri fidelis, immundiciam mulieris infidelis, ut huic nihil nocere ualeat illius immundicia: & uincit ſimiliter mulieris fidelis eiuſque fidei ſanctitas, uiri ſui infidelis immundiciam: ita ut per ſuam fidem, ex illius copula nihil queat maculari. Alioqui enim ſi ſic paßim inuicem deſeritis, cœperitisq; urgentibus concupiſcentiæ ſtimulis alijs commiſceri, periculum eſt ne immundos & ſpurios illegitimosq; procreetis filios, quos nunc in legitimo coniugio mundos & legitimos recipitis. Si uero coniugum alter infidelis, malicia ſua ob fidem coniugis fidelis ſcandalizatus, uoluerit diſcedere: habeat ſibi.* Non enim *ſic ſubiectus eſt Chriſtianus ſeruituti, in eiuſmodi rebus, Cum ad pacem* Deus *ſuos Chriſtianos uocauerit: ita ut nihil neceſſe habeat fidelis, ſeruiliter ſectari malicioſe diſcedentem, & cum ea in perpetua diſſenſione uiuere. Quanquam autem, quod ſupradixi, nõ ut præceptum domini dedi: tamen ut uehementer utile, conſulo.* N*eſcit enim mu-*

lier ſi forte uirum aliquãdo Deus uelit per eam ſaluare, & forte Deus per uirum diſponit mulierem lucrari, eamq; per illum ad ſuam fidem conuertere: propter quod non conſulo inuicem ſine cauſa dimittere, prætextu Chriſtianitatis: ſed magis ſimul permanere, ad inuicem lucrandum. Hoc tantum, ut unuſquiſq; ſic agat, ſicut illi dñs dederit. In quo ſtatu Deus unumquenque uocauit, in eo ipſe bene conuerſetur: quod ubique ego prædico in omnibus eccleſijs. Exempli gratia: in circunciſione eras cum te uocauit Deus, non ſit tibi curæ adducere ritus Gentiles: in Gentilitate uocatus es, non ſit tibi curæ ſuperinducere obſeruantias legales. Ad ſalutem enim, nihil ualet circunciſum eſſe aut eſſe incircunciſum, ſecundum carnem: ſed obſeruare mandata Dei id ſolum eſt quod ſaluare homines poteſt. Quicũque in bono aliquo ſtatu & licito, ad fidem Chriſti uocatus es, non ſis anxius pro ſtatus commutatione, quaſi in illo ſalutem conſequi non poßis. In omni enim ſtatu honeſto & bono, Deo placere poſſumus. Exempli gratia, ſi ſeruus es qui uocaris ad fidem, nõ ſis pro ſeruitute anxius. Veruntamen ſi potes & offeratur occaſio, tum magis uti libertate fuerit conſulendum. Non debet, inquam, ſeruus eſſe anxius ob ſuam conditionem, quoniam in Deo æquales ſunt ſeruus & dominus. Nam ſeruus conditione, factus fidelis: licet hominis ſeruus, tamen domini libertus eſt, corãm Deo à peccatis, et per Deum è manu diaboli, liberatus. Similiter & ille qui liber erat antequam uocaretur ad fidem, factus fidelis: quanquam nulli ſit hominum ſeruus, tamen Chriſti ſe debet ſeruum agnoſcere: ita ut omnibus ex æquo Chriſtianis, hoc ſit commune, quod ſerui ſunt Dei & Chriſti. Pretio ſi quidem empti ſanguinis filij Dei, non debetis ultra ſeruire hominibus, niſi in domino: ſic ut illum ſemper, qui uos ſanguine ſuo emit, tanquam præcipuum et primum dominum habeatis,

cui ſeruiatis propter ſeipſum. Iterum ergo dico: unuſquiſque Chriſtianus, in aliqua uocatus conditione licita atque honeſta, in qua Deo ſeruire poßit, ſine anxietate in ea permaneat, confidenter coràm Deo conuerſando, qui nullum ſtatum deſpicit. Cæterum de uirginitatis obſeruãtia, præceptum à domino nullum habeo. Quid tamen mihi ſuper hac re uideatur, poſtulatus conſilium dabo, ſecundum ueritatem: tanquam is qui à domino ſum miſericordiam conſecutus, ut in meo miniſtrio tãto eſſem fidelior, quanto fueram ex me tanta uocatione indignus. Tanquam fidelis ergo Apoſtolus, iudico bonam eſſe uirgnitatis obſeruantiam, propter multimodam quæ in matrimoniali ſtatu occurrit, neceßitatem: per quam à diuinis rebus impediũtur, qui uiuunt in matrimonio: propter quod ego iudico bonum eſſe homini, ſic permanere in uirgnitate. Si per matrimonij uinculum uxori es alligatus, bonum ſtatum tenes, noli fruſtra laborare, ut ab illo uinculo abſoluaris. Si uero ab uxoris uinculo liber exiſtis, conſulo ut ab uxore abſtineas. Qui autem uxorem acceperit, peccatum nullum facit: & quæ uiro nupſerit, non peccat. Sciant tamen, ſecundum carnis neceßitatem multas ſibi inſtare afflictiones & labores, quibus à diuina perfecta ſeruitute impediantur. Quibus autem placet, tanquam rem licitam (quã quam minus bonam) permitto matrimonium: ſecundum indulgentiam, eo quod minus bonum eſt, contentus, non ſummũ exigens. Hoc tãtum omnes admoneo. Cum tempus huius uitæ momentaneum ſit, illud nobis eſt uidẽdum: ut qui uxores habent, ſint quaſi non habentes, domino magis quàm illis per amorem adhærentes, & qui ob neceßitates uarias lugent, ſint quaſi nõ lugentes, æquo animo ferentes quæ uel ex matrimonij caſibus, uel aliàs undecunque obtingunt & qui uel ex cõiugij ſui felicitate, au t alia quauis proſperitate gaudent, tanquam non gaudẽ

tes ſint: & qui theſaurizant filijs ſuis, ſint quaſi non poßidentes: & qui coguntur uti hoc mundo cauſa uictus conquirendi, tanquam non utentes. In *omnibus, inquam, his non apponant cor rebus momentaneis, neq; nimio affectu inhæreant ulli creaturæ.* Eſt *enim caduca & tranſitoria huius ſeculi figura, id eſt, ſtatus omnis & diſpoſitio.* Ego *autem quod conſulendo uirginitatem præfero, ob hoc facio: quia cupio uos eſſe ſine anxia ſolicitudine pro rebus iſtis mox perituris & momentaneis, quæ à* Dei *ſeruitute miris modis hominē diſtrahunt.* Qui *ſine uxore eſt unā habet curam, ut placeat* Deo: *neq; eſt amplius ei conſiderandum, niſi quomodo in omnibus ſuis quæ agit operibus, placitam* Deo *ſeruitutem exhibere poßit.* Qui *autem uxorem habet, aliquam neceſſe eſt ſolicitudinem temporalibus rebus impertiat: ut ea conquirat quibus uxorem alat cum liberis: partim etiam cōſiderare debet: quomodo uxori placeat & ſatisfaciat.* Atq; *hoc pacto dum uarijs intendere cogitur, in diuerſa diſtrahitur, ne uni poßit uacare domino.* Itidem *mulier innupta, atq; uirgo, hoc ſolum curare poteſt, quomodo placeat domino, ut ſit tam corpore q̃ ſpiritu immaculata, atq; perfecta in operibus bonis. cum nupta, interim neceſſe habeat cogitare de temporalibus rebus, quomodo uidelicet familiam gubernet, & quæ illi ſunt à uiro commiſſa cuſtodiat, & deinde etiam quomodo uiro ſuo placeat, ne ullum uel odium uel iram incauta incurrat.* Porrò *quod uobis ſuadeo uirginitatem præferens, propter ueſtrā utilitatem facio, ut expeditius atque liberius* Deo *ſeruire ualeatis.* Non *ut uos in damnationis periculum conijciam: quod facerem, ſi etiam non ualentibus continere præceptum uirginitatis imponerem, ſed uelut inuitando eos qui cōtinere ſe ualent, & uolunt, ad honeſtiorem uiuendi conditionem: in qua etiam ſit maior opportunitas, ſine impedimento aliquo domino iug*

ter uacandi,& ipſum obſecrandi. Siquis autem pater, ſibi reputat turpe illud de uirgine ſua, quod eam iã diu adultam nondum nuptui tradiderit,& annos iã nubiles penè egreſſam uirginem teneat,& ſibi uideatur ita oportere fieri ut nuptui detur, licitum eſt illi quod uelit facere, non peccat, ſi eam cum ſuo conſenſu, nuptui tradat. Melius tamen faceret, ſi eam in uirginitate ſeruaret. Nam qui habet in ſua poteſtate uel tradere uel nõ tradere, nulla compulſus neceßitate,& hoc decreuit firmo propoſito cordis ſui ſeruare ſuam uirginem, propter eas quas ſupra diximus rationes: indubie melius facit, non ſolum nõ peccat, ſemper tamen uirginis cõſenſu præſuppoſito. Igitur & qui per matrimonium uirginem ſuã uiro iungit, rem facit licitam: & qui non iungit propter uirginitatis amorem, melius facit. Quemadmodum autem de uirginitate diximus, ipſam præferẽdo, ſic tamen ut matrimonium tanquã licitum permitteremus: Sic & de ſecundis nuptijs ſimiliter dicimus, quòd mulier alligata eſt legi uiri, quandiu uiuit ipſe: ita ut eo uiuente, alij nubere non poßit. Ipſo autem moriente, ſit libera ab obligatione illa, ut poßit ſine peccato alij nubere: & ideo licitum eſt illi, nubere cui uolet. Tantum hoc curet, ut ad gloriam domini nubat. Ego autem perfectiorem hac in parte,& melius agere reputauero, ſi in ſua uiduitate abſq; nuptiarum iteratione parmanſerit, ſecundum meum conſilium. Nequis uero meum conſilium paruipendat, aut pro nihilo æſtimet: etiam ego ſpiritum domini habere me puto, qui eſt ſpiritus conſilij: ſecundum quem: iſta me fideliter puto conſulere.

CAPVT OCTAVVM.

Quantum uero ad ea quæ idolis immolantur, iam ſcimus omnes quomodo licitum ſit ea (quantum eſt ex ciborum natura) manducare: quoniam omnes iam per fidem edocti, huius rei habe-

mus cognitionem atq; ſcientiam. Verum ſunt nonnulli, quibus ſola ipſa ſine charitate ſcientia, occaſionem præbet ſuperbiẽdi, [illegible] tumeſcant & inflentur in ſemetipſis, deſpicientes infirmo- [illegible] ſcandala, & ſua ſcientia, abutentes, in ſcandalum infirmo- [illegible] Sciẽtia enim ſola ſic inflationis eſt occaſio: Charitas uero [illegible] quæ et ſibi proficit in ſalutem, & alijs in ædificationẽ: [illegible] coniuncta fuerit ſcientia, erit nõ inutilis. Si quis autẽ [illegible] tribuens, ſibi ſapiens uideatur, ſic ut ex hac arro- [illegible] firmiores nolit attendere: nondum ille uerum tenet [illegible], qui eſt in hoc, ut per ſcientiam proſis quibus [illegible] autem nocumentum inferas. Qui uero charitatem & dilectionem Dei *habet (propter quod ſibi cauet, ut nemini obſit per ſcientiam, & proſit proximis) hic à* Deo *approbatus eſt, & in huius ſcientia complacitum eſt illi. Quantum igitur ad ea ſpectat, quæ ſunt immolata idolis, primum illud certum habemus, in mundo idolum nullum eſſe tale cuiuſmodi exiſtimatur, diuinitatem habens: & unicum eſſe uerum* Deum. *Quanquam enim ſecundum nominationem atq; appellationẽ, plures dij nominantur: ſiue in cœlo ſurſum, ſiue in terra deorſum, Siquidem ſic ſecundum nominationem atq; exiſtimationem, ſunt dij multi & domini multi, unaquaq; gente pro ſuo ritu, ſuos deos & deas deſignante & nominante.* Nos tamen *credimus unum eſſe uerum deum, ſecundum naturam atq; ſubſtantiam, qui eſt pater, ex quo origmaliter procedunt omnia creata, in quo & nos ſubſiſtimus: & in unum dominum* Ieſum Chriſtum, *per quem fecit pater omnia, & per ipſum nos quoq; fideles, regenerati ſumus, cuius eſt una cum patre diuinitas. Sed non omnes, nec niſi perfectiores, hanc apprehendunt perfectam ſapientiam:* Immo *quidam adhuc retinentes priſtinæ conſcientiæ aliquid erga idolum, exiſtimantes aliquid numinis*

ineſſe idolo, etiam poſt conuerſionem ad fidem Chriſti, manducant (erronea ſuadente conſcientia) idolothyta, in idolorum uenerationem aliquam, & conſcientia ipſorum contaminatur: nõ quidem ex ipſo cibo, ſed propter ſuæ infidelitatis (quam aliqua ex parte adhuc retinent) infirmitatem: quoniam ad uenerationem, uel propter timorem idoli manducant, tanquam ſi aliquid ineſſe credant diuinitatis aut numinis, idolis: In *quo errore confirmantur amplius, cum eos uident qui ſcientiam habent, idolothyta manducare, putantes eos ad idolorum uenerationem id agere. E*ſ*ca autem nos* Deo *acceptiores non facit, atq; ita ſpiritualiter homini eſca manducata, per ſe non proficit.* Neque *ſi mãducaueris, ob hoc abũdãtior eris, aut efficieris ditior.* Neq; *ſi non manducaueris eiuſmodi idolothyta: ob hoc uel deficies, uel pauperior fies, atque ita, nec corporaliter eiuſmodi idolothytorum manducatio, quicquam proficit. Vos autem uideritis qui cum ſcandalo infirmorum manducatis, ſi non forte licentia iſta ueſtra, & ea qua abutimini poteſtas, infirmis fiat in offenſionem, atq; ita proximo nocumentũ inferat, cum uobis nil proficiat.* Nam *ſi infirmior, quiſpiam uiderit ſcientia pollentem, in templis idolorum menſis accumbere, & de idolothytis cum infidelibus manducare: indubie conſcientia eius incitabitur amplius, huius exemplo ad manducandum idolothyta, cum ſit homo ille in fide adhuc imperfectus: & confirmabitur ipſe in ſua erronea cõſcientia exiſtimans illum ad idolorum culturam hoc agere: atq; hoc pacto, per tuæ conſcientiæ libertatẽ non bonam, peribit infirmior* Chriſtianus, *propter quem Chriſtus etiam mori dignatus eſt.* Neq; *dubiũ eſt, dum ſic peccatis in fratres, lædendo conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum redundare peccatum ueſtrum, qui ſibi factum reputat, quicquid eius membris, licet infirmioribus factum fuerit.* Quaprò

pter ſi eſca ſcandalizat fratrem, quam manduco: malo inæternum non guſtare carnem, uel aliam quamlibet gratiſsimam eſcam prorſus abijcere: potius quàm fratri meo ullam præbere ſcanddali occaſionem.

CAPVT NONVM.

Ecce ego ipſe à multis abſtineo propter ſcandalum euitandum infirmorum, quorum tamen habeo poteſtatem: ut merito debeatis meo exemplo, hac in parte edoceri. Sum enim uere Chriſti Apoſtolus, & liber, ut cæteri poteſtatem habens tanquam Chriſti Apoſtolus accipere ſtipendia à diſcipulis, nec minus ſubiectus ad miniſtrandũ ſine ſumptibus, quàm cæteri. Ita ut mihi liceat, quicquid illis licet: Et (ſi quis requirit) uidi etiam ego Chriſtum dominum, ut cæteri: Ipſi quoque uos, opus meum eſtis in domino: quoniam ego uos per Euangeliũ in Chriſto, mea prædicatione genui. Vnde & ſi aliorum (nempe Iudæorum) non debeam dici Apoſtolus, quibus me Deus Apoſtolum & prædicatorem non deſtinauit: uos tamen negare non poteſtis, quin ueſter ſim (hoc eſt gẽtium) Apoſtolus, Nam uos eſtis uelut ſignaculum confirmatiuum mei Apoſtolatus, in domino. Veſtra enim ad Deum conuerſione (quæ per mei Apoſtolatus miniſterium effecta eſt) noſtri Apoſtolatus confirmatur officium, & ueritas certificatur. Et ſi me quis interroget, addubitans de meo Apoſtolatu, num uere Apoſtolus ſim hæſitans: per uos ego coràm ſic dubitantibus me defendo: uobis que demonſtratis ſic interrogantibus ſatisfacio. Cum igitur ueri ſimus Chriſti Apoſtoli, per omnia liberi, ut cæteri, cur non habeamus, etiam nos, poteſtatem manducandi & bibendi, de ſumptibus ueſtris? Cur non liceat nobis Chriſtianam aliquam matronam in noſtro comitatu circunducere: ad ſubminiſtrandum nobis neceſſaria; quemadmodum cæteri

faciunt Apoſtoli? Ipſi etiam qui ſunt inter illos primi fratres domini. Iacobus, & Ioannes: immo & Petrus, Apoſtolorum caput ac princeps. Qua ratione nobis ſolis, id eſt, mihi & Barnabæ ſocio peregrinationis meæ non licebit hoc agere, quod omnibus permittitur, & licet omnibus? Quod autem ex aliorum Apoſtolorum exemplis modo oſtendimus, naturalis etiam ratio docet, & ciuilis conſuetudo confirmat. Omnis enim qui militat, iuſtum accipit militiæ ſtipendium, ab eo cui militat. Et omnis qui in uineæ cultura, laborem & operam impendit, condignum accipit ſui laboris atq; operis præmium, ab eo cui laborat, Et qui gregem paſcit, pro labore et cura ac diligentia, quã in paſcendo impendit, debet inde ſuſtentari: & quæ ſunt neceſſaria ſumere. Et ne humanis rationibus ſolis me agere exiſtimetis, ecce diuinæ ſcripturæ habemus teſtimonium. In lege enim Moyſi præceptum eſt, boui laboranti in tritura ad uſum humanum, non denegari uictus neceſſaria, ſed illa in laboris præmium reddi. An uero hoc in præcepto, putamus de bobus, animalibus brutis, principalem curam & primariam Deum habuiſſe? Ego uero multo magis puto, de prædicatoribus præceptum iſtud debere intelligi. Sunt enim hæc ꝓpter nos ſcripta: & ſub boum nomine, de nobis pro Chriſto laborantibus præceptum eſt datum, ut intelligatur unumquẽque operarium mercede ſuſtentationis dignum eſſe. Quoniam qui arat, ex labore fructum ſperare mercedis, iure optimo poteſt: & qui in tritura laborat, mercedem debitam iuſte expectat. Nos igitur qui uobĩs ſeminauimus multa prædicationis diligentia ſpiritualia, ſi ueſtris temporalibus bonis utamur ad neceßitatem, non magnum uobis uideri debebit: & ſi alij qui minus in uobis laborauerunt, aut etiam falsò prædicauerunt Pſeudapoſtoli, uſi ſunt hac poteſtate in uobis, nobis id potiore iure, utiq; licebit. Sed

tamen noluimus hac poteſtate noſtra uti. Quin potius in omnibus patientes ſumus, ita ut etiam penuriam pati magis uelimus: ne forte ullum poßit ex hoc præſtari aut accipi impedimẽtum, quo impediatur profectus Euangelij. *Denique & ex conſuetudine, tam Gentilium quàm* Iudæorum *uetuſtißima cognoſcere poteſtis, licitum nobis eſſe, à uobis ſtipẽdia accipere, quãquam id minus facimus.* Nam *qui in templo operibus inſiſtũt, ea quæ illic agenda ueniunt peragentes, de tẽpli prouẽtibus iure ſuſtentantur.* Et *qui in altaris occupantur miniſtrio, de ijs quæ in eo offeruntur ius eſt eos partem ſumere, ad ſui uictus neceßitatem, & uitæ ſuſtentationem.* Conformis *eſt domini ordinatio, qua ordinauit ijs qui* Euangelicæ *prædicationi inſeruiũt, ut uitæ neceſſaria, ex ſua illa adminiſtratione licite ſuſcipiant.* Attamẽ *nullo horum uti uolui, cum tot modis iure optimo potuiſſem.* Neq; *ad hoc iſta nunc diſſerui, quòd ſuadere uelim uobis, ut ea uel nunc in me compleatis.* Malim *enim quiduis perpeti, etiam mortis diſcrimina, potius quàm hanc gloriam euangelizandi uobis ſine ſumptibus deperire, mihi aut auferri ſinam, ſed eam mihi integram atq; ſolidam ſeruare uolo.* Cũ *ego enim plus omnibus peccauerim, & proinde plus omnibus debeam laborare: non reputo magnum & glorioſum, ſi euangelizauero tantum.* Nam *hoc mihi neceſſario & ex debito faciendum incumbit, ita ut certa me maneat damnatio, ſi commiſſum mihi* Euãgelij *munus, penitus recuſauero, aut omiſero.* Si *enim libenter & ex animo præceptum mihi miniſterium, prædicationis adminiſtrauero, mercedem quidem ſuſcipiam, & erit in hoc mihi gloria.* Si *autem uelut coactus, & non ex animo: credita quidem eſt, & manet mihi adminiſtratio, & alijs quidem dem fructum non mihi faciam.* In *quo ergo ego mihi mercedẽ reputo, & in quo eſt hæc gloria quam quæro?* In *hoc utiq;, ut*

Euangelium ſine ſtipendio prædicans, ipſum ſtabiliam, confirmem, atq; cõmendatum reddam, in hoc, inquam, ut nõ utar poteſtate mea, ad id quod eſt minus bonũ, quod ego abuſum mihi reputarem: præſertim cum ex uſu poteſtatis meæ, occaſionem poſſent ſumere pſeudapoſtoli. Iam enim ſemel meipſum totum dedi Euangelio, ut illud quanto poſſum maiore fructu annunciem. Cum enim eſſem ſic ab omnibus liber, ut nulli prorſus eſſem ſubiectus: propria uoluntate meipſum feci omnium ſeruum, propter amorem Euangelij, ut plurimos lucrarer domino. Et accõmodaui me Iudæis ut eos ad Chriſtum adducerem, quaſi & ipſe Iudæus eſſem: legem obſeruantibus accõmodaui me & cõdeſcendi, quaſi & ipſe ſub lege eſſem (cũ tamen ipſe ſub lege Moſayca nõ amplius ſtringerer, factus Chriſtianus) quo paulatim eos, uel tandem ad Chriſti legem perducerem. Gentibus quoq; ſine ſcripta lege uiuentibus me accõmodaui; quaſi & ipſe eſſem ſine lege (cum tamen ſemper legi Dei permanerem aſtrictus) ut eos ad ueram Chriſti legem adducerem. Infirmis condeſcendi, ne eos perderem nimia ſeueritate, & meipſum eis tanquam infirmum exhibui, ne eos ſcãdalizarem, ſemper tamen, quantum cum Deo fieri potuit, neq; palpando, neq; in malũ conſentiendo, ſed infirmitates tantum ſuſtinendo. Quid multa? Omnium me accommodaui affectibus atq; conditionibus, cupiens (quantum in me eſſet) atq; adnitens, ut ſalui fierent omnes: cuiuſcunq; tandem aut ſtatus fuerint, aut conditionis. Omnia autem hæc ago, propter Euangelium Chriſti, ut fructum Euangelij prædicati percipere ualeam, in tempore ſuo. Parum autem eſt, ſi iſta pro Euangelij fructu agamus, quãdoquidem pro terrenis præmijs homines mundi huius, mira uidemus agere. Sint nobis in exemplum, qui currunt in ſtadio. Vidimus enim omnes, æquali in cürrendo labore fatigari: ce-

terum, non omnes item præmium accipere: ſed illum tantum accipere uictoriæ præmium propoſitum, qui cæteros in curſu anteuerterit. Ad *eundem modum, & uobis eſt currendum, & grauiter agendum: ut quod quæritis, aſſequamini.* Nam *qui in certamine contendunt pro uictoria, proinde abſtinent ab omnibus quæ impedimento poßint eſſe à conſequenda uictoria & illi quidem hæc faciunt, propter adipiſcendum propoſitum temporale præmium.* Nos *autem, propter conſequendam incorruptibilem & immarceßibilem æternæ gloriæ propoſitam coronam.* Ego *igitur ſic curro ad propoſitum brauium, ut nõ in incertũ: ſic ego pugno et uelut pugnis uerbero, nõ quaſi fruſtra aerem cædens: ſed aduerſus hoſtem, nempe carnem propriam, puglior & luctor, illud que liuore maceratũ, in ſpiritus ſubigo ſeruitutem.* Ne *forte poſtquam alijs prædicauerim, ipſe efficiar reprobus, & mala conuerſatione, aliorum ſcandalizator peruerſus: ſi alijs prædicans, propriæ carnis cõcupiſcentias refrænare, ac mortificare neglexero.*

CAPVT DECIMVM.

Ne *uero ſibi quis ſecuritatẽ putet quòd Chriſti ſit myſterijs initiatus, exẽplis priorum patrũ oſtendendũ eſt nobis, non oẽs qui diuinis beneficijs digni ſunt habiti, ſalutẽ fuiſſe cõſecutos.* Hoc *itaque uolo attendatis, quòd ſine delectu patres illi omnes qui de* Aegypto *exierunt, & boni & mali, ſub nubis ducatu & protectione fuerunt, & omnes per mare ſiccis ueſtigijs tranſierunt.* Omnes *item in* Moyſi *ducatu, & nubis claritate atque protectione, in mare ingreßi ſunt, in ſignum futuri baptiſmatis, per quod ab* Aegyptiaca *conuerſatione ad uitæ nouitatem, tranſire oportet.* Omnes *item boni & mali, ſimilem omnino, miraculo datam eſcam, manducauerunt, & oẽs ſimilem, miraculo datum potũ, biberunt, quæ erant ſigna ſpiritualis ci-*

bi ac potus futuri. Bibebant uero de largitate petræ illius ſpiri tualis, quæ eis ubiq; aderat, & uelut comitabatur in auxilium. Hanc autem petrã dico Chriſtum, non ſaxum illud duriſſimũ: quod de ſe aquas dare nõ poterat. Et quãq̃ aquæ omnes diuina percepiſſent beneficia, non tamen in eorum multitudine complacuit domino, cum ſint ob ſcelera ſua in deſerto plurimi eorum occiſi. Hæc autem Deo diſponente, in exemplum nobis præceſſerunt: ut illorum exemplis pœnis'que territi, caueamus concupiſcentes eſſe malorum, quales illos fuiſſe legimus: quos etiam ſatis imitari uidentur, qui ſe per uoracitatem idolothytis cum ſcandalo ingurgitant. Neq; efficiamur idololatræ: ſicut quidam ipſorum: de quibus ſcriptum eſt, quòd poſt abundandantes epulas & compotationes, ſurrexerunt ad honorem uituli ludere. Cui uitio eſtis proximi, ſi ſic pergatis idolorum menſas frequentare. Neq; fornicemur, ut illi cũ filiabus Moab: quorum una die perierunt gladio ultioni uiginti tria millia. Solet enim hoc uitium eſſe conſequens ad crapulã. Neq; tentemus Chriſtum, ſicut quidã ex illis tentauerunt Deum qui immiſit in eos ſerpentes ignitos. At Chriſtũ tentat, qui infirmorum conſcientiam ob ſuã ingluuiem nihili facit, ſimul & ſeipſum peccatorum diuerſorum periculis exponit. Neq; murmuraueritis, ſicut ex illis quidam, propter tædium & laborem itineris, & terram promiſſionis: quos diuina potentia penitus deleuit in deſerto. Hoc autem in proximo eſt, ſi noſtris monitis uelitis reſiſtere. Hæc autem omnia illis quidẽ contingebant in effectu, ſed nobis ad exemplum, atq; ita deſcripta ſunt, ad acriter ſeuereq; ac diſtricte cõmonefaciendos nos, qui (diſponẽte Deo) in hæc nouiſsima tẽpora deuenimus. Horum ergo exemplis admoniti, diſcamus eſſe ſoliciti: non ſegnes, aut occioſi. Qui itaq; modo ſe ſtare in Dei gratia confidit, ſolicite proſpiciat ne quomo-

docunq;, ab illa in qua ſtat gratia, excidat. Cauete uero, *ne ullam permittatis in animo tentationem dominari, ut fiat inſuperabilis, per ueſtran incuriam, aut negligentem deſidiam.* Nam *tentationes humanæ & leues prorſus excludere, eſt impoßibile.* Quod quidem ad Deũ pertinet, *ipſe fidelis eſt, & uerax, nec patitur uos ſupra uires tentari.* Quinetiam *tentationi utilẽ dabit exitum & cũ tentatione uirtutis augmentũ: ut tam propter diuinæ uirtutis auxilium, quàm propter utilitatẽ exitus, & poſſitis facile & uelle debeatis ſuſtinere, ſic ut non fracti ſuccumbatis.* Propter quod *chariſsimi, ne in ullum peccatũ cadatis, neq; uobiſipſis cauſa ſitis lapſus ueſtri, fugite ab idolorũ cultura.* Et quoniã *hac in re uos ſatis prudentes, intelligentesq; iudico, ecce ueſtrũ requiro iudicium.* Voſipſi iudicate, *ſi nõ rationabile ſit, quod dico.* Calix ille *qui per ſacerdotis uiſibilem, & Chriſti inuiſibilem benedictionem conſecratur, & pro quo Deo laudem damus & gratias agimus, non'ne eſt participatio ſanguinis domini, ſic ut qui illum bibat, particeps fiat ſanguinis domini, quem percipit & bibit?* Et panis ille, *per ſacerdotis benedictionẽ in uerũ corpus Chriſti conſecratus: nónne participatio corporis Chriſti eſt ſic ut qui de illo manducauerit, particeps efficiatur corporis domini, quẽ percipit & manducat?* Nihil dubium, *quin hoc ita ſit: quandoquidem nos omnes qui de uno iſto pane, & de uno iſto calice percipimus & participamus, propter unitatem corporis & ſanguinis domini, quod cõmuniter ſumimus, & cui cõmuniter incorporamur, tanquam unus panis efficimur, & unum corpus, cuius ipſe eſt caput.* In quo *hanc unitatem conſequimur, ut quaſi multa grana in unum panem conflemur, & quaſi multa membra in unũ corpus, per ſpiritũ eius compagnemur.* Rurſum. Iſraelitas *attendite, qui ſecundum carnalem ſuam obſeruãtiam adhuc um-*

*bris inhærent:*Non'ne *qui hoſtias in altari oblatas edunt, parti cipes eſſe dicuntur altaris?* Ad *eundẽ modum ergo, etiam qui manducant panem, aut bibũt calicem benedictionis, corporis, & ſanguinis Chriſti participes eſſe dicuntur.* Nunc *ergo dicat mihi aliquis.* Tu *cum tam diſtricte nobis, quæ ſunt idolis immolata, probibes: an dicis, idolis aliquid eſſe immolatum, ſic ut exiſtimatur: ita ut aliquid ex idolo uel ex illa oblatione contrahat, propter quod ex ſe ſit immũdum?* Aut *idolum tale aliquid eſſe putas, quale homines infideles exiſtimant, numinis aliquid habens: ut ſic nos ab illis deterreas, quæ ſunt idolis immolata?* Non *utique hoc dico, neq; exiſtimo.* Dico *tamen, quòd gentes ea quæ immolant quantum ex ſua intentione peruerſa: dæmonijs immolant, quæ uenerantur in idolo, & non* Deo: *atq; ita participat quodammodo cũ dæmonijs, qui de ijs mãducat quæ illis ſunt oblata & cõſecrata.* Ego *autem nolo uos participationem ullam aut cõmunionẽ habere cum dæmonijs, quos ad Chriſtum ab eiuſmodi uanitatibus; magno labore, aſsiſtente gratia* Dei *conuerti.* Quia *fieri nequit, ut ſimul & calicem domini bibatis, & calicem dæmonijs oblatum.* Neque *poteſtis ſumere de menſa domino conſecrata, & ſimul de ea quæ eſt apparata dæmonijs.* Non *poteſt enim eſſe unum, particeps, uel cõmunicans cũ domino, qui uelit participare cũ dæmonijs.* An *fratres, irritare quærimus dominum?* An *ſperamus nos illo fortiores, ut nihil formidemus eum, manducantes idolothyta cum ſcandalo infirmorum?* Iam *ſupra dixi mihi licere omnia, quæcunq; non ſunt iure prohibita, ſed conceſſa, quemadmodum & ſumptus accipere, & cibos quoslibet manducare ſine delectu: ſed non omnia indifferenter expediunt.* Omnia *quidem eiuſmodi, licita ſunt per ſeſe, ſed non omnia proximos ædificant: quæ, propter ſcandalum uitandũ omittenda ſunt, quanquam per ſe ſint*

*ſint licita. Nemo ſui tantum habeat rationem: ſed inſuper &
proximorum attendat fragilitatem, & quid de illis expediat
conſideret, propter charitatem. Ecce autem totius quæſtionis
ſummaria hæc eſt reſolutio. Omne quod in foro publico uenun
datur, libere audete manducare, nihil prorſus interrogantes,
propter conſcientiæ ſecuritatem. Nam & terra & omnia quæ
in eis ſunt, domini ſunt, bona ſunt, munda ſunt eo quòd creatu-
ræ eius ſunt. Si uocati ab infidelibus familiaribus aut cognatis,
ad priuatum conuiuium ieritis, propter conſcientiæ ſecuritatē,
de omni quod apponitur, manducate audacter: niſi interrogan
tes, an ſint cibi idolis immolati, aut impuri, aut ſimile quippiā.
At uero ſiquis dixerit, hoc eſt idolis immolatum, illud ne atti-
geritis: propter hoc, ut non ſcandalizetur is qui indicauit, ſi te
uideat ſcientem, manducare idolothytum: atq; ut cōſcientia fra
tris, ſine offenſa aut ſcandalo teneatur. Conſcientiam dico: non
tuam, ſed alterius, uel indicantis, uel infirmi aſsidentis. Cauen-
dum enim eſt mihi modis omnibus, ne mea libertas, meo abu-
ſu, ab alijs blaſphemetur, aut condemnetur. Si enim mihi licet
ex gratia* Euangelicæ *libertatis, cum gratiarum actione quam-
libet creaturam bonam percipere: quorſum tamen attinet, aut
quid opus eſt, ut cū ſcādalo id faciens, aliorum me blaſphemijs
aut malis iudicijs exponam, pro eo quod gratias agendo libe-
re poſſem manducare, ſi abſq; ſcandalo id facerem? Siue ergo
māducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quodcunq; facitis, curate ſem
per ut in omnibus glorificetur* Deus. *Nolite offēdiculum præ
bere* Iudæis, *aut* Gentibus, *aut* Chriſtifidelibus. *Atqui dum ue-
ſtra libertate abutentes, quæritis menſas dæmoniorum, offen-
duntur* Iudæi, *putantes uos idolorum cultores,* Gentiles *firman
tur in errore: & infirmi fideles, ſcandalum patiuntur in uobis.
Sim uobis ego in exemplum, qui omnibus cū* Deo *placere ſtu-*

deo: quantum ad omnia (quantum ſecundum Deum, & teſtem licet conſcientiam) non quærens meũ ipſius tantũ cõmodũ, ſed plurimorũ, ut quantos utique poßim, ſaluem plurimos.

CAPVT VNDECIMVM.

Hortor *autem uos fratres, ut tam in hoc quàm in cæteris, noſtrum exemplum inſequi non dedignemini: quomodo nos Chriſti domini ueſtigia, ſtudioſe ſectamur. Laudo autem uos fratres, quatenus mei per omnia memores eſtis, & traditiones meas, ſicut præcepi uobis, obſeruatis. Volo autem uos ſcire Chriſtum eſſe caput (id eſt, dominum, ſuperiorem & rectorem) omnis uiri, & uirum eſſe caput mulieris, Deus uero caput eſt Chriſti hominis, quatenus homo eſt. Diuinitas enim eſt humanitate ſuperior. Omnis uir orans orationem publicam, aut prophetiam proloquens, operto capite, ignominia afficit caput ſuum. Contra, mulier orans aut prophetans aperto capite, ignominia afficit caput ſuum, quoniam ſicut illud uiro, ita hoc mulieri uitio datur. In oratiõe enim publica, quaſi Deo nos repræſentamus: & decorum eſt, ut cum ſe miniſtri principi repræſentant, ſuam conditionẽ habitu profiteantur. Mulieri autem competit uelare caput ſuum, ad ſubiectionis uirilis proteſtationem: quemadmodum uir (propter libertatem et dominium, ut ſignificet inter ſe & Deum nihil eſſe medium, ſéque Deo immediate ſubiectum) aperto & nudato debet eſſe capite cũ ſe Deo repræſentat. Tantum eſt enim mulierem aperto eſſe capite, ac ſi ſit decaluata. Nam ſi nolit uelari mulier, cogatur tonderi. Quod ſi turpe ducit, uelet caput ſuum, quoniam ſimilis eſt in utroque turpitudo. Vir quidem, non debet coràm Deo uelare caput ſuum: quoniam ad imaginem Dei, principaliter & primario factus legitur, & ſimiliter gloria Dei eſt, cui ſine medio ſubijcitur. Mulier autem, gloria uiri eſt: quia facta eſt propter uirum,*

tanquam adiutorium illi ſimile. Non enim primum ex muliere factus eſt uir à domino, ſed ex uiri coſta mulier. Et quidem nõ eſt creatus uir propter mulierem, ſed mulier propter uiri adiutorium. Ob has ſubiectionis cauſas, debet mulier uelamine operire caput ſuum: quo poteſtatem & dominiũ uiri ſuper ſe agnoſcat & proteſtetur. Quod etiam debet, propter angelorum reuerentiam: quibus gratum eſt, in ſuo quenque debito ornatu cõſpicere. Ne uero horum quæ diximus occaſione, deſpiciant uiri uxores ſuas: illud ſcitote quoniam (quantum ad ſalutem æternam omnibus propoſitam) pares ſunt uir et fœmina, & apud Dominum, unum eſſe uirum atque mulierem, ſine ſexus reſpectu atq; differentia: neutrũq; ſexum excludi. Sicut enim mulier primum de uiro formata eſt, ita nunc uir per mulierem progignitur. Omnia autem ſimul ex Deo, & in deo unũ ſunt omnia. Voſipſos requiro iudices: Nunquid decens eſt, ut nõ uelata mulier oret Deum? Ipſa profecto natura contrarium docet. propterea quòd uiro ad ignominiã reputatur, ſi comam prolixam mulierum more, ſtudeat nutrire. Mulieri uero ad gloriam reputatur, ſi curet comam enutrire: quoniam capillos ei dedit natura: pro uelamine. Siquis autem uelit contentioſe obſiſtere cum iactantia noſtris traditionibus, nouo more hæc uolens cõfundere ſexuum inſignia, ſciat ille, quoniam nos conſuetudinem non habemus, ſiue contentionibus agendi, ſiue in uiris caput operiendi: neq; eccleſia ulla, alijs in locis conſtituta. Quo fit, ut cõtra communem obſeruationem omnium hi ſoli cõtendant: neq; noſtræ ſolum, ſed eccleſiaſticæ obſeruationi ſe opponant. Hoc ergo dum præcipio, dumq; ſic ordino, illud non laudo, immò uituperandum duco, quod cum merito indies proficere deberetis, uos tamen in deterius congregationes ueſtras facitis, & conuentiones habetis ſolito deteriores. Soletis enim ad paupe-

rum reſocillationem ſimul conuenire, qui nunc ad diſsidia & contentiones celebratis conuenticula. Nam primum quidem fama narrante audiui, cũ in unum cõuenitis ex more in eccleſia, ſciſſuras & diuiſiones eſſe in uobis: & adducor ſatis, ut credã rem ita habere. Nã neceſſario ſemper futuræ ſunt hæreſes atq; ſchiſmata, & Deo diſponẽte, eas eſſe eſt utile: ut manifeſti fiãt, qui ſynceri ſunt inter fideles. Frequenter enim, qui ante latebãt ſecundũ ſpeciem Chriſtianitatis: exortis ſchiſmatibus, atq; hæreſibus, quales ante fuerint declarant. Hinc ergo uobis pariter ex more conuenientibus in unam collectionem, non contingit ultra domini cœnam manducare: quia unuſquiſq; diuitum, priuatim ſuam ſibi cœnam præſumit manducare, pauperibus nihil impartiens. Atq; ita fit, ut paupere eſuriente, diues ad ebrietatem uſq; & crapulam ſatietur, qui de ſua debuit abũdantia, ex ueteri cõſuetudine, pauperum ſupplere inopiam, ut eſſet cœna domini per charitatem, & nõ magis diaboli, per abuſum, & pauperum contemptũ. Ecce habetis domos ad celebranda priuatim conuiuia, & compotationes, ſi hæc uobis libent. Quare hæc in eccleſia cõmuni agentes, ueſtraq; priuata conuiuia in ea celebrantes, ueſtro iſto fœdo abuſu, eccleſiam Dei inhonoratis? Inſuper & erubeſcere facitis pauperes, qui nõ habẽt eſcas: dum uobis epulantibus, ipſi eſurire coguntur? Quid dicam uobis? Tametſi laudabam uos, & in nonnullis forſan laude ſitis non indigni: hac tamen in re laudare non poſſum. Omni enim reuerentia & charitatis cõmunione, oportuit huiuſmodi conuentus, ad Chriſti memoriam inſtitutos, celebrari, propter tanti ſacramenti reuerentiam. Ego enim à domino didici, quod & uos edocui fideliter: quoniam dominus Ieſus, ea nocte qua tradebatur, ſumpſit in manibus panem: & gratias agens, benedicensq; patri, fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc eſt

corpus meum, quod pro uobis in paſſionem & mortem tradetur, tanquã hoſtia pro peccatis mundi. Hoc quoties agetis, *in meæ paſſionis ac mortis agite memoriam. Sic & calicem poſt cœnã ſumpſit dicens:* Hic calix *eſt, in quo nouũ teſtamentũ diſpono uobis, in meo ſanguine, qui in eo ineſt, & quo confirmabitur.* Hoc *facite in meã cõmemorationẽ, quotieſcunq; biberitis.* Nam *quotieſcunq; panem hunc ſanctum mãducaueritis, uel calicẽ biberitis, mortẽ debebitis annunciare & cõmemorare quã ſuſtinuit* Dominus, *donec ipſe ueniat.* Memoriale *enim eſt ſacramentum hoc paſſionis ac mortis domini.* Itaq;, *quicunque manducauerit non digne panem hunc, aut calicem biberit non digne, eius talis erit condemnatio, ut qui uere corpus & ſanguinem domini ſui inhonorauerit, indigne ſumẽdo.* Quapropter *quiſquis uolet hæc ſacroſancta ſumere myſteria: primum examinet ſeipſum, num aliquid in eo inſit, quod ipſum cõmunione reddat indignum: & ſi ſe dignum aptumq; poſt examinationem diligentem cõpererit, accedat deinde confidenter, ut de pane illo edat, & de calice bibat.* Qui *enim indigne manducauerit aut biberit indigne (in ſe inueniens, propter quod merito à cõmunione ſancta abſtinere deberet) ſic ſumendo, æternæ dãnationis iudicium ſibi conciliat, non diſcernens reuerentia debita corpus domini à cæteris cibis.* In huius autẽ peccati *pœnã, quoniã uidelicet corpus & ſanguinẽ domini indigne ſumitis,* Deus *multos in uobis punit in præſenti tempore, ut oſtendat, quàm grauiter ulturus ſit in futuro examine: multos infirmitatibus uarijs & prolixis languoribus affligendo, nonnullos etiã corporali morte, in peccati ultionem, puniendo.* Quòd *ſi noſipſos diligenti probatione atq; examinatione iudicaremus, nequaquam à domino ſic iudicaremur.* Sed *neq; hoc domini iudicium temporale, nobis eſt inutile.* Dum *enim ſic arguitur, tem-*

poráli correctione, à benigno domino corripimur, et ad bonũ erudimur, ut non cũ huius ſeculi hominibus damnemur: qui ſine omni aduerſitate, frequenter permittuntur à Deo uitam ſuã in finem uſq; ducere, poſtmodũ paratam inuenientes, quæ eos expectat, æternam damnationem. Itaq; fratres mei chariſſimi, cum ex more conuenitis, ad manducandũ cõmuniter poſt ſumptam euchariſtiã, inuicem expectate, non contentioſi alius aliũ præuenire: ut cõmunis ſit cœna, quæ ad ſimilitudinẽ dominicæ menſæ instituitur, non priuata. Siquis autem famis impatientẽ ſe conqueratur, & ideo non poſſe cõmune conuiuium expectare, domi terreno pane paſcatur, & famẽ pellat: ut non ad damnationem uobis, ueſtræ conuentiones fiant. Cætera (ſi quæ ſuperſunt ordinanda) cũ uenero ad uos, præſens ipſe diſponam.

CAPVT DVODECIMVM.

Super omnia autem fratres, ſpiritualium rerum uos cõuenit habere cognitionem. Illud autẽ experti ſcitis, quomodo olim cũ gentes eſſetis, ad ſimulachra muta, & omni prorſus ſenſu carẽtia, ibatis, prout conſuetudine & inſtitutione peſſima patrum ueſtrorũ, atq; ipſo etiã dæmonis impulſu, agebamini, Iccirco uobis nunc ad Deũ uiuum conuerſis notum facio, quòd nemo loquens ſecundũ ſpiritũ Dei, intra ſe habitantem, dicit ullum maledictum domino Ieſu: uel aſſerens de eo quod eſſet blaſphemiæ aſſerere, uel negans, quod blaſphemiæ eſſet negare. Et nemo poteſt ex animo profiteri Ieſum dominum, ipſum uere ut dominũ agnoſcens corde, quem profitetur ore: niſi ſecundũ inhabitantem ſpiritũ ſanctum. Hoc autem præſtat gratia gratos nos Deo faciens, ut à malo omni declinemus, & bonum faciamus: deũq; ut nec ore nec opere blaſphememus, ſed tam ore quàm opere profiteamur. Cæterum, quantum ad gratias gratis datas, uaria donantur à Deo dona hominibus: unus eſt autem ſpiritus, à

quo omnium quantum libet diuerſarum gratiarum dona proce dunt, Et uaria ſunt ſpiritualium miniſtrationum officia, diuerſis commiſſa & credita. Idem uero eſt dominus, cui oẽs, in ſua quiſq; adminiſtratione, ſeruiunt. Diuerſa item exteriorum operationum miniſteria: idem uero eſt Deus, cuius uirtus operatur in omnibus omnia, id eſt, omnes omniũ operationes. Vnicuiq; uero datur aliqua gratia ſpiritus manifeſtatiua, ad ſuam, atq; communem utilitatem. Alij quidem donat ſpiritus, ſapienter de cœleſtibus arcanis eloqui. Alij, idem dat ſpiritus, ſcienter loqui de ijs quæ ad agenda moresq; pertinent. Alij dat fidei ſublimitatem, feruorem, atq; conſtantiam. Alij donum curandi languores. Alij miraculorum quorumlibet, quæ ſupra naturam ſunt, operationem. Alij, ut futura prædicat, ſiue occulta. Alij, ut ſpirituum ualeat diſcernere ſuggeſtiones, ſermones, aut conſilia. Alij, ut uarijs poſſit loqui linguis. Alij, ut ſermones obſcuros queat patefacere. Atq; hæc omnia, unus idemque ſpiritus uarie operatur in diuerſis, diſtribuens ſingulis pro ſuo placito. Sicut enim hominis alicuius corpus, unum cum ſit, propter membrorum in unum compaginationem, ex multis tamen membris conſtat: omnia uero corporis membra, cum ſint multa & diuerſa, unum tamen corpus componunt: ita eſt de Chriſto & eccleſia. Sunt enim omnes fideles unum corpus, per ſpiritum ſanctum compaginati, cuius caput eſt Chriſtus. Nam unus ille, idemq; ſpiritus, per quem omnes in baptiſmo ſumus uiuificati, nos in unum corpus componit: Omnes, inquam, ſine delectu tam Iudæos quàm Gentiles, tam ſeruos quàm liberos, abſque perſonæ reſpectu: & eundem omnino ſpiritum, omnes qui credidimus accepimus: per quem adinuicem conglutinamur, & in unum, corpus componimur. Nam & corpus non uno conſtat mẽbro, ſed multis. Si dixerit pes, ideo ſe non eſſe de corpore, quia ma-

nus non eſt:uel auris, quia oculus nõ eſt, num ideo uerum erit, ea nõ eſſe de corpore? Si enim ſingula membra corporis eſſent oculus, non eſſet locus auditui, qui debet in aure conſiſtere & non in oculis. Et ſi ſingula eſſent auris, nõ eſſet locus odoratui, qui in aure non poteſt, ſed in naribus debet habere locũ. Nunc uero Deus collocauit ſingula membra in corpore, pro ſuo placito: & quemadmodũ unicuiq; nouit pro ſua conditione expedire ac conuenire, ſic unicuiq; locum dedit. Si autem eſſent omnia membra unũ membrum, non eſſet corpus, quod eſſe debet ex uarijs membris diuerſa habentibus officia, compaginatum. Secundum ueritatem autẽ, membra quidem ſunt multa & uaria in corpore, ex ipſis autẽ unum conflatur corpus. Non poſſunt autẽ membra ſeinuicem aſpernari, ut dicat oculus manui, opera tua non indigeo: aut caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij. Immo uero membra quæ uidẽtur eſſe infirmiora, ſunt amplius neceſſaria ijs, quæ uidentur eſſe robuſtiora magisq; ualida: quemadmodum de oculis eſt, qui & teneri ſunt, & maxime homini deſeruiunt. Illa etiam quæ ignobiliora reputantur, ſolemus tegumentis honeſtis abſcondere, atq; ita honorare. Membra uero quæ in nobis ſunt fœdiora ſiue pudenda, his ſecundũ conſuetudinem, abundantiorem cultum atq; ornatum ſolent homines ſuperaddere. Id quod tam in uiris quàm fœminis, promptum eſt cõſpicere. Cũ hæ quidem, cingulis aureis uentrem ſoleant ornare: Illi, ſuos lumbos baltheis aureis aut ſimilibus. Honeſtiora autem membra noſtra, nullo egent ſuperaddito cultu exornari: quemadmodũ frontẽ, in qua decor hominis relucet, & faciem, nemo tegit. Deus enim ad æqualitatẽ quandam ita ordinauit de corpore, uolens cui ex natura deeſt honeſtas, tribui abundantiorẽ arte honorẽ: ut nõ ſit inæqualitas ĩ corpore, aut diſcordia (more humano loquẽdo) quæ ſolet inter homines

ex inæqualitate procedere, ſed ut cõmuniter ſint pro inuicem membra ſolicita. Et ſiquid patitur aliquod mẽbrorũ, cõdolent cætera, ſibiq; mutuo ſuccurrere ſtudent. Siue etiã reficitur aut gaudet aliquod mẽbrorũ, congaudent illi cætera. Vt autẽ hanc mẽbrorũ & corporis cõparationem propoſito aptemus, dico quòd uos (quatenus per unitatẽ fidei et ſpiritus, ſimul cũ Chriſto capite & uobiſinuicem uniti) eſtis corpus Chriſti, cuius ipſe eſt caput: & ſinguli mẽbra eſtis, per charitatis uinculũ proximis mẽbris cohærentia, & abinuicem mẽbrũ à mẽbro pendentia, ſic ut adiuuicem uniamini, inuicẽq; deſeruiatis. Et quoſdam quidẽ conſtituit Deus in corpore Eccleſiæ, Apoſtolos: qui ſunt primi ordinis, quibus Eccleſiæ regmen, à Deo eſt cõmiſſum. Secũdo loco Prophetas, cœleſtiũ reuelationũ immediate capaces. Tertio, doctores populorũ: qui inſtituti ſunt, ut ſuos ſermones auditoribus aptantes, doceant paſcantq; populũ, tam uerbo quàm exemplo. Deinde, ſignorum ac prodigiorum mirabilium operatores. Deinde, habentes gratiam curationum. Quoſdam item dedit, qui poßint opem ferre aliorum miſerijs: quoſdã potentes rectè gubernando, ſanctorũ prodeſſe neceßitatibus: quoſdam uarijs linguis ualentes loqui: quoſdam potentes additos ſermones explicare. Non donat autem Deus ſimul omnibus omnia. Non enim omnes ſunt Apoſtoli, neque omnes prophetæ, neque omnes doctores, neque omnes operatores uirtutum ſunt, neque omnes curare ualent, neque omnes linguis loqui, neque omnes interpretari. Et quia non poteſtis ſinguli habere omnia, ſectamini atque deſiderate habere quæ ſunt ex donis potiora. Super hæc autem omnia, adhuc excellentiorem uobis uitæ uiam (nempe charitatem) demonſtrare propono, de cuius uirtute latiorem aliquanto & altiorem, nunc ordimur ſermonem.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Si ſecundum angelorum intelligentiam, pariter atq; hominum lin guas diuerſas, magnificos ſermones nouerim loqui, ex dono Dei gratuito, & ipſe non habeam charitatem, factus ſum uelut æs ſonitum emittens, aut cymbalum tinniens: quod alijs quidẽ proficit ſuo ſono, ſibi nihil. Et ſi per prophetiæ donum, abdita omnia nouerim myſteria, & omnem agendarum rerum habeã ſcientiam, fidemq; tam ualidam, ut maxima ualeam eius uirtute miracula edere, cuiuſmodi eſt (exempli gratia) montes de loco in locum transferre, hæc autem habens, ſolam non habeam cha ritatem, nihil mihi prodeſſe poſſunt hæc omnia. Et ſi per miſe ricordiam uiſceroſam, opitulando pauperibus, erogauero oẽs facultates meas in uſus pauperum neceſſarios: Si deniq; corpus meum tradidero, uel ad ignem, pro fideli gubernatione credito rum, uel alia quauis de cauſa: niſi in his omnibus adſit charitas, nihil mihi prodeſſe ualebunt iſta, quantumuis magna, & mi randæ uirtutis opera, uideantur. Hæc ipſa charitas, patientes reddit atq; benignos, nec inuidere ſinit, neq; procaciter aut per uerſe agere, nec intumeſcere intra ſe, neq; ambire honores. Nõ patitur eum in quo eſt, ſui tantum rationem habere: ſed etiam quæ utilitatis ſunt aliorum, nempe proximorũ, facit attendere. Neq; permittit ad iram concitari, neq; malum ſuſpicari, aut me ditari dolos. Neq; poteſt lætari de peccato: ſed in ueritate uitæ exultat, cum proximos uidet in ueritate ambulantes. Omnia ſufferenda facile perpeti facit, & cuncta credere credenda, & ſperanda ſperare, atq; per patientiam expectare. Charitas, ut hic incipitur ſic nec in futuro nos deſeret, ſed nobiſcum perma nebit in patria. Veniet enim quãdo nec prophetiæ donum erit, utpote in patria, ubi omnia clare uidebimus: quando & lingua rum donum ceſſabit, et ſcientia iſta quæ nunc eſt per ſpeculum,

de creaturis & corporeis actionibus, nullũ habebit uſum. Charitas autem de ſe nunquam nos deſeret, nunquam deficiet, ſed in futuro eadem ipſa, etiam perfectior, in nobis erit, & ualidior ad actus ſui executionem. Pro *hoc ſiquidem rerum ſtatu, cognoſcimus tantum imperfecte, per ſcientiam iſtam quam modo habemus: & imperfecta eſt, etiam prophetica cognitio, quam per ænigmata habemus.* Neceſſe *eſt autem ut adueniente eo quod perfectum eſt, id quod imperfectum eſt cedat, detq́; locum perfectiori.* Vnde *patet, & ſcientiam iſtam, & prophetiam quæ modo eſt, propter ſuam imperfectionem, in futuro cedere debere illi clariſſimæ uiſioni & agnitioni perfectæ, quæ ſubſequetur.* Ecce *anagoliam uobis propono. Cum eſſem paruulus, ut paruulus loquebar, ut paruulus iudicabam, quæ puerorũ erãt, & quæ illi ſolent, cogitabam.* Factus *autẽ uir, reliqui quæ puerorum erant: ita ut nec illorum more iudicarem, nec loquerer.* Ad *eundem modum uidemus nunc diuina, imperfecta cognitione, uelut per ſpeculũ, per creaturas in ænigmate, in ſpeciebus, quas ſibi intellectus format: tunc autem uidebimus* Deum *aperte, uelut facie ad faciem, ſine ullo ænigmate aut medio.* Nunc *imperfecte cognoſcimus: tunc autem manifeſte ac ſine ænigmate* Deum *cognoſcemus, ſicut ipſe nos aperte nunc, ſine intermedio, conſpicit.* Pro *hoc autem ſtatu, manent hæc tria: fides, ſpes, charitas.* Inter *quæ tria, charitas eſt maior, & præcellentiſſima omnium uirtutum.*

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

O*mni ergo ſtudio quærite charitatem.* Nibilominus *& ſpirituales gratias reliquas deſiderate, & habere conemini.* Præ *cæteris uero, prophetiæ donum: quod multo eſt potius, dono linguarũ.* Nam *qui lingua loquitur auditoribus peregrina, non ad hominum proficit ædificationem, ſed ad* Dei *tantum gloriam, cuius*

laudes prædicat. Nam auditorum nemo intelligit, quid ille pere grina lingua dicat: & tamen ſpirituali dono, corām Deo, loqui contingit magna myſteria. Item, qui per prophetiam occulta explicat myſteria loquitur hominibus: ſiue ædificando & inſtruendo indoctos, ſiue excitando torpentes, ſiue conſolando deiectos. Qui autem lingua peregrina loquitur non intellecta auditoribus, ſibi ſoli prodeſt, ſeipſum ſolum exercitans in Dei laudibus. Qui uero per prophetiam occulta fidei myſteria exponit hominibus, populum Dei (ut iam monſtratum eſt) multis modis ædificat. Ne autem me exiſtimetis hæc dicere in derogationem ac uilipenſionem linguarum, optarem ſanè, ſingulos ueſtrum donum ſuſcepiſſe linguarum. Non enim mihi hoc donum diſplicet: ſed quod melius eſt præfero, nempe prophetiæ donum, & tanq̃ utilius, ſuadeo magis deſiderandum. Præcellit enim linguis loquentem, qui prophetiam habet, niſi cum dono linguarum, iunctum ſit interpretationis donum. Magni enim æſtimandum foret linguarum donum, ſi coniunctam haberet interpretandi gratiam. Et nunc fratres mei, ego ipſe ſi ad uos ueniens cœpero linguis peregrinis inter uos eloqui magnalia, in nulla re ero uobis utilis. Secus, ſi reuelationes diuinorum myſteriorum aut agendorum cognitionem, aut futurorum euentum, aut doctrinam quamlibet aliam, quæ uel ad morum uel ad fidei rectitudinem faciat loquar. Immo uero uel in rebus inanimatis, ꝑquam facile eſt uidere, quod diximus. Huiuſmodi enim ſonum dantia, ueluti tibia ac cithara, cum per flatum canentis, aut pulſum ferientis ſonum emittunt, nunq̃ intelligent audientes quid tibia canatur, aut quid cithara pulſetur, niſi diſtinctio adſit ſonorum, & uocis: ſecundum quam, quod canitur aut pulſatur, poßit intelligi & diſcerni. Item tuba, ſi ſonitu indiſtincto clangatur, abſq; certa clangoris modificatione, nemo ſe arma-

bit ad prælium: propterea quòd non intelligant milites, quid uelit illa ſonitus confuſio. Ad eundem modum uos quoq; niſi per linguam ſermonē loquamini auditoribus notum, qui mentis conceptum poſſit apud audientes facere maniſeſtum, quis intel liget? Sic enim loquentes ſine fructu, inuanum aerem tantū ferie tis. Sanè plurima ſunt idiomata in mūdo: nullum uero ſine uocum diſtinctione, articulationeq; certa ſermonis, fieri conſtat. Ergo ſi uirtutē ſignificationis uocabulorū neſciero aptare auditoribus, ero auditori, cui loquor lingua peregrina, uelut barbarus: & qui mihi loquitur eo pacto, mihi erit quantum ad ſermonem peregrinus, atq; extraneus, & prorſus incognitus. Vos itaq;, qui omnino auide quæritis ſpiritus dona, uidete ut ea potiſsimum ſectemini, quæ abundantiorem eccleſiæ afferūt fructum & ædificationem; ut fructum abundantiorem facere ualeatis. Ideoq;, qui iam linguarum donum habet, poſtulet ut ſimul & interpretationis donum acquirat. Loqui enim linguaꝭ ſine intelligentiæ atq; interpretationis gratia non multū eſt ad ædificationem eccleſiæ. Nam ſi per linguarum donum eloquar orationem, ſpiritus quidem donum (quod in orante eſt) facit me orare: ſed manet ſine fructu mens quæ ea non intelligit, quæ ſpiritus dono lingua orat, Nā qui linguis tantū loquendi, donū acceperūt, ſine ꝓphetia atq; interpretatione: ſubinde, cum uel orationē, uel pſalmū, uel alia Dei magnalia proferunt, nihil eorū ipſi intelligunt mente. Spiritus enim dono, ad hæc eloquēda aſpirantur atq; impelluntur. Quid ergo eſt his in rebus deſiderandum, & præferendū? Nimirū, ut et ore ꝑ linguæ donū, pariter & mēte ꝑ prophetiā, oremus. Itē, ut ore pſallamus, pariter et mēte. Cæterū, ſi ſpūs tantū aſpiratus dono, lingua peregrina grās agas ac bñdicas, quis erit tibi idiota reſpondens? Aut quis ad benedictionē tuā reſpondere poterit, Amen: Cum nō intelli-

gant auditores, quicquam eorum quæ tu dicis? Nõ quod tu ma le benedicas, ſed quia non ædificantur aſtantes, eorum quæ tu profers prorſus nihil intelligentes. Ego quoq; pro magno reputo, & gratias ago Deo, quòd omnium ueſtrum linguis loqui poſſum. Sed in cõgregatione fideliũ, malo paucula aliquot uerba, cum mentis intelligẽtia proloqui, ut & ipſe ea intelligam, & ſimiliter cæteri quos adeſſe contigerit, quàm per linguam ſolam abſq; intellectu, plurima uerborũ milia. Fratres mei nolite pueros uos exhibere iudicio & diſcretione: ut ea magis miremini quæ magis noua ſunt, cuiuſmodi eſt donum linguarum: ea uero minus, quæ licet utiliora, tamen minus noua ſunt minusq; ſpectabilia, cuiuſmodi eſt donũ prophetiæ. Nam puerorum eſt hoc iudicium, ut non quæ utiliora ſunt, ſed quæ magis noua aut magis delectabila, præeligant. Sed in malo ſimplices, & innocentes, atq; ita pueros, uos eſſe deſidero. Iudicio tamen & diſcretione electionis, uiros: ut quæ magis ſunt utilia, magis miremini, & deſideretis magis. De linguarum autem dono, apud prophetam legimus ex ore domini ita dictum. Quoniam in uarijs linguis, & non uarijs loquendi modis, loquar obſtinato iſti Iudaico populo: & ne ſic quidem, ad me conuertentur. Vnde claret, linguas non eſſe datas, ad eorum qui iam crediderunt ædificationem, ſed magis tanquã prodigia dari, ad infidelium conuerſionem. Cõtra uero, prophetiæ donum, potius ad fidelium ædificationem, quàm infidelium conuerſionẽ, datur. Ecce enim uniuerſa eccleſia conueniente in unum, ſi cœperint cõgregati omnes fideles linguis uarijs loqui, & introire contingat infideles, aut idiomata illa peregrina ignorantes, qui nihil eorum quæ illi dicunt intelligunt, non modo nihil ædificabuntur, uerum etiam turbabuntur magis, exiſtimantes illos quaſi inſanos & arreptitios loqui, & mentis non eſſe compotes. Si

uero omnibus uiciſſim & bono ordine prophetantibus, & oc culta idiomate noto reuelantibus, ingredi contingat infidelem aut idiotam quempiam, conuincitur ab omnibus, & de occultiſſimis quoq; cordis ſui dijudicabitur, & fient manifeſta quæ nemini fuerant hominum cognita, niſi ſoli Deo, *atq; proinde cum omni reuerentia, procidens in faciem ſuam,* D*eum adorabit, proclamans* Deum *in fidelibus ſuis uere inhabitare.* Vultis *ergo, fratres mei, cognoſcere, quid his in rebus ſit faciendum? Audite me apoſtolum ueſtrum.* Quoties *in unum conuenitis, quiſquis ſiue pſalmum à* Deo *accepit, ſiue morum doctrinam, ſiue occultorum reuelationem, ſiue linguarum, ſiue interpretationis gratiam, ſtudeat ad id quod accepit, ad cõmunẽ eccleſiæ utilitatem ordine & modo congruis, proferre: ut modo & ordine ſeruato, fiat ædificatio, non confuſio. Ita ut ſi lingua loqui contingat, permittantur duo, aut ut multum tres linguis loqui, & alius poſt alium. Sit autem unuſquiſpiam, qui interpretetur ea quæ lingua peregrina pronunciãtur. Si autẽ forte deeſſe cõtingat qui poſſit interpretari, in conuentu fidelium ſileat qui linguas tantum habet, abſq; interpretatione. Secreto autem ſibi, &* Deo *ad gloriam loqui poſſit. Inter prophetas quoq; ſit hic ordo, ut duobus aut tribus alio poſt alium loquentibus, cæteri* P*rophetæ dijudicent, eorum quæ prophetantur ueritatem. Cũ autem contigerit alterius qui tacebat mentem, ſpecialiter diuino dono ſuper propoſitis illuminari, qui prior loquebatur, patienter cedat poſteriori.* N*am fieri poteſt, ut prophetarum ſinguli per partes prophetent: ut uniuerſi diſcant, dum alios audiunt, atq; item uniuerſi ſuo ordine exhortentur, dum ipſi prophetant.* E*t omnino in uoluntate eſt prophetarũ, ut libere poſſint quãdo opportunum eſt, ſuæ prophetiæ illuminationem loqui, & quando opportunum tacere, neq; ut arreptitij omnino.*

coguntur. Alioqui Deus *ſæpenumero diſſenſiöis foret author: qui tamen eſt* Deus *pacis: quemadmodum & in alijs omnibus ſanctorũ eccleſijs, prædico.* Quantum *ad ſexum muliebrẽ attinet, in conuentu fidelium ſolenni, ubi adſunt uiri fideles, mulieres nõ loquantur: aliquo pacto.* Nõ *enim, propter uerecundiã ſubiectionis, permittitur eis loqui in eccleſia: quemadmodũ in libris* Moyſi *in ipſo Geneſis initio de mulieris ſubiectione legimus, cum ſub uiri poteſtate conſtituitur.* Neq; *interrogare fas eſt eis publice, in eccleſia:* Domi *uiros ſuos interrogent, ſiquid uolunt diſcere.* Omnino *enim turpe eſt mulieri (utpote perſonæ ſubiectæ) in eccleſia fideliũ loqui: ſed propter uerecundiã, in publicis cõuentibus, magis conuenit ſilere.* Quid *uero audẽt quidam obſiſtere ordinationibus* Apoſtolicis, *propter tumorẽ mundanæ ſcientiæ?* An *à uobis primitus uerbũ* Dei *cœpit, aut ad ſolos uos peruenit: ut uelitis uos reſpuere, quæ cæteræ omnes fideles tenent eccleſiæ?* Quod *ſiquis habetur inter uos, aut propheta, aut ſpiritualis, in diuinis rebus edoctus: diſpiciat & conſideret, quoniam ſecundũ* Deum, *& à* Deo *ſunt mandata hæc, quæ trado uobis.* Siquis *autem per craſſam ſuã negligentiam, aut contemptum, ignorat quæ non ſunt ignoranda, illum quoq; non agnoſcet* Deus, *ut admittat eũ in gloriam ſuã.* Itaq; *(ut hanc materiã concludẽdo, finiam) prophetiæ donum, tanq̃ ſimpliciter melius & utilius, ſuadeo magis deſiderandum, magisq; pro eo aſſequendo elaborandũ.* Veruntamen *neq; prohibendũ eſt linguarũ donũ, cũ & ipſum ſit bonũ.* Tantũ, *ut oĩa decenter & bono ordine abſq; confuſione fiant inter uos.*

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

His itaque prioribus diſſolutis quæſtionibus, & factis ordinationibus, ad magnum reſurrectionis myſtrium uolumus accedere. Ac *primum quidem, pro huius dogmatis cõſtabilitione, notum*

facio

ſacio uobis de prædicatione Euangelij *quod prædicaui uobis, quod per fidem acceptaſtis credentes, in qua etiam nunc perſeueratis, in ſuſcepta ſemel fide bene ſtabiles, & per cuius fidem ſpem habetis ſalutis ueſtræ:* Notum, *inquam, uobis facio, qua ratione* Euangelium *illud prædicauerim uobis, quoniam non rationibus humanis, ſed uirtute diuina, ſi modo ea adhuc tenetis, & in eis perſeueratis, quæ per me ex* Deo *uobis ſunt annũciata.* Fru*ſtra enim fuerit, ſemel fidem* Chri*ſti ſuſcepiſſe, ſi ſemel credita iam reſpueritis.* Inter *prima enim et præcipua edocui uos, quemadmodum & ego à* Deo *fui edoctus, quoniam* Chri*ſtus iuxta ſcripturarum ueterum teſtimonia, pro peccatis noſtris mortuus eſt, ac deinde ſepultus: poſt quæ, tertia die reſurrexit à mortuis, iuxta ſcripturarũ ſanctarũ de eo prædicta teſtimonia.* Et *in fidei confirmationem, apparuit* Petro, *& undecim diſcipulis in unum congregatis, propter metum* Iudæorum, *& deinceps, ſimul congregatis fidelibus in* Galilæa, *pluſquàm quingentis.* Quorum *multi etiam nunc ſunt ſuperſtites, multi uero obdormierunt in domino.* Vi*ſus eſt inſuper* Iacobo Item *diſcipulis atq; Apoſtolis omnibus, in aſcenſione ſua.* Po*ſtremo & ego poſt aſcenſionem, uelut intempeſtiue uidi dominum, quemadmodum ſolet abortiuus fœtus tẽpore non congruo emitti.* Ego *ſiquidẽ, hac cõſideratione, infimus ſum* Apo*ſtolorum, indignus* Apo*ſtoli nomine, quantum ex me quidem fuit: propterea quòd perſecutus ſim eccleſiam* Dei. Attamen *qui ex me nihil ſum, per* Dei *gratiam ſum id quod ſum, nempe* Chri*ſto nunc credens, &* Apo*ſtolus, & gratia eius in me non fuit ocioſa ſine operibus, ſed plus cæteris omnibus, eam laboraui in opus expendere.* Non *autem ego hos labores, quaſi ex me peregi: ſed per me* Dei *gratia, cui ego per conceſſam mihi arbitrij liberi poteſtatẽ, uiriliter cooperor.* At *uero, his omiſ-*

ſis,parum refert,ſiue nos, ſiue cæteri Apoſtoli plus prædicauerimus:certum eſt, quòd ſic nos ut ueri Apoſtoli prædicauimus,uti ſupra notum fecimus uobis & uos illa recte credidiſtis. Si autem prædicamus Chriſtum, nos Apoſtoli, à mortuis reſurrexiſſe:quæ eſt hæc quorundam audacia, ut audeant inter uos fideles aſſerere,non futuram reſurrectionem mortuorum hominũ cæterorum? Ablata enim mortuorũ reſuſcitatione,auſertur & Chriſti reſurrectio. Quoniã Chriſti reſurrectio, efficiens cauſa eſt reſuſcitationis mortuorũ. At ſi Chriſtus concedatur nõ reſurrexiſſe, cõſequitur ſtultam & uanam fuiſſe prædicationem noſtram,ac proinde & falſam fuiſſe fidem ueſtram utpote qua falſæ noſtræ prædicationi aſſenſeritis. Inſuper & nos demõſtramur falſum teſtimonium dixiſſe aduerſus Deum, prædicantes de eo & attribuentes illi quod ueritatis non eſſet. Prædicauimus enim, Chriſtum à patre ſuo ſuſcitatum:quod falſum cõprobatur,ſi mortuorũ negetur reſurrectio. Nam conſequitur optime,ſi nec reſurgant nec ſint reſurrecturi aliquando mortui,neq; ipſe quidem Chriſtus olim ſurrexit. Hoc autem ſi admiſeritis,colligitur,nullum uos è fide ueſtra fructum percepiſſe. Nondum enim dimiſſa ſunt uobis per fidem peccata ueſtra,ſi fides ueſtra uera non ſit. Rurſum cõſequitur, fideles qui in fide Chriſti dormierunt,prorſus periiſſe,ſicut belluas, nullã ultra bonorũ operum mercedem expectantes. Quæ omnia fideles uos, quomodo tam abſurda feretis? Profecto, ſi nos qui quotidie propter fidem Chriſti affligimur & mortificamur, ſperantes eſſemus in Chriſto,ſolum in hac uita, in ea expectantes retributionem,ex iis quæ in hac uita,exiſtunt, nõ expectando futura cœleſtia bona eſſemus planè omnibus hominibus miſerabiliores,& infeliciores,utpote, qui & præſentibus & futuris gaudiis priuaremur. Nũc autem uera fides hæc eſt,quòd

Chriſtus ſurrexit, morte deuicta, inter omnes mortuos primus ipſe & præcipuus, tanquam primogenitus in multis fratribus. Ita enim decebat, per unum hominē reſurrectionem fieri mortuorum, quomodo per unum hominem cæteri omnes facti ſunt mortis debitores. Et ſicut in Adam omnes mortui ſumus: ita in Chriſto uitam reſumemus æternam. Vnuſquiſque tamen in ſuo reſurget ordine, ſtatus cōditionis, atq; meriti. Primitiuus Chriſtus, qui ſingulari gloria præ omnibus, tāquam primogenitus, reſurget glorioſus. Deinde fideles eius, qui eius aduentū credētes expectauerunt, cū ſpei deſiderio, ac ſtudio bonarum operationum. Poſt reſurrectionem autē cōpletam mortuorū, erit mūdanæ mutabilitatis & ſeculi conſummatio: quādo penitus hoſte ſubacto, filius patri regnum beatorū pacatum reddet, plenum atq; quietum, euacuatis omnibus officijs, principatuum, poteſtatum, uirtutum (tam quo ad bonos, quàm quo ad malos angelos) quādoquidem nullius eiuſmodi miniſterijs ultra opus erit. Oportebit autem illius regnum perdurare eo uſq;, ut tandem perfecta ſubiectione, omnes inimicos ſuæ ditioni & poteſtati, ſiue uoluntarios, ſiue coactos, perfectè ſubijciat. Omnium uero poſtrema, deſtruetur terribilis mors, ita ut ſanctorū nulli deinceps noceat. Omnia enim pater (iuxta ſcripturam) ſubiecit ditioni filij ſui. Conſtat uero, cum omnia dicit ſubiecta eſſe filio, excipi a ſubiectione, patrē, qui filio ſubiecit oīa. Cum autē cætera oīa fuerint filio à patre ſubiecta, erit tūc & ipſe filius, (quatenus ſecundū humanitatē minor eſt) ſubiectus patri ſuo, ut ſit Deus unus oīa implens & oīa in oībus, quod nō eſſet, ſi filij regnum diuiſum à patris fingeremus imperio, & diuerſos Deos confingeremus, patrem atq; filium. Rurſum, ſi reſurrectionem nō creditis uel illorū uos fiducia cōfundat, qui tantum reſurrectioni tribuunt: ut eius ſpe, etiam pro mortuis olim ſine

baptiſmo amicis, iudicauerint uiuos baptizandos. Quorſum uero hoc faceret̃, ſi reſurrectionis ſpem nõ haberet̃? Licet enim in parte aliqua errent, exiſtimantes poſt mortẽ baptiſma pro= deſſe, tamen oſtenditur liquido, quantam illi fidẽ reſurrectioni habeant. Quòd ſi horũ errantiũ nihil uos mouet exemplũ, ec= ce noſipſi, putatis, tanta pericula p ſingulos dies uellemus per= peti? Nam per ſingulos penè dies, in mortis periculis atq; affli= ctionibus uerſamur, propter gloriã quã habeo, quæro, & ſpe= ro de ueſtro profectu, in Chriſto Ieſu domino noſtro. Iterum, quod ſecũdũ rationem uiriliter agens, metu ſenſus poſtpoſito, etiã cũ beſtijs pugnare, apud Epheſum nihil formidaui, quid mihi prodeſt, ſi nõ eſt futura mortuorũ reſurrectio? Potius di= cendum cũ cæteris mihi eſſet. Manducemus & bibamus fruen tes delicijs huius ſeculi, donec uiuimus, quoniam nobis inſtat mors, poſtq̃ nulla reſtat uoluptas. Attendite uobis fratres mei & ne uos ſinatis ab eiuſmodi ſeductoribus ſeduci. Bonos enim mores, facile praua euertunt colloquia. Magis autem exurgite ad iuſtitiam, nec ulli deinceps peccato ſubijciamini. Sunt quidã inter uos qui ignorant quæ de Deo ſcire debent, quos mea iſta reſpicit admonitio, ut euigilent. Loquor hæc uobis, ut uel per uerecundiã emẽdemini, qui eiuſmodi eſtis. At dicat forte quiſ= piam. Quonã modo reſurgent mortui, & quali in corpore re= dibunt: eodẽ ne an alio? Vel ex ijs quæ in natura fiunt, diſce ô inſipiẽs, diuina ſapere. Ecce, quod tu ſeminas, nõ reuiuiſcet fru ctificando, niſi per putrefactionẽ fuerit mortuum. Cũ autẽ ſe= minas, nõ corpus illud quod futurũ eſt naſciturũq; ex grano ſe minas: ſed ſimplex tantũ granũ, uel tritici uel alicuius aliorum granorũ ſiue ſeminũ. Pro ſuo aũt arbitrio donat Deus ſemina to atq; in terra poſito grano illi corpus, qđ ex ipſo enaſcatur & unicuiq; ſemini, iuxta ſuæ naturæ cõditionẽ. Sic neq; mirũ,

ſi per uirtutem Dei, corpora reſurgant alia, quàm fuerint ſemi nata. Rurſum, nõ omnis caro alteri eſt ſpecie ſimilis: ſed diuerſæ ſunt, & ſpecie & qualitatibus, carnes hominũ, pecorum, uolucrũ, atq; quadrupedũ. Et diuerſa ſunt corpora cœleſtia, à terreſtribus. Et ſingularem habẽt admirabilẽq; gloriã corpora cœleſtia, quã terreſtria nõ habent. Rurſum, ſol, luna, & ſtellæ. Immo ſtellæ abinuicem differunt, alia ab alia, in claritate. Proportionabiliter eſt conſideranda in reſurrectione corporũ differentia: non ſolũ ſeminati ad reſurgens, ſed etiã reſurgentiũ ad inuicem. Sepelitur quidem & terræ cõmendatur, corruptioni obnoxium cadauer: reſurget uero idẽ illud, in ĩmortalitate, & omnimoda impaßibilitate. Seminatur obſcurũ & uile: Reſurget in gloria & claritate nimia. Seminatur tardũ et impotens, à quibuslibet facile patiens: reſurget autẽ agile & potens, ſic ut à nullo deinceps nocumentũ pati queat. Seminatur corpus animale, cibis & potibus nutriri indigens. Reſurget autẽ ſubtile & ſpirituale, nullis eiuſmodi indigens. Sicut enim eſt corpus modo animale, ſic & ſpirituale, quod ſuo tempore apparebit in gloria. Ac de animali quidẽ corpore legimus ĩ Geneſi, quẽadmodũ primus homo factus ſit per aĩam & uitam à Deo participantẽ, & corpori uitã dantem, atq; hæc quidẽ uita animalis eſt. Quo cõtra, de ſecũdo Adẽ ac nouißimo nempe Chriſto, dici poteſt quòd natus ſit ſecundum ſpiritum, oẽs credentes (qui ſunt corporis eius membra) uiuificantẽ. Verũtamen nõ prius ſpirituale corpus debebat eſſe quàm animale. Sed ab imperfecto animali (ut nũc eſt) perueniri debet ad perfectum, qđ eſt ſpirituale. Primus homo, de terra, terrenus fuit: ſecundus homo, cœleſti operatione miraculoſe genitus, cœleſtis, quia de cœlo. Illi primo terreno cõformes ſunt, omnes terreni: Cœleſti huic, nempe Chriſto, adſimilabũtur oẽs cœleſtes, q ſunt de cœ-

lo regenerari, ſpiritu eodem. Quo ut pertingere ualeamus, fra tres mei, certemus nũc Chriſti imaginẽ & ſimilitudinẽ bonis actibus exprimere quemadmodum hactenus uita mala, ueteris Adæ imaginẽ, in nobiſipſis portauimus, illiq́; ſecũdũ animalẽ & carnalẽ uitã cõcupiſcẽtiæ noſtræ, aſsimilati ſumus. Hoc autẽ iccirco dixerim, quoniã qui ſecundũ carnẽ, & deſideria mala cõcupiſcẽtiæ uiuunt, regnũ Dei nõ poſſidebunt: neq; qui corru pte uixerit, poterit immortalitatẽ glorioſam adipiſci. Ecce altius uobis, ſuper modo & ordine reſurrectionis, pando myſterium. Oẽs quidẽ oĩno reſuſcitabimur, boni atq; mali, & ad ui tam uniuerſi reuocabimur, ſine exceptione: at nõ itẽ oẽs p gloriã immutabimur. Cõplebuntur oĩa in momẽto, in oculi ictu, tubæ nouiſsimæ ſonitus miniſterio. Facto nãq; tubæ ſigno, mor tui reſurgent integri, & in mẽbris cõpleti, nullã poſthac mortem uiſuri. Specialiter aũt iuſti ac boni (de quorũ numero etiã me fore cõfido) ad gloriam immortalitatis atq; impaſsibilitatis ĩmutabuntur. Oportet enim corpus hoc, quod nũc eſt corruptibile, ornari tũc incorruptibilitate, & quod nũc eſt mortale ueſtiri ĩmortalitate. Cũ uero mortalitate exuta, corpus hoc factum fuerit ĩmortale, tũc impletus erit ſcripturæ ſermo, qui di cit, mortẽ per Chriſti uictoriã deuictã atq; contritã. Nunc igitur ô mors tu, quæ ſoles dominari oĩbus, ubi nũc eſt tua illa uictoria, qua ſoles ſuper oẽs triũphare? ubi eſt nũc ô mors, gladius ille quo ſoles occidere aĩas? Certe Chriſtus utrunq; deſtru xit, p mortẽ ſuã. Gladius enim quo interficitur aĩa eiq́; uita au fertur, peccatũ eſt. Lex uero adeo nõ abſtulit, neq; mortẽ, neq; peccatũ ſtimulũ eius, ut ipſa etiã p occaſionẽ increſcere fecerit peccata. Iuxta ueritatem ergo, Deo agamus gratias, qui p dñm noſtrũ Ieſum Chriſtũ filiũ ſuũ, nobis perfectã fecit uictoriã, à peccato & eius pœna, morte æterna, nos liberans. Tandẽ igi=

tur cõcludẽs, moneo uos fratres mei dilecti: ut ſtabiles in fide ſancta permaneatis, neq; ullo pacto amoueamini ab eo in quo ſtatis firmo fidei fundamẽto proficientes ſemper in omni opere quod placitum eſt domino, Iã enim cõprobatum eſt, & ſcitis ipſi: quia labor ueſter quẽ in bonis operibus impẽditis, non erit ſine mercede, in nouiſsimo die. Quod cõſequeretur indubie, ſi reſurrectionis fidẽ negaremus, quã nos confirmauimus.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De *collectione aũt pecuniarũ, quæ fit pro ſanctorũ neceſsitatibus: ſicut ordinaui in eccleſijs* Galatiæ, *ſic etiã inter uos facite, prima die ſeptimanæ, id eſt, dominica die, quæ eſt prima poſt ſabbatum.* Et *ut oĩs tollatur ſuſpitio malæ conſeruationis, ſinguli apud ſe reponant, quod ſibi iuxta* Deũ *fuerit uiſum diſtribuere in pauperes, ne tunc ſit colligẽda adhuc eleemoſyna, quãdo præſens adero uobis: quæ res & in grauamen ueſtrũ cederet, &* Pſeudoapoſtolis *calumniandi occaſionẽ maiorẽ daret.* Cum *uero ad uos uenero, epiſtolis datis ad* Apoſtolos *in* Hieruſalẽ, *mittã uiros quos mihi probatos indicabitis: ad perferendã hãc eleemoſynã.* Quòd *ſi dignum uiſum fuerit atq; conſultũ ut ego ipſe deferam, ibunt mecũ illi fide digni, ut pariter eleemoſynã iſtã deferamus in* Hieruſalẽ. Veniam *autẽ ad uos, ubi* Macedoniam *pertranſiens uiſitauero.* Nam *ſtatui* Macedoniã *pertranſire.* Cũ *autẽ ad uos uenero, decreui apud uos aliquantũ tẽpus cõmorari, aut etiam prorſus hyemare: ut uobis comitantibus, pergam quocunq; mihi fuerit eundum.* Nõ *enim uolo uos hac uice, tranſeundo tantum uidere: ſed ſpero me aliquantulũ temporis uobiſcum cõmoraturum, ſi ſic domini fuerit uoluntas.* Permanebo *aũt* Epheſi, *uſq; ad* Pẽtecoſten. Multorũ *enim animos, hoc in loco, ad* Euangelij *ſuſceptionẽ paratos inuenio, & clara uidetur ac certa ſpes fructus, quẽ hic poſſum efficere: &*

aduerſarij multi ſunt, qui profectum noſtrũ & illorũ impedire conãtur, quibus omnino neceſſe erit reſiſtere. Interim, ſi Timo theus ad uos uenerit, uidete, ut ab iniurijs ſeruetis eum ſecurũ. In Dei enim opere ſolicite laborat, ſicuti et ego. Propter quòd nequis eum parui æſtimet, reijciat, aut contemnat. Magis au= tem honeſto ac tuto comitatu, propter honorẽ Euangelij quòd prædicat, illum deducite, ut ad me ueniat. Expecto enim aduen tum eius, unà cum fratribus. De Apollo autem fratre, ſcitote me plurimum rogaſſe eum, ut unà cum alijs fratribus ad uos pergeret. Hac autem in parte, non acquieuit petitioni meæ, ut modo ad uos pergeret. Venturum autem ſe eſt pollicitus, cum ſibi opportunum uidebitur, & magis expediens. Vos interim uiglãtes & attenti eſtote, firmi ſtate in fide recta, uiriliter ope remini quæ bona ſunt, & in omni bono corroboremini. Super omnia autem, quæcunq; facitis in Dei amore, & pacifica adin uicem charitate, facite. Oro autem uos fratres, quoniam noſtis familiã Stephanæ fideliſſimæ matronæ, & Fortunati et Achai ci: quòd ſint præcipui & primi inter Chriſtianos uniuerſæ Achaiæ & ultronei ſeipſos obtulerunt, ad miniſtrandum ſan= ctorum neceſſitatibus: ut eiuſmodi hominibus deferatis, & eos reuereamini. Neq; his modo, uerum etiã oĩbus qui inter uos, zelo fidei, nobis cooperantur, & laborãt in negocio Euãgelij. Gaudiũ uero magnũ & conſolationẽ, mihi adfert iſtorum præ ſentia, nempe Stephanæ, Fortunati, & Achaici: quoniã ueſtrũ omniũ loco quod mihi deerat, ſuppleuerunt. Meum enim ſpiri tum præſentia humanitatis ſuæ plurimum recrearunt: & (quia meum gaudiũ ueſtrum eſt) ſimul etiã refocillarunt ſpiritũ ue= ſtrum. Eos ergo qui tales ſunt, agnoſcite: ut eos in omni reuerẽ tia & honore habeatis. Saluto uos ego Paulus, omniũ eccleſia rũ noĩe, quæ ſunt in Aſia. Salutant uos in dño multũ Aquila et

Priſcilla, cũ domeſtica eorũ familia, apud quos ego hoſpitor. Salutant uos oẽs qui mecũ ſunt fratres. Salutate uos inuicẽ, in ſpiritu ueritatis & pacis, in oſculo ſancto & amore ſyncero, atq; immaculato. Salutatio mea, manu Pauli. Siquis non amat dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit execratus in aduentu domini. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, uobiſcum. Charitas, qualem ego ad Deum & erga uos habeo, ſit cum omnibus etiam uobis, ut inuicem diligatis, quomodo ego uos diligo, in ueritate, in Chriſto Ieſu. Amen.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM in Epiſtolã ad Corinthios poſteriorẽ btĩ Pauli Apoſtoli.

Scripſerat Apoſtolus, ſuis quos ad Chriſtum conuerterat Corinthijs: obiurgatoriam Epiſtolam: in qua multa illorum uitia, ſeuera ſatis increpatione redarguerat. Corinthij uero quaſi bonæ obedientiæ filij, accepta Apoſtoli ſui epiſtola, ad pœnitentiam compuncti quæcunque ille corripuiſſet, ſtudioſe emendabant. Ita, ut (iuxta Apoſtoli præceptum) fornicarium illum ab eccleſia eijcerent, & cætera itẽ de quibus inſtructi erant, iuxta quod oportebat, corrigerent. Gaudens ergo de illorum pœnitentia Apoſtolus, conſolatoriam eis ſcribit hanc ſecundã epiſtolam. Ac primum quidem, ſuarum tribulationum magnitudine enarrata, & diuina protectione annexa, ad ſui excuſationẽ procedit: rationẽ reddẽs, cur ſicuti pollicitus fuerat, ad eos nõdum ueniſſet: neque leuitati hoc neque inſtabilitati aſcribendum declarans, ſed ad parcendum ipſis, id eſt, ne ſeuerius in eos agere cogeretur, ſi præſens illis nõdum emendatis adueniſſet. Optabat autem magis, ut cum ad eos adueniret, in gaudio id fieret, non in triſtitia, qua ſe tum afflictum fuiſſe plurimum narrat, cũ poſt audita Corinthiorum peccata, priorẽ deſcriberet epiſtolã.

Quomodo autem ſeueritate iuſtitiæ, peccatorẽ illum fornicariũ iuſſerat Satanæ tradi, in carnis interitum: Ita *ex aduerſo emendatum & pœnitentem, modo recipi iubet, in gremium et unitatem* Eccleſiæ: *ne forte per aſtutias Satanæ, illius ſpiritum contingat per deſperationẽ, in damnationem pertrahi.* Deinde *fructum adiungit multiplicem & copioſum, ueræ ſynceræq; prædicationis ſuæ per quam, Chriſtiani nominis odorem* Deus *faciebat in omni loco manifeſtum,* Atq; *hæc quidem, prioribus duobus capitulis.* Mox *aduerſum* Pſeudo*apoſtolos ſuã gloriationem inſtituit gloriam noui teſtamenti & miniſtrorum eius: gloriæ ueteris teſtamenti (quod erat tanquam imperfectum ſuo tempore euacuandũ) præponẽs. Cuius rei occaſione, de* Moyſi *uelamine et* Iud*æorum obtuſitate atque cæcitate quædã interſerit.* Atq; *hæc capite tertio.* Propter *huius aũt tan glorioſæ ad miniſtrationis munus ſibi creditum ex miſericordia* Dei, *oĩ ſecura dicit etiam ex occultiſſimis cordis, fœda quæque abijcere: ita ut nec in corde quicquã ſit aſtutiæ aut calliditatis, & in con uerſatione omnium ſe cõſcientijs reddat cõmendatum.* Neque *quicquam ſe cõmoueri, ijs quas pro Chriſto patitur corporis miſerijs et afflictionibus (quas etiã cum gloria recitat) propter Chriſti adiutoriũ, & interioris hominis profectum: ſciens quo niam, quanto externus homo (id eſt, caro paſſibilis) perſecutio nibus corrumpitur, tanto ſpiritus amplius uireſcit in[illegible]rius, præter ea quæ ex paſſionibus iſtis expectat, uenturæ retributionis ſempiterna præmia.* Ad *quæ ſuſpirãs quinto capite, ſpei ſuæ confeſſionem profitetur, glorificationis quoq; beatorum, tã in anima q̃ in corpore, aſtruit myſterium. Cuius ſpe & expectatione, ſe dicit, etiã dũ in corpore peregrinatur, licet abſens ſit ſecundum corporis conuerſationẽ à domino, ſemper tamen conari ad placendum illi, ut cum exhibitus fuerit ante tribunal*

Chriſti(ad quod omnes aſſerit manifeſtãdos)beatitudinis tunc gloria dignus inueniatur ſuperueſtiri. Ad quod etiã,*quantum in ſe eſt,oẽs cupit propter charitatem* Chriſti,*quæ illum urgebat adducere.* Ob quod *ſexto capite, quaſi* Dei cooperator,*legatione fungens pro Deo , oẽs hortatur,ut tẽpus ſalutis modo propoſitum,fidei deuotione acceptare uelint. Se uero,ne forte prædicationi huic ullum præbeat impedimentum , ab omni eo cauere aſſerit,ĩ quo uituperari poſsit prædicationis miniſteriũ, immo propter eius fidelem adimpletionem , omnia ſe ſuſtinere corporis incõmoda,libentiſsimo animo,ꝓfitetur:quæ & particulatim enumerat,ueluti per catalogum recenſens,& quanta patiatur, & quibus modis quibúſue armis aduerſus ea ſe defendat:*Atq; *binc,in fine ſexti capitis, ad effectuoſam exhortationem ſe conuertẽs,eos ut ſibi chariſsimos obteſtatur, ne cũ infidelibus participẽt,in ijs quæ ſunt erroris,aut periculi: eo quòd populus dei ſint,inter quos* Deus *inhabitet,atq; inãbulet.* Pro*pter qđ, etiã ſexto capitulo ſermonẽ exhortationis continuãs, omni cura eos iubet cordis munditiã quærere, quã* Pſeudoapo*ſtoli prorſus negligebant,exteriori ſimulatione ſanctitatis contenti.*Mox *autẽ poſt ſeptimi capitis principium, poſt breuiter expoſitã quã paſſus fuit in* Macedonia *tribulationẽ,conſolationem aperit, qua ſe conſolatum fuiſſe commemorat ex aduentu* Titi,*qui ab illis ad* Apoſtolum *iã redierat.* Qui Apoſtolo *narrans illorum pœnitentiã, et promptiſsimum ad obediendum in omnibus animum, ſummum quoque erga* Paulum *præceptorẽ amoris affectum,miro gaudio eum letificauerat.* Atque *etiã in eo,quod* Titum *à ſe miſſum,multa humanitate & benignitate, in præceptoris reuerentiam & gloriam excepiſſent.* Poſt *hæc octauo capite, exẽplo* Macedonum*(quorum ĩ ſumma penuria & tribulatione maxima, miram liberalitatem commemorat)*

Achaicos ipſos prouocat, ad faciendam ſanctis Hieroſolymitanis eleemoſynam: cuius rei gratia, ſe Titum atque alios duos probatæ fidei fratres, dicit miſiſſe. Neque uero id facit Paulus, quaſi per imperium quenquam cogere uolens, ſed quaſi conſulens, quod illis eſt utile: ut exemplo Chriſti, miſericordiam præſtent, iјs qui miſericordia opus habent. Atque hæc quidem conſulit ſuadétque, octauo & nono capitulis. Quoniam uero, licet emendati eſſent in pluribus Corinthij, uidebantur tamen doctores adhuc inter ſe tolerare, non ſynceros & Pſeudoapoſtolos: qui quæſtus gratia, uel ſecundum ſeculi ſapientiã, uel ſecundum legis obſeruantiã docebant, ex quibus eis periculum erat corruptionis à ſynceritate fidei, qui Paulo eiúſque authoritati multis modis derogabant, ſeipſos uero mire iactitabant: iccirco aduerſum hos, ad retundendam illorum ſuperbiã, in ſequentibus fortiter agit. Ac primum quidẽ capite decimo, per Chriſti modeſtiam eos obſecrat, in ſancta fide & obedientia ſic perſiſtere, ut non cogatur ſuæ ultionis ſeueritatem in eos exercere: quã ultionis poteſtatem, nonnulli in eo falsò calumniabantur audaciã, dicentes illum ut carnalem hominem gloriam quærere, et nihil niſi audaciam prætendere abſentẽ, cum præſens totus eſſet uilis & contemptibilis. Contra quos agens ꝓteſtatur ſe corám Deo ambulantem, & præſentem & abſentem ſemper ſui ſimilem eſſe, ſpiritualem quoque ſe eſſe non carnalem, & armis ſpiritualibus, non carnalibus, omnia agere, quanquam & poſſet (ſi uellet) etiam ſecundum carnem gloriari, cum illis ſuis obtrectatoribus Pſeudoapoſtolis, quam & in illis gloriari nõ erubeſcebant, quæ extra ipſorum eſſent regulam, quod à ſe Paulus dicit alienum, qui in ſolo domino ſe fatetur gloriari. Poſt hoc, capite undecimo, compulſus neceſſitate, propter Pſeudoapoſtolos, aduerſus illorum inſipientiam, ſuam opponit gloriã. Primum

quidem ſe excuſans, de eo quod forſan illos potuiſſet offendere, quoniam uidelicet ab Achaicis ſtipendia noluiſſet accipere, quod ſe dicit propter Pſeudoapoſtolorum malitiā, non propter diſcipulorum odium, omiſiſſe: deinde neceſsitatem gloriationis ſuæ iterum proteſtatus: primum quidem in ijs quæ carnis ſunt gloriatur, de genere, de lege, ac ſimilibus: deinde in ijs quas pro Chriſto pertulit, paſsionibus cum illi nihil pro Chriſto, uel minimum, aliquādo paſsi fuiſſent. Duodecimo *uero capite, etiam ad altiora priuilegia, per gloriam (ſub aliena tamen perſona) pergit recitanda, & de ſtimulo carnis ſibi ad humilitatis cuſtodiam.* Dei *prouidentia dato, commemorat: rurſumq́; in infirmitatibus ſibi complacet.* Poſt *quæ omnia (ne forte quis ſcandalizetur in eius gloriatione) eius neceßitatem iterum replicat: eo quòd ſuum præceptorem &* Apoſtolum *illi non defenderent, contra Pſeudoapoſtolos, ut debebant.* Poſtremo, *circa finē capitis duodecimi, & capite toto decimotertio, timens ne non oēs adhuc ſint emendati, ſeuere edicit, ut ſiqui adhuc emendati nō ſunt, quantocyus corrigere ſe ſtudeant, antequam ipſe præſens adueniat, & ſuæ ultionis ſeueritatē in eos exercere cogatur: id quod ſe minime petere declarat, modo ipſi corām* Deo *probati appareant.* Ait *enim ſe nō tyranni more quærere ulciſcendi occaſionem, ſed patris affectu illorum bonam & probatam conuerſationem, pro qua etiā ſedulo orare* Deum *ſe teſtatur: ſeque ob hoc nunc abſentem ſcribere durius, ut non præſens ſeuerum ſe in ulciſcendo exhibere cogeretur.* Poſt *omnia, gaudere eos ſemper iubens, & pacem ſectari, ita claudit* Epiſtolam.

FINIT ARGVMENTVM IN EPISTO
lam ad Corinthios ſecundam.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD Corinthios poſteriorem beati Pauli Apoſtoli.

CAPVT PRIMVM.

PAulus Apoſtolus Chriſti Ieſu, ſecundum uoluntatem Dei, & Timotheus frater: ſalutẽ dicunt Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi congregata, pariter & omnibus in uniuerſa Achaia fidelibus. Sit uobis gratia, & comes illi pax, à Deo patre omnium noſtrum, & domino Ieſu Chriſto. Benedictus ſit Deus, & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, pater ille à quo omnis miſericordia, & Deus à quo omnis uera conſolatio: qui conſolatur nos in omni tribulatione nobis obueniente, in hoc, ut nos item conſolari ualeamus quoslibet in preſſura conſtitutos, per exhortationem cõſolationis eius, quã ipſi à Deo accepimus. Quoniam ſicut ob amorem Chriſti, paſſionibus aggrauamur in corpore, ſic & abundantius conſolationem ſpiritus, per Chriſtum accipimus. Quicquid autem de nobis agitur, Deo diſpenſante, ad ueſtram agitur utilitatem. Nempe ſi tribulamur, ad ueſtram id exhortationem atq; ſalutẽ permittit Deus, ut noſtro exemplo exhortemini & confirmemini ad patientiam. Siue conſolationem accipimus, & hoc ipſum ad ueſtram conſolationem ſiue exhortationem à Deo internam accepimus, & illud quoq; ad ueſtram fit exhortationẽ & ſalutem. Quæ quidem conſolatio atq; exhortatio, uos facit ualentes, ad eaſdem paſſiones tolerandas, quibus & nos premimur: ut hac de cauſa merito firmam ſpem de uobis concipiã quòd conſolationis ſpiritualis aliquando eritis participes, ſicut nunc mihi eſtis in tribulationibus ſocij. Quibus enim cõmunis eſt afflictio, eiuſdem eſt & cõmunis poſt afflictionẽ cõſolatio.

Volo autem ſcire uos, quantam in Aſia tribulationem ſuſtinue rimus, ubi exceſsiue admodum, onus graue tribulationis ſuſti= nuimus: ſupra humanas uires: adeo ut nec liberet nobis ultra uiuere, atque (etiam ſi libuiſſet) ſpes nulla uideretur reliqua. Quin & ipſi intra noſmetipſos exiſtimauimus, mortē nos hu= manitus nō poſſe euadere, quaſi mortem uidentes in proximo. Atq; in illud tātum diſcrimen uenire nos permiſit Deus, ut di= ſcamus nobiſipſis (id eſt, noſtris uiribus & conſilijs) nihil fi= dere: ſed ſpem omnem in Deo habeamus, qui & mortuos ſuſci tare potens eſt, qui ipſe de tantis nos mortalibus periculis, & liberauit, & liberat, & (quemadmodum ſperamus) in poſterū liberabit, adiutorio precum ueſtrarum, quas pro nobis ad Deū effunditis: ut de dono gratiæ ſuæ quam in nos cōfert, per mul= tos, & à multis perſonis diuerſarum cōditionum atq; ſtatuum, agantur gratiæ Deo, pro nobis. Orationum autem ueſtrarum ſuffragia fidenter depoſcimus, & apud Deum exaudiri confi= dimus, quoniā gloriamur in teſtimonio bono, quod nobis per= hibet conſcientia, in ſpiritu ſancto, in eo quod ſimplici & inte gro corde, coràm Deo, & non per carnalem ſapientiam, ſed iuxta gratiam Dei, conuerſati ſumus erga omnes. Peculiariter dico ad uos, à quibus nec ſtipendium unquam accepimus labo= rum, quod ab alijs eccleſijs accepimus. Quæ autem ſcribimus uobis, & ex literis noſtris olim acceptis, & ex conuerſatione præſenti cognouiſtis. Spero autem, quod & uſq; in finem eoſ= dem nos cognoſcetis, quemadmodum hactenus, ex parte cœpi ſtis noſtram conuerſationem habere probatam. Idq; ita conue nit, quoniam nos ſumus, de quibus erit uobis gloriatio in nouiſ ſimo die domini noſtri Ieſu Chriſti, ſicut & nos de uobis glo= riabimur. Nos de uobis, quos in fide genuimus: uos in nobis, quos ueſtræ ſalutis primos poſt Deum authores habuiſtis.

Et hac confidentia ſtatueram mecum, priuſquam intrarem in Macedoniam, uenire ad inuiſendum uos: ut ſecundam uiſitationis gratiam haberetis, & in aduentu noſtro conſolationem, & per uos tranſirem in Macedoniam: & ſic reuertens, deliberaueram à uobis deduci uelle in Iudæam. Hoc ergo cum prius ſtatuiſſem, nunquid leuiter egi mutato conſilio? Aut quæ ego ſtatuo, ſecundum carnem me putatis definire, ut ſit in me duplicitas aut inſtabilitas? Fidelis autem eſt Deus, nec duplex, nec inſtabilis, & ad eundẽ modum ſermo noſter, quo apud uos Chriſtum prædicans uſus ſum, nec duplicitatem, nec inſtabilitatẽ habet, ſed ſtabilis eſt in eo ſimplicitas. Nam prædicatio, quã ego & Syluanus & Timotheus in uobis prædicauimus, de Ieſu Chriſto filio Dei, nullam in ſe habuit duplicitatem, ſiue inſtabilitatem: ſed Eſt (hoc eſt ſimplex firmitas, & ſtabilis ſimplicitas) in illo fuit. Immo quotquot promiſſiones à Deo ſunt nobis donatæ, & per nos prædicatæ, per Chriſtum ſunt firmæ & immutabiles. Atq; ideo, Deo patri per Chriſtum dicimus Amen, ueritati & firmitati omnium conſentientes: ut credentes & acceptantes, gloriam promiſſam conſequamur. Qui autem nos pariter & uos in Chriſto confirmat, Deus eſt: qui & ſpiritu ſancto ſuo nos ſignauit adoptando, tanquam filios Dei diſcernẽs à filijs diaboli, & eundem nobis in pignus dedit æternæ hæreditatis, in intimis noſtris. Ne uero me leuitatis arguatis ob prædicta, & propoſiti dilationem aſcribatis inſtabilitati: ecce Deum teſtor futurum iudicem, me hucuſq; (ut propoſueram) Corinthum non ueniſſe, nulla alia de cauſa, niſi ob hoc ut uobis parcerem, ne ue in multos ueſtrum, necdum emendatos, durius agere cogeret, ſi præſens ipſe adueniſſem. Hoc autẽ dixi, parcere me uobis, non quaſi ratione fidei ſuper uos dominatum mihi uendicans, ſed quia miniſter ſum ueſter, cupiens ueſtrum

ſtrum magis adiuuare, quàm turbare gaudium. Nam (quod quidem ad fidẽ attinet) ſatis recte apud uos res habet neq; in præſentiarum quicquam eſt, de quo quantum ad ueritatem fidei, ueniatis arguendi.

CAPVT SECVNDVM.

Statui autem in animo meo hoc ipſum, nempe in triſtitia nolle me uenire ad uos cum iterum aduenero. Si enim ego uos contriſto, & quis me poterit lætificare? Oportebit ergo me uobiſcum triſtitiam habere, poſtquam ipſi triſtes me conſolari minime ualeatis. Niſi qui ex mea correptione ſalubriter contriſtatur, is lætificare me ſua triſtitia poteſt. Hoc autẽ quod ſtatui, etiam ſcripto indicare uobis curaui, ut non mihi uenienti ad uos, accumuletur triſtitia ad triſtitiam: Idq; de ijs, ex quibus ſpiritus meus gaudere debuerat: dum confido in omnibus uobis, quòd meum gaudium, omnium ueſtrum cõmuniter eſt, quemadmodum & ueſtrum, noſtrum etiam eſt gaudium. Nam epiſtolam illã priorem, ex multa afflictione & dolore animi ſcripſi uobis cũ multis lachrymis: non intentione uos cõtriſtandi, quaſi in neſtra triſtitia ego gauderẽ, ſed intentione uos perducendi ad emendationem ueſtrorum peccatorum. Ex quo etiam uidere poteſtis charitatem noſtram, qua ſumus pro ueſtro profectu ſoliciti ualde, Qui autem me contriſtauit ex uobis nõ me in profundum demerſit triſtitiæ: ſed ex parte aliqua, ſecundum rationis modum, alijs plurimis ex altera parte me conſolantibus ex ſuæ conuerſationis bonitate: ut ne uidear omnes uos quodammodo accuſare, et omnibus meæ triſtitiæ cauſam imponere. Illi uero qui ſuo ſcelere ſic me contriſtauit, ſufficiat obiurgatio cõmunis, quæ eſt à cõmunitate eccleſiæ, ad correctionẽ. Quæ tamen ſic moderetur, ut ex aduerſo remittentes aliquid, etiam conſolemini obiurgatum, ſecũdum ſpiritum: ne forte obiurgatione laceſſitus, neq;

conſolatione lenitus, abſorbeatur abundanti triſtitia, in deſpe=rationis profundum. Propter quod obſecro uos, *ut cœptam in illum charitatem, per correptionem acriorem, nunc* pergatis *perficere, in cõſolando eundem.* Ideo enim *&* *ſcripſi uobis, ut experimentum ſummã obedientiæ ueſtræ,* an in omnibus ſitis *perfecte* obedientes, *noſtra iußione parati corripere atq; eijce=re, & iterum noſtra iußione parati conſolari atq;* recipere. Il=lud *aũt* ſcitote, *quoniam cuicunq; poſt peractam pœnitentiam, congregati in nomine domini donaſtis remiſiſtisq́;, ueniam dantes, &* ego *illud præſens ſpiritu, ratum habeo: & nunc: iſtam abſolutionem ego ratam habeo, ſi eum receperitis.* Nam & ſi ego *aliquid* donaui, *id quod* donaui, *uice* Chriſti donaui: *ne per nimiam ſeueritatem ſub iuſtitiæ prætextu,* nos ſatanas *circũue=niat.* Cognouimus enim *aſtuta* illius *conſilia, quibus ſolet nimiã auſteritatem nonnunquam ſuggerere prælatis, ut ſic in deſpera tionem abducat, quos benigna & mitis correptio, à morte ſal=uaſſet.* Cum *ueniſſemus autem* Troadem, *prædicãdi* Euangelij *gratia, & multos uiderem ad audiẽdum* uerbum Dei *paratos: non potui tamen habere requiem, in ſpiritu meo,* eo quòd Ti=*tum non inueniſſem, cuius auxilium, mihi erat neceſſariũ.* Pro=pter quod *fratres* Chriſtianos *exhortans, eisq́; uale dicens,* pro*fectus ſum in* Macedoniam. Agimus *autẽ* gratias Deo, qui nos *ſemper triumphatores & uictores efficit in* Chriſto Ieſu, *faciẽs nos in omnibus ſuperuincere, dansq́; nobis, corda infidelium iu go fidei eius ſubijcere: & gratißimum* odorem ſuæ cognitio=*nis, famamq́; ſui nominis, per noſtræ prædicationis miniſteriũ, manifeſtat, atq; diſpergit in omni loco,* Iudæorum & Gentiliũ. Nos *enim* Chriſti odor ſumus, *id eſt,* Chriſti *odoriferam famã deferentes, in ſenſus hominum:* ante Deum *utiq;* bonus & ſua=*uis, & ſi mali homines corrupti iudicio, aliter iudicẽt.* Bonum,

inquam, fundimus nominis odorem in cõmune omnibus, tam in electis & ſaluandis, q̃ in reprobis & perituris, neminem celantes Euangelium. Verumtamen odor iſte, alijs quidem, ex ipſorum uitio in mortem cedit: Alijs autem eſt odor bonus ad uitam, qui etiam mortuos, bene acceptatus corde fideli, ſufficiat uiuificare. Ad hunc autem Chriſti odorem ferendum quis ex illis Pſeudoapoſtolis (quos non Deus mittit, ſed quæſtus prædicare facit) tam ſe idoneũ iactitet quàm nos Deus fecit idoneos? Abſit autem à nobis, ut tales ſimus, quales (prohdolor) uidemus plurimos, ſub ſpecie doctorum ambulantes: qui uerbum Dei, non ſynceriter nec ſimpliciter prædicant, propter Deum. ſed cauponantium more, cõmiſtum cum humanæ ſapientiæ aut eloquentiæ impuritatibus, aut iudaicarum obſeruantiarum uanitatibus, ad quæſtum & lucrũ prædicant, ſiue potius uendũt. Nos uero ſyncere, integre, & pure, quemadmodum à Deo accepimus coràm Deo iudice, in Chriſto (id eſt, ſecundum Chriſti uoluntatẽ, & propter eius amorem) prædicamus, quod nobis eſt cõmiſſum, ſanctum Euangelij uerbum.

CAPVT TERTIVM.

Sed nunc iam, incipimus noſipſos iterum cõmendare. An uero egemus (ſicut quidam faciunt) cõmendatitijs epiſtolis, ab alijs ad uos acceptis, quas nobiſcum circumferamus, aut à uobis acceptis, ad alios circumferre? Non utique. Epiſtola enim commendans & teſtificans Apoſtolatus mei authoritatem, ac ueritatẽ, uoſipſi eſtis, quam ego in corde meo deſcriptam mecum deporto: quæ epiſtola intelligitur, & legitur, ſeu cõſideratur, ab omnibus hominibus, ueſtram conuerſationem & fidem contuentibus: dum manifeſtamini, per exhibitionem uirtuoſæ conuerſationis ueſtræ, quaſi epiſtola ſitis, in qua deſcriptus eſt Chriſtus, per noſtrum miniſterium: ſcripta, inquam, non attramento, ſed

ſpiritu Dei *uiui, non in tabulis lapideis (quemadmodum ſcri-pta erat lex* Moyſi*) ſed in tabulis, quæ ſunt ueſtra corda, non iã lapidea (quemadmodum adhuc habent increduli) ſed mollia & ſpirituſſancti inſcriptionis bene ſuſceptibilia*. Fiduciam *aũt talẽ habemus, & ſic cõfidẽter loquimur, ut audeamus aſſerere, quod noſtro miniſterio hæc ſunt peracta, quæ diximus: nõ qua-ſi per noſipſos, uel minimum quidlibet cogitare ſufficiamus, quaſi à nobiſipſis & non à* Deo, *quanto minus grande aliquid operari: ſed quicquid poſſumus & ualemus*, ex Deo *habemus ut ualeamus*. Q*ui etiam idoneos nos fecit, adminiſtrationi no-ui teſtamenti: quod non eſt in litera ſitum aut carne, ſed in ſpiri tu & ueritate*. N*am legis litera, mortis occaſionem præbet ſpi ritus autem nouæ legi, uitam confert credentibus. Hæc autem adminiſtratio noui teſtamenti, magna gloria eſt eius cui credita eſt. Si enim miniſtratio legis, quæ mortem infert in lapidibus deſculpta, literis uiſibilibus facta fuit cum magna adminiſtran-tis gloria & claritate, adeo ut non poſſent filij* Iſrael *directo aſpectu intendere in faciem* Moyſi, *præ nimia claritate & glo ria, quæ tamen gloria, nouæ legis aduentu euacuatur: multo igi tur magis miniſtratio nouæ legis, erit cum adminiſtrantis ſpiri tuali & interna gloria*. N*ã ſi adminiſtratio legis, quæ occaſio-nem præbet condemnationis, ijs qui ad eam alligantur, nõ fuit ſine gloria & magna claritate, multo magis miniſtratio nouæ legis, quæ per ſe iuſtificat & ſaluat, erit per gloriam*. Immo *ue rò, ob præcellentem nouæ legis gloriam, neq; glorificatum di-ci debet ueteris legis illius miniſteriũ, quod tamen aliqua in par te claruit, per exteriorem uultus gloriam*. Non enim *eſt digna comparatio huius, & illius internæ, quã habent in ſpiritu, ad-miniſtratores nouæ legis*. N*am ſi ea lex quæ ſuo tempore irri-ta fieri debeat, per gloriã fuit adminiſtrata, multo amplius ipſa*

quæ manet ſemper, per glorriam adminiſtrari debet. Hæc igitur credentes ſic habere, & ſic ſperantes, fiducialiter admodũ coràm Deo *& hominibus agimus, nihil diſsimulantes, neq; occultantes.* Et *non ſic modo facimus, quomodo olim* Moyſes *faciebat, ponens uelamẽ ſuper faciem ſuam, propter filios* Iſrael, *non potentes in claritatem uultus eius intendere: ut per hoc ſignificaretur, filios* Iſrael *uelamento ac umbris tantum intendentes, non proſpicere in faciem legis, quæ eſt euacuanda, id eſt, in* Chriſtum *qui finis eſt legis, & eadem ratione, eius quoq; facies nominari poteſt.* Legis *enim umbræ, uelamen ſunt, et poſteriora legis dici poſſunt.* Ipſe *aũt finis legis,* Chriſtus, *& quæ de eo ueritatis myſteria, per figuras legis præſignata facies & anteriora legis dici poſſunt.* Et *in hodiernum uſq; diem, idem illud uelamen, non remotum nec diſcoopertum, manet (ut olim) in lectione ueteris teſtamenti, quod per* Chriſtum *(qui omnes figuras in ſeipſo compleuit & terminauit) eſt euacuatum: ſed in hodiernũ uſq; diem, apud* Iudæos, *cũ leguntur libri* Moyſi, *uelamen illud ſuper cor eorum poſitum manet, & deponi uelamen non permittunt, umbris adhuc inhærentes.* Neque *ſpes eſt, uelamentum iſtud carnalis legis intelligentiæ, aliquando auferendum de cordibus eorũ, immo nec poteſt, niſi cum per fidẽ ſe ad* Deum *conuerterint.* Tunc *enim auferetur uelamen iſtud, & excæcatio, & obtuſitas omnis de cordibus eorum.* Cõuerti *autem oportet ad* Deum, *in ſpiritu per fidem.* Dominus *enim ipſe ſpiritus eſt, non corpus:* Quicunque *uero ſpiritum domini in ſe habet inhabitantem: ueram ille eſt libertatem per hunc aſſecutus.* Per *ſpiritum enim, & à peccatis efficimur liberi, & à legis ſeruitute, in* Euangelij *traducimur libertatem.* Nos *autem omnes modo qui in* Chriſtum *credimus, ſine umbris, uelo depoſito, & ueritate manifeſtata, gloriam domini in nobis uelut*

in ſpeculo recipientes, & uelut in ſpeculo conſpicientes, à claritate Dei, *in claritatem transformamur, ad imaginē* Dei, *defluente in noſtrum intellectum illius æternæ & immenſæ lucis modo aliqua particula, ſecundum quam ei conformes & ſimiles efficimur, deiformesq́; dicimur.* Idq́; *à domini ſpiritu, per quem, nobis claritas & deiformitas iſta confertur.*

CAPVT QVARTVM.

T*anta igitur adminiſtratione, ſecundum* Dei *miſericordiam, non pro noſtris meritis nobis credita, nequaquam in bono torpemus: ſed omni cura eijcimus è nobis etiam quæ occulta ſunt peccata:* Non *conuerſantes in calliditate, neq; uerbum* Dei *aliter q̃ proponi debet prædicantes, ſed ſimpliciter manifeſtando ſolidam fidei ueritatē, ſicq́; apud omnes conuerſando, ut cōmendabiles merito omnium conſcientijs uideri debeamus, ſecundum* Deum. Q*uòd ſi* Euāgelij *noſtra prædicatio, in aliquibus ſepulta, nullum efficit fructum, in reprobis id contingit, cum in alijs plurimum proficiat.* Q*uorum, cum ſint infideles,* Deus *huius ſeculi (id eſt, diabolus, mundi princeps) mentes excæcauit, ita ut illuminatio* Euangelij, *quod eſt de gloria Chriſti, in eis fulgorem ſuum immittere non ualeat.* Q*ui Chriſtus,* Dei *patris inuiſibilis eſt imago conſubſtantialis, & coæqualis per omnia.* Iccirco *autem* Euangelium *iſtud gloriæ Chriſti, ſynceriter (ut diximus) ſine adulteratione prædicamus, quoniam non noſipſos prædicamus, id eſt, non noſtram gloriam, aut noſtra quærētes cōmoda: ſed* Ieſum *Chriſtum noſtrum dominum (ut æquum eſt) prædicamus, illius gloriā & honorem & profectum quærentes.* Nos *uero, non aliud nos exhibemus, quàm ſeruos & miniſtros ueſtros, per dominum* Ieſum: *qui nos ſua benignitate dignatus eſt eligere in ſeruos ſuos, & adminiſtrandam uobis prædicationem* Euangelij. Dignum *autem & iuſtum eſt, ut*

ſerui, non ſuam, ſed domini gloriam quærant. Nos, inquam, ſerui tantum ſumus, Deus autem principalis author & operator eſt, fidei ueſtræ. Nam qui in principio creationis mundi, cum adhuc tenebræ eſſent ſuper faciem abyßi ſolo uerbo fecit poſt tenebras lucem ſplendeſcere cum diceret, fiat lux, & facta eſt lux: idem ipſe nunc in hoc tempore gratiæ pulſis tenebris infidelitatis, lucis ſuæ radijs illuminauit corda noſtra ad accipiendum, per fidem cognitionem claritatis & gloriæ Dei, quæ inhabitat in homine Chriſto, & in eo uidetur: quoniam qui uidet filium, uidet & patrem. Hunc uero theſaurum illuminationis & claritatis ſpiritualis magnum ſanè & pretioſum, nos poßidemus à Deo, in uaſculis fragilibus, corporibus ſcilicet humanis: quæ & ſupra modum fragilia ſunt atque debilia, & tamen in eis noſter ſpiritus, poſſeſſor cœleſtium gratiarum, inhabitat. Idq; ob hoc Deus ita diſponit, ut tota quæ in nobis conſpicitur claritas, gloria, atque perfectionis ſublimitas, ex uirtute Dei, non ex nobiſipſis eſſe cognoſcatur, Deóque, & non nobis aſcribatur ad gloriam. Quomodo autē fragilia & contemptibilia ſimus uaſcula, ipſæ noſtræ quotidianæ paßiones patenter demonſtrant, queadmodum ipſa ad tolerandum uirtus, in nobis cœleſtis gratiæ theſaurum comprobat. Per omnia enim quotidie uarijs tribulationibus obruimur, ſed ex uirtute cœleſtis gratiæ, animus in Chriſto liber ac dilatatus, nequit anguſtiari. Frequenter uelut in rem deſperatam adducimur, & ad extremam uſque peruenimus, uel rerum, uel conſilij, inopiam: Nunquam tamen nos Deus prorſus deſtituit ſuo, neque auxilio, neque conſilio. Perſecutiones quidem uarias ſuſtinemus, ſemper autem adeſt nobis dominus, pro eius nomine patientibus. Habemur quidem contēptui, & illudimur: conſcientiæ tamen bonæ teſtimo-

nio innixi, nõ cõfundimur hominum opprobrijs. Et *ſi ad mortis uſq; pericula, uelut in terram, infimam fortunam proſterni= mur, perire tamen nos non ſinit diuina cuſtodia.* Quid *multa? Semper in corpore noſtro quocunque pergimus.* Chriſti *mor= tificationem in animi patientia nobiſcum deferimus, & in cor= pore exhibemus, atq; exprimimus: ut tandem aliquando, uita & gloria* Ieſu *in noſtris corporibus manifeſte reluceat.* Conti= *nuis enim mortibus ĩ hac carne agentes, propter* Chriſtum *affi cimur: ut in carne eadẽ, quæ nunc quidem eſt mortalis: uita* Ie= *ſu in futuro palàm fiat.* Ergo *(ut concludam) in nobis quidem mors nũc uiuit et regnat, qui in pœna, litibus & afflictionibus periculisq; ſumus aſsidui: in uobis autem, propter mortifica tiones noſtras, uita prouenit fidei: quoniam per noſtras paſsio= nes, uobis fides annunciatur, & in uobis confirmatur.* Nos *ue= ro eodem donati ſpiritu, quo & olim* Dauid *in ſcriptura loque batur, dicens:* Credidi, *propter quod & locutus ſum, ſimiliter credimus, propter quod etiam nos qui credimus, item & auda cter loquimur:* Scientes *hoc, quòd is qui* Ieſum *ſuſcitauit, nem= pe* Deus *pater, & nos item ſuſcitabit cum* Ieſu, *& cõſtituet in gloria ſua, unà cum uobis ſimiliter reſuſcitatis.* Omnia *enim propter uos, & patimur & facimus libenter, ut abundanter* Dei *gratia in multos ꝓpagata, ꝑ multos gratiæ agantur* Deo, *ad gloriam ſuam.* Propter *hanc autem dei gloriam ſic promo= uendam, nequaquam ſegniter agimus: neque ullo labore poſſu= mus fatigari, aut ab ope noſtro deterreri.* Neq; *corporis iſtius iacturam, uel tanti facimus, modo* Dei *gloriam promouere ua leamus.* Immo *uero quo magis corpus iſtud quod apparet ex= terius, perſecutionibus ac tribulationibus afflictũ deficit, & ad corruptionem tendit eo magis is qui in homine latet humanus ſpiritus, ſumpto quotidie uirium ſpiritualium & uirtutum in=*

crèmento, renouatur in ſpiritu ſancto, de die in diem. Quoniã tribulationes illæ, quæ in hoc tempore obueniunt ſuſtinendæ, momentaneæ ac cito pertranſeuntes, leuesq́; & faciles tolera-tu: quanquã & breues & paruæ, procurabunt tamen eas pro Chriſto ſuſtinentibus in uita futura, mire magnum, & amplio rem quàm dici uel credi poſſit cumulum gloriæ æternæ. Si mo do per fidẽ, ad ea quæ in cœlis ſunt inuiſibilia feramur, contẽ-platione & expectatione, non ad ea quæ ſenſibus ſubiacent. Quæ enim ſenſibus ſubiecta ſunt, & ſenſu percipi ualent, tem poraria ſunt minimèque perdurantia, in quibus perfecta ne-quit eſſe beatitudo. Ea uero quæ omnem ſenſum excedunt, præ parata in cœlis uentura bona: ipſa æterna ſunt, & ipſis ſatiari uult ac beatificari hominis ſpiritus.

CAPVT QVINTVM.

Illud enim per fidem nos indubitatum tenemus, quòd ſi caro iſta quam nunc ſuper terram inhabitat anima, per mortem reſol-uatur, in cinerem rediens, aliud ſimus cõſecuturi ædificium, ex Dei dono ac uirtute, nempe domum non temporalem, artificis manufactam, ſed æternam duraturam in cœlis. Ipſam dico ſem piternam gloriam, et cœleſtem in Dei claritate manſionem. Nã & pro hac expectatione gemitus emittimus, deſiderantes illã quæ nos manet gloriam cœleſtem indui, ut per eam omnis quæ nunc eſt, tegatur miſeria: quod & continget ſuo tempore, ſi ita modo uixerimus, ut in nouiſsimo, ueſtimento operti charitatis, & non nudi bonis operibus, inueniamur. Qui enim in hoc ta-bernaculo militiæ (corpore inquam) adhuc agimus, ex intimis gemitus damus, onerati carnis pondere: Propterea quòd nolu-mus quidẽ prorſus corpore ſpoliari, quaſi ipſum per ſe habea-mus odio, ad hoc ut ipſum pereat omnino, ſed magis deſidera-mus, & corpus ſeruare, & gloria illa cœleſti ſuperornari. Ita

ut omnis mortalitas & omnis craſsities corporis à uita illa glo-ria, prorſus ſic glorificato corpore abſorbeatur. Qui autem ad hoc nos modo aptos reddit, & in finem ad illud perducet, Deus eſt, & præter eum nemo. A quo ne quicquam dubitemus interim ſpiritum ſanctum in pignus promißionis, accepimus. Nos igitur audaci & forti animo bene confidentes, & ſcientes quoniam dum in corpore iſto ſumus præſentes in ea quaſi in domo habitantes peregrinamur adhuc abſentes à domini beata præſentia: quoniam quidem per fidem nunc adhuc ambulamus & in itinere ſumus, nondum per ſpeciem præſentes facie ad faciem uidemus, neq; in patria adhuc æterna conſiſtimus, ad quam pergimus. Audentes, inquam, & hoc ſcientes, audemus hoc eſt, bonam fiduciam & bonam uoluntatem bonumq; deſiderium habemus, ut magis uelimus à corpore eſſe abſentes, & præſentes domino, quàm econtrario. Propter quod quantum in nobis eſt, conamur ſiue abſentes ſiue præſentes, illi placere. Iuſtū eſt enim, ut pro hoc ſtatu (ſi corporali præſentia domino in cœlis adeſſe non poſſumus) uel per bonam conuerſationem, Deo aſsiſtere curemus. Omnes enim nos exhibendi ſumus, ante iudicium Chriſti, ut in eo recipiat unuſquiſque operum ſuorum (quæ ipſe in corpore eſt operatus) mercedem, ſiue bonum operatus fuerit ſiue malum. Erit enim pro qualitate operis, merces retributionis. Hunc ergo domini timorē (quo ab omnibus hominibus tanquā uerus iudex uenturus retributor, uenit metuendus) cognoſcentes cupimus noſtra prædicatione, et laboramus, cæteris quoq; eundem timorem in animis imprimere, & ad illum omnes inducere: Deus ipſe teſtis eſt, cui noſtrum deſideriū animiq; intentio & uoluntatis ꝓpoſitum, optime ſunt cognita. Ipſe nouit, quoniam non aliud eſt quod quærimus, in omnibus laboribus noſtris. Spero autem, & in conſcientijs ueſtris eſſe

manifeſtum cordis mei deſiderium, neq; aliter uos de me ſuſpicari. Neq; *uero accipiatis uelim, quaſi ad noſtram uanam laudem et iactantiam dixerimus iſta (quemadmodum faciunt cuncta* Pſeudo*apoſtoli, ad ſuam oſtentationem) ſed præſtamus uobis gloriandi materiam ꝓ nobis, ut habeatis, quod illis reſpondere poſsitis, illorumq; uanis gloriationibus opponere, qui ſic in exteriorum tantum apparentia, ſecundum faciem gloriãtur, non curantes ueram gloriam, quæ in corde eſt corãm domino. Siue enim nos exceſſu quodam uelut extra noſipſos rapti, noſtræq; paruitatis obliti, maiòra de nobiſipſis loquimur, hoc ad* Dei *gloriam facimus: dum nobis exhibita eius beneficia, commemoramus, ne me ſemper corãm uobis tacente, & alijs contra gloriantibus, mea apud uos depereat authoritas, atq; ita in contemptum ueniat uerbum* Dei, *et fructum dignum nõ faciat, quod per nos uobis eſt prædicatum. Siue ecõtrario, fragilitatis noſtræ conſcij humiliora loquimur, & hoc ipſum ad ueſtram loquimur ædificationem: ne forte ſemper gloriantes & magna loquentes, à uobis iactabundi habeamur, aut formam demus uobis humilitatem deſerendi: atq; ut ex noſtris humilitatibus, quas ueſtri cauſa ſuſcepimus, in noſtri amorem uehementius ardeatis & in ſancti* Euangelij *fructu ꝓficiatis amplius. Charitas enim Chriſti nos cõpellit, ut pro ueſtrum omnium ſalute operanda & confirmanda tentemus omnia, & prorſus nihil omittamus eorum quæ ad ueſtram ſalutem promouendam poſſint adiuuare: dum illud perpendimus ac põderamus apud nos ipſos de charitate Chriſti, quoniam ſi pro omnibus hominibus unus ipſe mortuus eſt, ergo mortui erant omnes, per unum illũ uiuificandi. Simul & illud quoniam ad hoc unus ipſe pro omnibus mori uoluit Chriſtus dominus, ut qui per eũ iam uiuunt in fide, non amplius iuxta ſua uiuant deſideria, ſed iuxta uolun-*

tatem eius qui pro peccatis noſtris mortuus eſt, ut nos ſimiliter peccato moreremur, & ꝑ nobis reſurrexit, ut nos, eius exẽplo, in uitæ nouitate ſimul cum eo reſurgeremus. Quæ cũ perpendimus dominum Chriſtum pro omnium ſalute peregiſſe, et nobis uidetur pro omnium omnino ſalute, quibus modis fieri poteſt, grauiter elaborandum. Nos itaq; de cætero neminem ſecundum carnem, neq; attendimus, neq; approbamus: poſtquam per Chriſti mortem & reſurrectionem, ad ſpiritum tranſlata ſunt ſalutis noſtræ omnia. Et ſi uiſus olim ſit Chriſtus ipſe, & cognitus à noſtris Apoſtolis ſecundum carnis fragilitatem, nũc tamen poſtquam à mortuis reſurrexit in gloriam patris, nõ ultra ſecundum carnis fragilitatem illum attendimus, ſed ſecundum uirtutem Dei qua reſurrexit ad uitam, ut ipſi quoq; ei aſsimilemur & cõfiguremur, operantes quæ ſunt Dei. Quiſquis igitur in Chriſto per ſpiritũ ſanctum regeneratus, noua factus ſit creatura: neceſſe eſt ut in illo uetuſtas omnis carnalium concupiſcentiarum & obſeruantiarum, abſcedat abijciatur'que: nouitas autem ſpiritualium gratiarum, pro uetuſtate abiecta, introducatur. Quæ omnia, licet nobis in Chriſto præſtentur, tamen ex Deo patre omnis boni fontali principio, originaliter procedunt. Qui Deus, nos olim propter peccata à ſe diuiſos et ſub ira ſua conſtitutos, in tempore gratiæ huius per Chriſtum recepit in gratiam, ſibiq; reconciliauit: nos uero Apoſtolos, poſuit huius reconciliationis à ſe per filium factæ, miniſtros ac prædicatores, ut eam uidelicet perfectam annunciemus hominibus. Quoniam quidem Deus pater in Chriſto filio inhabitans, per ipſum, mundum (qui uſq; ad filij aduentum ſub ira Dei detinebatur) recepit in gratiam: ſic ut hominibus pœnitere uolentibus peccata dimitteret, nec poſt pœnitentiam illis imputaret, damnationis pœnam pro eis reſeruando. Atq; hoc uer

bum de humana reconciliatione per filium facta, nobis prædicandum cõmiſit, ut in gentibus faceremus manifeſtum. Nos ergo *non aliud quàm legatione fungimur*, *à* Deo *ad hoc miſsi in mũdum uice Chriſti, atq; pro gloria eius, tanq̃* Deo *per nos ut miniſtros exhortante populos, ad huius recõciliationis per fidem, acceptationem.* Et *nos (ne noſtro deſimus officio) obſecramus uniuerſos pro nomine Chriſti, atq; etiam uice Chriſti, ut reconciliationem factam. credendo accepteris, & pœnitentiam agentes credentesq́;* Deo, *recõciliari ſtudeatis.* Vere *enim non eſt negligenda hæc reconciliatio, quæ modo mirabili perfecta cognoſcitur. Chriſtum enim dominum qui peccatum nunquã fecit, immo nec cogitauit ut faceret, ipſe pater pro noſtris peccatis expiandis in oblationem pro peccato dedit, atq; etiam (propter pœnæ nouitatem) uelut maximum peccatorem reputari fecit: ut ſic per illius mortem à peccatis mundati, efficeremur nos abundanter iuſtificati coràm* Deo, *per ipſum.*

CAPVT VI.

Volentes *ergo iuxta officium legationis noſtræ*, Deo *(ueſtram iuſtificationem tali modo quærenti)* cooperari, *atq; etiam uobis, in conſequendo propoſitam reconciliationem adiumentum impendere, exhortamur, ne gratiam* Dei *tantam, ſinatis fruſtrari in uobis: quod fiet, ſi non curetis illius tantæ gratiæ per fidẽ participes fieri, & ea digne uiuere.* Dicit *enim ſcriptura:* Tem*pore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te.* Q*uæ ſcriptura hoc potiſsimũ gratiæ tempus reſpicit.* Ecce *enim nunc tempus habemus acceptabile, in quo accepta eſt* Deo *hominũ pœnitentia, pœna à Chriſto perlata, quæ erat peccatis debita.* Nunc *dies eſt, in quo ſalutem quilibet per pœnitentiam ualet facile conſequi, ut merito nemo debeat tantam nunc propoſitã ſalutem negligere.* Exhortamur, *inquam, omni diligentia, ne-*

mini ullam dantes offenſionis cauſam:ut ne,uel in minimo poſſit quantum in nobis eſt,ab alijs noſtra hæc adminiſtratio Euangelij uituperari, aut ullam ex noſtra conuerſatione ſatis ſuſtinere poſsit calumniam. Sed per omnia exhibeamus nos, ſicut ueros Dei ueri miniſtros, per multam patientiam in aduerſis ſuſtinendis:nempe in tribulationibus quibus affligimur, in neceſsitatibus atq; indigentijs corporalibus, quas frequenter patimur,in anguſtijs cordis uel corporis,in uerberibus,in carceribus,in ſeditionibus cōtra nos excitatis, in laboribus manuum, in uigilijs, tum propter labores nocturnos, tum propter orationis ſtudia,in ieiunijs uoluntate ad caſtigationē carnis aſſumptis. Non ſolum autem in patientia,ſed etiam in omnimoda caſtitate mentis & corporis, ſcientes pariter et diſcretionem habentes, quomodo aut quid in occurrentibus omnibus ſit agendum, longanimiter ferentes illa aduerſa, & expectantes promiſſa cœleſtia, animi manſuetudine & lenitate ſuaues, nullāq; habentes amaritudinem,etiam erga eos qui nos tribulant in ſpiritu ſancto qui nobis donat hæc omnia: ſuper omnia autem in charitate uera,non ficta nec ſimulata,quā ille diffundit in cordibus noſtris in uerbo ueritatis,ut illud nunq̄ adulteremus, aut falſificemus,nō tanq̄ ex noſtra uirtute, ſed tanquam ex uirtute Dei, qui per nos ut miniſtros, operatur omnia. Exhibeamus (inquam) nos armati iuſtitia, & operibus iuſtitiæ, quibus à dextris & ſiniſtris incedamus ſecuri, ut nec proſperis efferamur,neq; aduerſis deijciamur: inter gloriam & contemptum, inter infamiam & bonam famam, inter quæ nos facit iuſtitia ſecuros incedere. Aeſtimati ſeductores, cum ſimus ueraces. Quaſi ignobiles ſimus, cum ſimus Deo & ueſtris etiam conſcientijs bene cogniti. Quaſi morientes reputati cum uiuamus apud Deum. Tanq̄ afflictionibus caſtigati, cum tamen necdum

ſimus caſtigatione mortui. Quaſi triſtes, cũ tamẽ ſemper ſimus in domino gaudentes. Sicut egentes, cum tamen plurimorum ipſi penuriam ſuppleamus, tam in ſpiritu q̃ in corpore: Quaſi nihil habentes, cum poßideamus omnia, Deum poßidentes intra nos, qui eſt omnia: & de omnibus etiã temporalibus, quantum domino placet, ſufficientiam habentes, ita ut plura nec uelimus nec optemus. Filioli mei, quid plura dicam uobis? Ecce os meum patet ad uos, quærens eloqui uobis plurima. Neq; os modo patet, ſed & cor noſtrum in amore ueſtri dilatatum eſt ualde. Ex multo enim amore, loquor hæc uobis. In corde nr̃o anguſto loco non eſtis, cum uos ampliſsimo amoris ſinu contineam. Sed anguſti eſtis in ueſtris uiſceribus, anguſto et modico amore nos diligentes. Vos autem eandem erga nos remunerationem habentes, parémque amorẽ rependentes, qualem erga uos habeo, etiam ueſtri affectus latitudinem expandite, ut in eo nos recipiatis, ampliusq; diligatis. Dico autem hoc uobis, ut pater filijs, paterno iure hoc exigens. Nõ enim conuenit ut pater plus diligens, minus diligatur à filijs: & merito poſtulat à filio pater, æqualitatem ſui amoris, ab illo repẽdi. Ante omnia autem & ſuper omnia tanquam filios chariſsimos uos rogo, ac moneo ne cum infidelibus habeatis commercia, aut familiaria conſortia ad participandum infidelitati eorum. Quid enim commune habere iuſtitia (qua debent eſſe inſtructi Chriſtiani) cum iniquitate, qua pleni ſunt infideles? Aut quæ poteſt eſſe ſocietas inter lucem & tenebras? Vos autem, filij lucis eſtis: ipſi uero, tenebræ. Quid conuenit Chriſto cum diabolo? Aut in quo participat fidelis cum infideli? Et quid conſonat inter templũ Dei (quod uos eſtis) & idola, quæ illi colunt? Vos enim eſtis templum Dei uiuentis: iuxta quod in ſcriptura Deus loquitur, tunc quidem ad carnaliter Iudæos, nunc autem

ad omnes credentes, dicens: Inhabitabo *intra eos, & in medio eorum ambulabo, ad curam & cuſtodiam eorum: & præſtabo me eis* Deum *ac patrem, & ipſi erunt mihi cultu debito ſeruiẽ tes.* Et *quoniam tam ſingulari uos electiõe præ cæteris elegit, iccirco exite de medio infidelium, execrantes atque auerſantes omnem infidelitatem eorum, & elõgamini ab eorum malitijs, & non cõmunicaueritis, participaueritis, neq; cõſenſeritis im=mundicijs eorum.* Q*uod ſi feceritis (dicit dominus) ego uos mihi adoptabo, meq; exhibebo uobis patrem, & uos habebo ut filios & filias, qđ maximi eſt proculdubio honoris & gloriæ.*

CAPVT VII.

T*ales ergo ac tantas promißiones, nobis à* Deo *tam dignanter fa=ctas, cum acceperimus, & iam ſpe (certi de effectu) teneamus, fratres chariſsimi, curandum eſt nobis: ut ab omni eo, quod uel corpus uel mentem cõmaculare poteſt, emundemus noſipſos, in puro ac ſancto timore* Dei *perfectam nobis ſpiritus noſtri ſanctitatem comparare nitentes, non contenti apud homines iuſti tantum ac ſancti uideri: quemadmodum pſeudoapoſtoli fa=ciunt, quibus ſufficit iuxta exterioris conuerſationis apparen=tiam, qualemcunq; ſanctitatem ſecundum corpus prætendere. Suſcipite intra animum ueſtrum, quæ dicturi ſumus.* Ecce *nemini nocumentum intulimus, neminem peruertimus aut ſeduxi=mus, neminem etiã fraudauimus: quæ forſitan ab alijs perpeßi eſtis, qui uobis & nocumenti plurimum intulerunt, & adul=terata doctrina uos adniſi ſunt corrumpere, & ſuis blandimentis, ueſtra uobis temporalia fraudulenter abſtulerunt.* Non *aũt iſta uobis dico ad ueſtram cõdemnationem, quaſi de uobis de=ſperans, at uolens uos tanquam deſperatos abijcere à cura no=ſtra.* Nam *ante diximus, tanta uos charitatis latitudine à nobis diligi, tantamq; & curã & ſolicitudinẽ nos pro uobis gerere,*

ut uobiſcum

ut uobiſcum & pro uobis mori & uiuere parati ſimus. Neq; *fieri poteſt ut de uobis propter pſeudoapoſtolorum fraudes deſperem, qui multam inſuper habeo de uobis, & in uobis fiduciam, multum etiam ac ſæpe apud alios de uobis glorior*. Ecce *enim iam plenus ſum cũſolatione, & amplius nũc abundo gaudio in omni tribulatione, quàm ante affligebar*. Et *primum quidem de pondere tribulationis noſtræ, de qua loquimur, illud ſcitote quòd cum in* Macedoniam *ueniſſemus, continuum ibi laborem et tribulationes paſſa eſt caro noſtra, omni ex parte*. Nam *extrinſecus quidem, ſeditionibus & uarijs afflictionibus oppugnabamur*. Intrinſecus *autem, timore periculorum, tam ex noſtra quàm diſcipulorum parte, uexabanur. Sed qui in afflictionibus poſitos conſolari ſemper ſolet, nempe* Deus: *ipſe nos eſt conſolatus per aduẽtum* Titi *coadiutoris noſtri*. Non *ſolum autem per ipſius aduentum, ſed etiam per conſolationem illam, qua ſe narrauit à uobis conſolatum: dum mihi retulit ueſtrum deſiderium, emẽdandi quæ argueram, ueſtrum pro peccatis fletum, & feruentem zelum ueſtrum, quo pro meo agebatis honore, contra pſeudapoſtolorum fautores, ita ut ex cauſa, magis etiam gauderem*. Quoniam *etſi uos contriſtaui in priore epiſtola non me pœnitet*. Etſi *pœnitentiæ forſitan non nihil potuiſſet incutere, quòd nimis duram increpationem ſcripſiſſem: tamen nũc gaudeo de ea, nec me quicquam pœnitet, uidens quòd epiſtola illa etſi ad tempus uobis triſtitiam incuſſit, profeciſtis tamen ex ea*. Non *quòd gaudeam de ueſtra triſtitia, qui uobis optem ſempiternum gaudium: ſed quia per huius triſtitiæ amaritudinem, deueniſtis ad ſalutarem delictorum ueſtrorum pœnitentiam*. Contriſtati *enim eſtis, bona & ſancta triſtitia, quæ ſecundum* Deum *eſt: ita ut nullum damnum ex nobis & noſtra illa increpatione paſſi ſitis, qui inſuper & profeciſtis ex nobis*.

Nam talis illa quæ ſecundum Deum eſt ſancta triſtitia, operatur in homine pœnitentiam ad ſalutem firmam ſolidam, atque ſempiternam. Cum ſecularis triſtitia ex aduerſo morti reddat obnoxios, quæ frequenter homines, in odium uel in inuidiam, uel in deſperationem ſolet adducere. Vnde conſtat, uos ex nobis non ſolum nullum detrimentum accepiſſe, ex eo ꝙ uos contriſtauimus, ſed inſuper maximum etiam fructum & cõmodũ. Ecce enim hæc ipſa triſtitia, qua ſecundum Deum uos cõtriſtaui, magnam operata eſt in uobis ſolicitudinẽ, ad emendandum errata: Immo etiam defenſionem, pro nobis contra pſeudoapoſtolos. Immo indignationem ardentem, propter admiſſum peccatum, & aduerſus ſeductores illos per quos fuiſtis in peccata adducti: immo timorem, ne rurſum aliquãdo incideritis, immo deſiderium melioris uitæ: immo ſtudiũ æmulandi bona & mala cautius declinandi. Poſtremo, etiam ultionem & uindictam, triſtitia illa eſt operata quando uoſipſi peccatum quod in uobis erat, debita punitiõe uindicaſtis, fornicarium illum è ueſtro conſortio ſegregantes, atq; alia ſimiliter de quibus argueram emendantes. Quid multa? Teſtimonium uobis perhibeo, quod quantum ad hanc rem pertinet, per omnia ſynceriter & integre egeritis, iuxta uoluntatem & deſiderium meum. Igitur, & ſi ſcripſi acrius uobis per epiſtolam, non id modo feci propter illum qui fecerat fornicationem in uxorem patris, aut iniuriam proximo ſuo in iudicio, neq; item ſolum propter eum qui patitur iniuriam, oppreſſus ab alio. Sed etiam ob hoc, ut manifeſtum fieret omnibus uobis, quantam pro uobis gero, etiam abſens ſolicitudinem, coràm Deo in ueritate. Quia uero ſic nos accipitis in charitate, quẽadmodum & ſcripſimus: in hoc, ex uobis, conſolationem non paruam accepimus. Conſolatio autẽ hæc noſtra amplius nos lætificauit, propter Titi gaudium, quo

illum affecistis: quoniam (ut eo narrante didici) ab omnibus uobis ſpiritus refectionem & conſolationem accepit, propter humanitatem ueſtram, quam illi exhibuiſtis, amore noſtri. Et iam *ipſe experientia cognouit, nõ uane me gloriari ſolitum, atq; ita ego non ſum confuſus: ſed quemadmodum ad uos ſemper ſermo noſter uerus & firmus fuit, ita & gloriatio qua coràm* Tito *ſumus ſubinde gloriati, nunc uera & nõ uana fuiſſe, comprobatur: & iccirco nunc ex uiſceribus ardentius uos amat, cum expertam in ſe recordatur ueſtrum omnium obedientiam, quã illi meo nomine præſtitiſtis, & quemadmodum illũ excepiſtis cum omni timore & reuerentia, omnem illi humanitatem impendentes.* Gaudeo, *quod per omnia ſic libere poſſum in uobis confidere, tam præſens quàm abſens, & meam erga uos cõfidentiam non ſinitis confundi.*

CAPVT VIII.

No*tam autem facimus uobis fratres gratiam* Dei, *quã contulit eccleſijs* Macedoniæ: Hoc *eſt patientiam magnam, & miram liberalitatem ac miſericordiam, quam ipſi præ cæteris eccleſijs demonſtrant.* Et *quòd cũ grauibus tribulationibus probati fuiſſent, non modò patienter ac ſine murmurationibus, uerum etiã cum gaudio abundanti, illas ſuſtinuerunt pro* Chriſto. Et *ſumma eorum paupertas, in qua exiſtunt, propterea quòd à ſuis cõtribulibus paßi ſint rapinam bonorum ſuorum, non eos minus fecit ſecundũ* Deum *liberales: immo quo amplius pauperes facti ſunt, eo amplius diuites ſe reputãt in ſimplicitate cordis ſui, parati etiam alijs, quæ adhuc ſuperſunt, erogare.* Nam *teſtimonium illis perhibeo, quod iuxta facultatem ſuam, immo ſupra uires tenuium facultatum ſuarum, uoluntarios ſe exhibuerũt, ad præſtandum eleemoſynam pauperibus in* Hieruſalem: *multum nos exhortantes, immo rogantes, ut dignaremur eleemoſy*

nam ab eis ultro oblatam acceptare, liceretq; eis, per admini-ſtrationem ſuorum bonorum, communicare ſanctorum neceſ-ſitatibus: etiam ſi id minus exigeremus, propter nimiam ipſo-rum paupertatem. Et *non modo, ſicut credebamus, paululum quid contulerunt, ſed multo amplius obtulerunt ſeipſos, primū domino, cum pro eo gaudenter tribulationes paßi ſunt, deinde etiam nobis iuxta uoluntatē* Dei, *tam promptam nobis per om nia obedientiam ex animo præſtantes, ut etiā amplius quàm pe teremus aut ſperaremus, uoluntarios inueniremus.* Deniq;, *tā ardenter iſti in negotio hoc egerunt, ut horū exēplo & prom-ptißima uoluntate incitatus, non ultra continere me potuerim, quin uobis multo ditioribus & potentioribus, eandem gratiā proponerem.* Atq; *ita factum eſt, ut* Titum *fratrem noſtrum rogauerim, ut poſtquam* Macedones *uidit tā prompto animo ſe ſuáq; omnia obtuliſſe, etiam apud uos hoc ageret ſolicite, ut quemadmodum nuper ad promptitudinem animi & propoſi-tum uoluntatis uos adduxit, ita nunc ipſe ad uos pergens perfi ciat, & in operis effectum deducat, etiam gratiam & miſeri-cordiam iſtam.* Vos *uero, ſicut in omnibus ſpiritualibus bonis diuites eſtis & abundatis, nempe in fide, in ſpe, & uerbo* Dei, *in ſolicitudine omnimoda, & charitate præcipua, qua eſtis uos erga nos affecti: ut ſic etiam hac in gratia, & in hoc ſpirituali bono eleemoſynæ abundetis, liberaliter ac diuiter, iuxta ueſtrā facultatē, impertientes.* Nō *autem hæc per imperium dicimus, tanquam uobis præceptum dantes, aut quaſi uos cogere uolen tes: ſed per aliorum egregia exempla, ueſtrum animum natura li quadam bonitate & ingenuitate præditum, ſolicite compro-bando atq; extimulando, prouocamus.* Ingenuus *enim animus, ſolet melius aliorum exemplis propoſitis, quàm imperio aut coactione ſuaderi.* Alioqui *ipſa* Chriſti *miſericordia quam no-*

bis prior impendit, ad liberalitatem & miſericordiam merito uos prouocare debet. Scitis enim per fidem edocti, miſericordiam uobis à Deo *exhibitam, qui cum eſſet nullius indigens, in ſemetipſo perfecte beatus, propter nos tamen homo egenus factus eſt, ut per ſuam inopiam aſſumptam, uos ad æternas diuitias transferret.* Et *omnino hac in re uobis conſulo, non mihi.* Nam *hoc uobis utile eſt, qui non ſolum facere cœpiſtis ab anno priore (quando collectas cœpiſtis) ſed etiam ex animo uelle, propter amorem* Dei*: quod maius eſt quàm ſimpliciter facere.* Nunc *uero fratres conſummate bonum ueſtrum, quod tunc cœpiſtis, propoſitum, ut quemadmodum animus promptus eſt in uobis ad uolendū, nūc itē prōptus ſit ad perficiendū, ſecundū id qđ quiſq; habet, & ſecūdū rei familiaris proportionem.* Voluntas *enim prōpta* Deo *eſt grata, ſi iuxta ſuā facultatē perficiat.* Nō *aūt exigitur, ut id qđ nō habes, uel ſupra qđ habes & ſupra tuam facultatem eroges alijs.* Non *id exigo à uobis, neq;* Deus *ipſe, ut tantum conferatis in alios, ut ipſi neceſsitatē patiamini, & alij ex ueſtris lautius uiuant: ſed cupimus quandam inter pauperes & diuites fieri æqualitatem, ita ut diuites de abundantia temporalium ſuorum, ſubueniant pauperibus egentibus, ut & ipſi uiciſsim diuites, pauperum ſint abundantiæ participes: ut quod minus ipſi poſſunt, ſecularibus impliciti, id pauperum abundantia ſuppleat pro eis, ante* Deum. *Scriptum eſt autē tale quid de æqualitate, in* Exodo. *Qui multum collegiſſet cœleſtis mannæ nihil amplius habuiſſe eum ultra menſuram: & qui paululum collegiſſe uidebatur, nō minus habuiſſe, eo qui multum collegerat.* In *æqualem enim menſurā gomor, omnes conueniebant.* Gratias *autem ago* Deo, *qui* Titum *fecit animo promptum ad hanc iuſsionem noſtram, qui & dedit eandem ſolicitudinem in corde & propoſito* Titi *pro*

uobis, etiam priuſquam nos ei quicquam proponeremus. Quoniam exhortationem quidem noſtram omni alacritate ſuſcepit, cum illi de hac colligenda in uobis eleemoſyna primum proponeremus. Sed cum ſolicitior eſſet, etiam me non hortãte, promptiſsima uoluntate ſua, nullo indigens ſtimulo, ultro ad uos profectus eſt. Miſimus autem cum illo fratrem noſtrum, qui Euangelio, ſiue prædicando, ſiue conſcribendo, in omnibus eccleſijs, laudem ſibi magnam comparauit. Non ſolum autem, ſed etiam comes noſter eſt ipſe dignus iudicatus ab eccleſijs, in peregrinatione noſtra, ad hanc gratiã largitionis et eleemoſynæ (cuius nos colligendo niniſtri ſumus) & ueſtram uoluntatem ultroneam, ac per ſe paratam, atq; propenſam: opere implendam, per noſtrum miniſterium. Miſimus, inquam, tales ad uos & tãtos legatos, nequis poſsit ex hoc miniſterio accipere occaſionẽ uituperandi nos in hac adminiſtratione, quæ de ſe plena eſt, perfecta atq; irreprehenſibilis. Curamus enim, non ſolum ut bona ſint apud Deum opera noſtra, ſed etiam omnibus hominibus (quantum fieri poteſt ex nobis) probata appareãt: ut ſicut uerbo prædicamus, ita luceamus et exemplo. Miſimus inſuper cum illis & tertium fratrem alium, quem in multis ſæpe diligẽtem probauimus: nunc autem etiam amplius ſolicitum comperimus, in hoc negocio obeundo. Miſimus, inquam, ob multam confidentiam, quam in uobis habemus non dubitantes quin illos, ut dignum eſt, ſitis excepturi: Siue pro Tito, eo quòd ipſe ſit ſocius meus, & in uobis coadiutor: ſiue pro cæteris duobus fratribus, qui ſunt Apoſtoli à nobis ſæpius miſsi tanquam legati, ad uarias eccleſias, quæ ad gloriam Chriſti ſunt congregatæ. Oſtendite ergo charitatem ueſtram erga nos, & quòd recte gloriati fuerimus pro uobis, coràm illis & erga illos tantos Apoſtolos, in cõſpectu omnium eccleſiarum. Quod

enim illis impēditis humanitatis, in conſpectu omnium eccleſia rum ipſi proferent in exemplum, ad quas fuerint per nos tanquam legati in poſterum mittendi.

CAPVT NONVM

De *his igitur ſolicitius uobis perſcribimus, quoniā de eleemoſyna quæ ſanctis adminiſtratur certum habemus, uos prompto eſſe animo:* Ita *ut ſuperfluum iudicemus uobis hæc inculcare.* Quā *animi ueſtri promptitudinem, apud* Philippenſes *ſubinde cum gloria recito, atq; ita, ueſtri exempli æmulatione, plurimi ſunt apud eos ad ſimilia prouocati.* Nunc *autē uoluimus præmittere fratres iſtos, ut gloria noſtra non comprobetur falſa aut uana fuiſſe quo ad hanc rem: ut (quemadmodum præmonui) ſitis parati ante meum aduentum.* Ne *ſi* Macedones *in meo comitatu, ad me deducendum, mecum uenerint & uos inuenerint adhuc imparatos, confundamur coràm eis, quaſi qui uane fuerimus apud eos de uobis gloriati: ut non dicam ueſtram magis illam futuram confuſionem in hac parte: quippe qui, ut propoſuiſtis & cœpiſtis, non perfeceritis gratiam iſtam:* Propter quod ego *iudicaui neceſſarium, rogare fratres: ut ante me accedentes, repromiſſam eleemoſynam colligant, ut ſit parata, ſicut uideatur liberaliter donata eleemoſyna, non pecunia propter auaritiam exorta.* Hoc *tamen unum moneo.* Qui *cum auaritia tenuiter, nec ſatis abundanter iuxta ſuam facultatem erogando, ſeminauerit, mercedem operi proportionatam ſumet ac metet.* Qui *autem liberaliter in ſimplicitate cordis, erogauerit abundāter, abundantem metet ille mercedem.* Dabit *autem unuſquiſque, prout ex propria animi uoluntate deliberauerit donandū, nulla omnino neceßitate coactus, & ſine triſtitia.* Quoniam Deus *diligit eum, qui læta liberalitate donat quæ donat.* Nihil *autem metuendum, ne poſtmodum ipſi egeatis, cum alijs erogaueri-*

tis, aut minus habeatis, ad faciendum de cætero miſericordiam. Potens eſt enim Deus facere, ut omnia bona corporis & animæ abundent in uobis: ita ut ſemper habentes omnis boni ſufficientiam, multiplicemini in operibus bonis: ita ut propter erogationem ueſtrarum facultatum, non deficiant unquam uobis opera iuſtitiæ, ſed quæ ſemel ſunt ſeminata, permanebunt in æternum coràm domino. Iuxta ſcripturam, quæ uirum beatum & iuſtum deſcribens, dicit illum uarijs diſtribuiſſe pauperibus facultates ſuas: quibus tamen diſperſis, non diſpergitur, neque perit ipſa eius iuſtitia. Sed permanet in æternum ante dominum, qui iuſtitiæ illius nunquam obliuiſcetur, & à quo, pro illa temporali ſeminatione, accipiet meſſem ſempiternæ retributionis. Qui autem omne ſemen dat, & ſuppeditat abunde ſeminantibus (ex quo omne nutrimentum hominibus procedit) nihil dubium quin ſuis ſeruis, etiam id quod minus eſt dabit, nempe panem ad manducandum, id eſt, uictus uitæq; neceſſaria. Atq; etiam multiplicabit ſemen ueſtrum (animi uidelicet promptitudinem, & quantum nouit expedire facultatem exteriorem, in quibus homo iuſtus benefaciendo proximis, ſeminat) & augebit creſcentes fruges iuſtitiæ ueſtræ, faciens uos abundare in operibus bonis: ita ut in omnibus copioſe ditati, ſpiritualibus ac temporalibus, quantum dominus nouit expedire, abundare poſſitis in perfectam ſimplicis miſericordiæ liberalitatem: quæ hoc efficit per noſtrum miniſtrium, ut gratiæ agantur Deo ab ijs qui ex ea eleemoſynam & ſuſtentationem refocillationemq; accipiunt. Propter quod, multum eſt deſideranda, et libenti animo facienda, hæc eleemoſynæ gratia. Quoniam hæc noſtra adminiſtratio, non ſolum ſuccurrit ſanctorum neceſſitatibus (quanquam & hoc ſolum, per ſe multum ſit appetendum) ſed, quod maius eſt, etiã per multas gratiarũ actio-

nes abundat, in domini gloriã: dum et nos per operis effectum, probati in hoc miniſterio cognoſcimur, & ipſi qui eleemoſynam accipiunt, de obedientia iſta perfecta ueſtræ confeßionis Chriſtianæ, qua Chriſti Euangelium opere magis q̃ ore comprobatis, Deum glorificant, & in liberali illa cõmunicatione ueſtra qua impertimini pauperibus ſanctis, ſiue ipſis, ſiue alijs quibuſcunq; pauperibus. Glorificatur autẽ Deus in oratione, quam ipſi pro uobis faciunt, dum uos deſiderant, ſeu uidere, ſeu in Deum trahere ac promouere, ſociósque habere, propter eminentem gratiam Dei, quam ſentiunt eſſe in uobis. Gratias ago Deo ſuper inenarrabili dono eius, quod communioni dedit filium, in charitate iſta: quæ & uobis illã dat animi promptam liberalitatem, & ipſis talem erga uos charitatis affectionem, & fraternam in ſpiritu dilectionem.

CAPVT DECIMVM.

Ipſe autem ego Paulus, qui ſum præceptor pater & miniſter ueſter in Euangelio, oro uos per manſuetudinem & benignam modeſtiam Chriſti, qui ſum quidem contemptibilis ſecundum exteriorem hominem, quando inter uos conuerſor, præſens, abſens autem à uobis, confido nihilominus in ueſtra obedientia: Rogo (inquam) ſic uos nũc agere me abſente, ut nõ cogar, cum aduenero, audaciã meam (quæ eſt in poteſtate obiurgandi & puniendi) quæ mihi aſcribitur & imputatur à calumniatoribus, oſtendere erga quoſdam, qui nos tanquam carnales reſpuentes, obedientiam debitam negant. Nos autem, carnales nõ ſumus. Vitam enim iſtam quam uiuimus, in carnis fragilitate uiuimus: attamen non ut carnales, ſecundum carnem conuerſamur, neque in negotio Euãgelij carnalibus armis (hoc eſt carnali eloquentia uel ſapientia) utimur: quomodo Pſeudoapoſtoli faciunt, quorum omnia arma carnalia ſunt. Arma uero militiæ

bus me, neque de me habeatis opinionem peruerſam, quaſi is ſim, qui ad meam oſtentationem uos uelit per epiſtolas terrere: quoniam(ut ipſi aiunt) epiſtolæ quas abſens mitto, duræ admodum & acres ſecundum correptionem exiſtunt:Ipſe autē præſens(ut aiunt) totus ſum uilis, & ſermo meus rudis et contemptibilis:hoc ſcire uolo quemlibet eorum, qui nos ſic calumniantur, quòd quales nos oſtendimus in epiſtolis abſentes, tales per omnia ſumus in cōuerſatione noſtra præſentes:ſi in literis graues, etiam in conuerſatione & præſentia corporali: & ſicut in præſentia humiles, ſic & in literis. Nō enim audemus nec uolumus, nos in numerum reputare quorundam, aut etiam eis aſſimilari, qui ſeipſos ſupra quod in ſe eſt, cōmendant & iactant: ſed menſuram ponimus noſtræ gloriationi, ſecundum ea quæ intra noſmetipſos ſunt, ſic noſipſos nobiſipſis coæquantes, ut non nobis plus uideamur, quàm ſimus in nobiſipſis. Nos autē non gloriabimur ſine termino, de ijs quæ extra metam noſtrā ſunt, quemadmodum Pſeudoapoſtoli faciunt, qui gloriantur in alienis laboribus: ſed ſecundum metam & regulā noſtrā, quā conſtituit nobis Deus. Quæ menſura noſtra, etiam uos includit, quoniam per Euangelium ego uos genui. Nā dum in uobis gloriamur, non extendimus nos ultra regulam noſtram, quaſi prædicatione noſtra non peruenerimus uſq; ad uos cū ſecundū ueritatē uſq; ad uos peruenerimus, in prædicatione Euangelij: non gloriantes extra menſuram noſtrā in alienis, ſed in noſtris laboribus. Immo uero ſpē ſumus habentes, cauſa fidei ueſtræ, quæ indies creſcit et creſcet, ut etiā amplius et copioſius q̄ hactenus, in ueſtro profectu glorificemur abundanter, ſecundum menſuram noſtram: quoniam gloria præceptoris creſcit, cum profectu diſcipulorum. Ob hoc, inquam, ſpem ſumus habentes, cum uos in fide ſatis roborati fueritis, etiam in ulterioribus

regionibus (ubi Chriſtus nōdum prædicatus eſt) Euangelium annunciare. Tantum abſit ut ocioſe, ſicut quidam, uelimus gloriari in ijs quæ ſub alterius regula ſunt et quæ ſunt ab alijs præparata, uel quoquo modo elaborata. Quomodocunq; autem quis glorietur, etiam ſi de proprijs laboribus, ſemper eſt illud obſeruandum: ut qui glorietur ſecundum Deum, & non ſecundum carnem glorietur, neq; ad uanitatē, ſed in ueritate, coràm Deo. Non enim qui ſeipſum iactanter commendat, ob hoc exiſtit uere commendatus & laude dignus: ſed quem Deus commendatum facit, uel etiam ſignis demonſtrat, is demum uere cōmendatus, probatus, & laude dignus eſt.

CAPVT XI.

Optarem ſanè à uobis, in inſipientia gloriandi paululum tolerari: immo uero peto et iubeo, ut toleretis me paululum gloriātem. Nam zelo qui ſecundum Deū eſt, uos ardenter amo, qui zelus nunc coràm uobis, contra Pſeudoapoſtolos me gloriari compellit. Nec mirum, quia ego addixi et copulaui uos, & coaptaui, ac per ſpiritualem deſponſationem adiunxi uos, uni uiro Chriſto: ſic ut ueſtram eccleſiam totā (quantum in me eſſet) illi exhiberem ſponſo, tanquā uirginem incorruptam, & nullo errore uitiatam. Non mirū ergo, ſi de uobis zelo magno ſim ſolicitus, ut incorruptos à Pſeudoapoſtolorum corruptionibus cuſtodiam. Timeo autem, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita per aſtutos Pſeupoapoſtolos corrumpantur intelligentiæ ueſtræ, & ſimplicitatem illam perdant Chriſtianæ puritatis, quæ eſt in Chriſto Ieſu, cum in errorem labyrinthos uos induxerint. Quòd ſi iſti ſuperuenientes Apoſtoli, aliū uobis prædicarent uerum Chriſtum, & ſaluatorē ueriorem q̄ nos prædicauimus, ſic ut nos falſum, illi uerum: Aut alium meliorem ſpiritum eorū acciperetis miniſterio, q̄ per nos: Aut ſi aliud ipſi

Euangelium uerius prædicarent: ſic ut nos falſum prædicaue= rimus, illi uerum: ſine dubio non immerito iſtos potius quàm me, audieritis. Nunc *uero nihil ego omiſi, quod ipſi præſtare potuiſſent.* Immo *uero exiſtimo, me nihil minus uobis ĩ his om nibus præſtitiſſe, quàm magni & principales* Apoſtoli, *ſuis di= ſcipulis præſtiterũt.* Fateor *quidem me ſermone imperitum, ut forſitan maiori eloquentia ipſi annuncient eadem illa, quæ nos prædicauimus, aut ſua dogmata: ſed ſciẽtiam* Dei *mihi puto nõ deeſſe, & eruditione fidei, ad mei muneris executionem, abun= de inſtructum.* In *omni autem conuerſatione mea & prædica= tione, uobis ego ſum manifeſtus, & optime cognitus: neq; opus eſt ut uobis, multa de nobis iactando, ſuadeamus.* Forſitan *ue= ro ea de cauſa minus me amore proſequimini, & alios accipi= tis, quia à uobis uideor alienus, nolens à uobis accipere ſtipen= dia.* An *hoc peccatum eſt, quòd meipſum humiliaui apud uos, proprijs manibus uictum quæritans, & poteſtate mea non ũtens, in accipiendo uitæ neceſſaria, ut uos ad fidei ſublimitatẽ perducerem?* Quoniam *ſine ſtipendio annunciaui uobis* Euan= *gelium* Chriſti, *ab alijs pauperculis (ueluti à* Philippenſibus) *accipiens ſumptus, quibus uobis adminiſtraui* Euangelium. Immo *cũ eſſem præſens apud uos, & egerem: à nullo ueſtrum quicquam ego poſtulaui, neq; accepi.* Neceſſitatibus *enim meis ſubuenerunt fratres à* Philippis Macedoniæ, *& prorſus uos non grauaui, neque in poſterum grauabo.* Loquor *ſecundũ ue= ritatem* Dei, *quòd hanc gloriandi materiã nõ ſinam infringi in me neq; auferri mihi in regionibus* Achaiæ. Quamobrem? An *quia nõ diligo uos?* Deus *nouit, qđ plurimũ uos diligã.* Quod *autem nunc facio, etiam in poſterum facturus ſum, eo fine, ut præcludã falſis* Apoſtolis, *qui inter uos abundant, occaſionem quã quærunt, ſiue nos calumniandi, ſiue ſuã auaritiam cõplẽdi*

ut in ſua gloriatione cogantur ſimiles inueniri nobis, atq; ita eorum nel gloriatio uel auaritia cõprimatur. Nam eiuſmodi falſi Apoſtoli, ſunt operarij doloſi, aſſumentes faciem & apparentiam uerorum Apoſtolorum Chriſti ſimulantes ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, cũ nihil ſint minus, Neq; id mirum, quoniã & Satanas ſæpe figuram aſſumit boni angeli, tam ſecundum exteriores apparitiones, quàm ſecundum interiores inſpirationes, bonitatem ſimulans. Mirum ergo non eſt, ſi eius miniſtri transfigurentur, uelut ueri miniſtri Chriſti, quorum erit merces ſecũdum opera ſua. Iterum uos moneo, quod principio monui, ne quis mihi ad inſipientiam & iactantiam reputet, gloriam iſtã. Quod ſi tandem omnino uobis ſic uideatur, nec aliud impetrare poſſum, accipite me uelut inſipientem: tantum, ut mihi paululum liceat gloriari. Quod loqui propono, nõ ſecundum Deũ erit (quantum in ſe eſt; licet erit ſecundum Deum, propter charitatis neceſſitatem) ſed ſecundum apparentiam, quaſi in inſipientia carnali, quantum ad hanc partem gloriationis, quæ eſt de genere & origine carnis: In quibus gloriari omnino uidetur, etiam prima facie, inſipiens. Quoniam tamen multi in his carnalibus gloriantur, & ego cogor gloriari. Libenter enim, huiuſmodi ſuſcipitis inſipientes & gloriabundos Apoſtolos, quod eſt tenuioris in uobis ſapientiæ indicium. Suſtinetis enim uos in ſeruitutem redigi, à talibus pſeudoapoſtolis, expoliari & accipi à uobis munera, & dominari eos uobis. Immo extremo affici ab eis probro atq; contemptu, Contemptim iſta loquor: quaſi uero & nos non ualeamus noſtra authoritate ſimiliter expoliare & in uos imperium agere. In quo autem quis eorum audet gloriari (tanquam inſipiens loquor, cum eis gloriatione contendo) & ego audeo in eodem gloriari, Si ſe Hebræos gloriantur, de hoc & mihi licet gloriari. Nam & ego

Hebræus ſum, Si ſe Iſraelitas iactant, aut Abrahæ ſemen in his & mihi licet gloriari. Nam et ego Iſraelita & ſemen Abrahæ ſum. Si miniſtros ſe Chriſti iactẽnt (licet id uidebor tanquam inſipiens dicere) tamen audacter profiteor, me amplius Chriſti eſſe miniſtrum: utpote qui in laboribus plurimis, & in carceribus frequentius, in uerberibus ſupra modum, & in mortis periculis frequenter, ob Chriſti nomen fuerim: A Iudæis quinquies pœnam hanc pertuli, ut triginta nouem uerberibus cæderer. Alibi quoq; apud gentes: ſine menſura uerberum, ter ſum uirgis cæſus, ſemel ĩ Lycaonia lapidatus ſum, ter naufragij pericula ſuſtinui: Noctem & diem peregi, in profundo maris. Moleſtias itineris, frequenter ſuſtinui: Sæpius in periculis fluminum fui. Nunc mihi periculum fuit ex conſanguineis meis Iudæis, aliàs ex gentilibus, utriſq; mihi inſidiantibus. In ciuitate: & extra ciuitatem, in ſolitudinibus, in mari, atq; etiam in fictis & ſimulatis Chriſtianis: per multum laborem et moleſtiã, per multas uigilias, per famem & ſitim obuenientes mihi, per ieiunia ultro aſſumpta ad carnis caſtigationẽ, in frigore & ueſtitus tenuitate: exceptis his quæ ſunt extra hæc prædicta, uel quæ extrinſecus obueniunt, quorum grauiſsimum eſt, & mirũ in modum me angit, id quod mihi quotidie inſtat & perpetuo incumbit, nempe omnium eccleſiarum ſolicitudo: quæ eſt ſuper omnia, mihi labor maximus. Nam omnibus factus omnia, cum infirmis infirmor, dum eorum infirmitatem, per compaſsionẽ, in meipſum, traſfero: & ſiquis ſcandalum patitur aut corruit, ego uror & affligor, tanquam in meipſo ſentiens, quod patitur alius. Si tandem gloriari oportet me, neceſsitate charitatis compulſum, gloriabor quidem in ijs libenter, quæ ſunt humilitatis & contemptus, in quibus maior eſt gloriandi ſecuritas. Deus omnipotens pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt be=

nedictus in ſecula, ipſe nouit & teſtis eſt, qđ ueritatem loquor. Ante annos multos initio conuerſionis meæ, is qui in Damaſco erat ab Areta rege cõſtitutus præfectus populi, quæſiuit me cõprehendere, obſeruans Damaſcenam ciuitatem, ex omni parte: uerum à fratribus in ſporta demiſſus ſum p feneſtram, itaq; euaſi manus eius, ſecundum gratiam, & conſilium, & protectionnem Chriſti, cui in hoc & in omnibus beneficijs, omnem reddo gloriam.

CAPVT XII.

Tametſi nunc mihi neceſſitas incumbit gloriandi, propter pſeudapoſtolorum fallaciam, eſt tamen hoc in ſeſe homini non utile, ut in magnis glorietur. Veniam tamen (quandoquidem cogor) ad enarrandas uiſiones, quas mihi Deus oſtendit, & reuelationum intelligentias. Scio hominem quendam Chriſto credẽtem, ante annos quatuordecim, raptum ſecundũ extaſim, uſq; in cœlum Empyreum, uſque adeo inſenſibilem factum ſecundum corpus, ut neſciam an in corpore fuerit: an extra corpus: Deus tamen (qui omnia ſcit) ipſe nouit, quemadmodum cum illo res ſe habebat. Et huiuſmodi hominẽ, uſque adeo inſenſibilem factũ propter extaſim, ut neſciret omnino quid de corpore ageretur, an infuerit anima in corpore, an pro eo tempore non infuerit: Deus eſt qui nouit. Hunc, inquam, hominẽ, ſcio raptum fuiſſe in iucundiſſimum delicijsq; plenum beatitudinis locum, ubi & accepit, didicitq; occulta: & ſecreta miranda myſteria: quæ ab homine corporeis utente ſenſibus explicari non ualent, neq; cæteris licet enarrari. Pro huiuſmodi, uel homine uel uiſione, gloriabor, ſi talia mihi contingant. Pro me autem, aperte nihil tale glorians recito, niſi tantum infirmitates meas, in quibus eſt ſecura gloriatio. Nam & ſi in altioribus eiuſmodi, uoluero gloriari, etiam aperte, non mendaciter deſipiam, ſed ueritate ſalua

id poſſum agere. Superſedeo tamen multa aperte ac glorioſe recitare, ne quis exiſtimationem de me maiorem inde ſumat, q̃ ex ijs quæ uidet in mea conuerſatione, aut audit in noſtra prædicatione. Mihi enim ſufficit, ſi talem me reputetis, qualem me & opere, & ſermone, & uirtute conſpicitis. De cæteris, nolo haberi glorioſior, quæ ſingulari priuilegio, Deus mihi donauit. Et ne ſublimitas talium reuelationum me efferat in ſuperbiam, data eſt mihi tribulatio atq; uexatio carnis meæ, quæ me affligat, per Satanam excitata. Atq; iccirco, quia à Satana ſic me ſenſi diuexari, indignum id iudicans, dominum tertio deliberata uoluntate rogaui, ut à me uexationem eiuſmodi auferret. Reſpondit autem mihi dominus. Gratia mea tibi ſufficiat, per quam reſiſtens tentationibus, & moleſtiam patiẽter ferens, coronaberis glorioſius. Nam ſpiritualis fortitudo, quæ nobis à Deo ineſt, in afflictione aut humiliatione, creſcit uſque ad perfectum, & conſeruatur melius, quæ in proſperitate ſolet nonnunquam collabi: aut imminui. Libẽter igitur gloriabor, in afflictionibus meis, ut ſic in me permaneat, atq; inhabitet abundantius. Chriſti uirtus, quæ in infirmitate cuſtoditur ſecurius. Propter hoc igitur, placere mihi metipſi uolo in afflictionibus & humiliationibus meis, nempe in contumelijs palàm illatis, in perſecutionibus exterioribus, in anguſtijs animi, quas pro Chriſti nomine libens ſuſtineo. Cum enim ſecũdum corpus affligor, & contemnor, ſpiritu conſortor plus ſolito. Ecce iam gloriando longe ac late, ſecundum ſpeciem uiſus ſum inſipiens factus. In uos recidit culpa, ad quorum utilitatem compulit me neceſſitas, ut pro me gloriarer, contra pſeudoapoſtolos, cum uos magis debuiſſetis aduerſus illos ꝓ me gloriari. Nihil enim uobis minus eſt per me præſtitũ, quàm præſtitiſſent quantũuis magni, ſiue ueri, ſiue falſi Apoſtoli. Tametſi enim ego ex me

totus ſim merito contemptibilis, ſigna tamen & teſtimonia, aperte noſtrē Apoſtolicam authoritatem cōteſtantia inter uos, & ſuper uos, ſunt edita. Idq; per omnimodam in tot afflictio= nibus patientiam, deinde per ſigna & prodigia, & alias uirtu tum potentes admodum operationes. Quid enim minus conſe cuti eſtis uos per meum miniſterium, quàm cæteræ ſint eccleſiæ conſecutæ? Niſi forte illud uelitis adducere, quòd per me nō ſi= tis grauati. Hoc ſi culpam ducitis, facile mihi hāc donabitis in= iuriam, quæ cum ueſtro eſt emolumento. Ecce hac tertia iam ui ce paratus ſum uenire ad uos, & ne nūc quidem alicui ero gra tis. Nō enim ueſtra temporalia bona quæro per auaritiam, ſed ueſtram ſalutem deſidero, per charitatem. Cum enim pater ſim ueſter, ſecundum ſpiritum, in Euangelio: curandum eſt mihi, ut uos ditemini ſpiritualibus bonis. Vobis autem hæc erga me cu ra non incumbit. Non enim filij parentibus debent theſauriza re, tanquam ſuis futuris hæredibus: ſed parentes filijs, utpote quos ſunt hæredes habituri. Ego autem, quoniam patrem me ſcio, omnia libentiſſime impendam, quātum potero omnia at= tentans, & omnem laborem aſſumens. Immo & amplius, ex= pendam meā ipſius uitam, pro ueſtra ſalute ſpirituali. Quan= quam poſt hæc omnia, uſqueadeo uos diligens, uix tenuiter, aut ut minimum nō pari amore, à uobis ipſe diligar. Sed forſi= tan dicat aliquis. Eſto, non grauaueris uos, per teipſum: ſed per eos quos ad nos miſiſti, callide expoliaſti nos, ut accipiens acci pere non uidereris. Reſpondete igitur mihi, ſiqui forte talia co gitatis aut dicitis. Nūquid per aliquem eorū quos ad uos miſi, extorſi quippiam, aut per fraudem accepi à uobis? Rogaui Ti= tum ut ad uos iret, & miſi cum illo probatum fratrem. An for te Titus uos circumuenit, ſub meo nomine? Non ne eadem ſpi= rituali conuerſatione, & ipſe & ego, cōuerſati ſumus uobiſcū?

Non'ne prorſus eiſdem modis ac uijs, tanquam præceptor et diſcipulus? Erunt *forte qui iam iſta dicta putent, ad excuſationem alicuius admiſsi à nobis in uos criminis, cuius nobis ſimus conſcij.* Non *ita uero res habet, ſed coràm* Deo *iudice, ſecundũ* Chriſtum, *ueritatem loquimur.* Omnia *autem quæ dicimus aut facimus, chariſsimi, propter ueſtram utilitatem agimus atque profectum.* Timeo *enim, ne forte cum uenero ad uos, per Pſeudoapoſtolorum peruerſam doctrinam, inuenturus ſim aliquos ex uobis, quales eſſe nolim: hoc eſt, impœnitentes & incorrectos aut rebelles, ac proinde & ego inueniar à uobis, uosq́; me experiamini, non qualem uelitis: id eſt, aſperiorem in puniẽdis delictis ueſtris: ne forte ſint inter uos cõtentiones, inuidiæ, iræ, diſsidia, detractiones, occultæ murmurationes, inflationes, ſuperbiæ, ſeditiones: ne quemadmodum nuper contriſtatus ſum hæc audiens, ita nunc iterum contriſtet & affligat me* Deus, *cũ præſens fuero apud uos, & lugere cogar ac* Satanæ *tradere, et acrius caſtigare plurimos eorum qui olim peccauerunt, & necdum auerſi ſunt à peccatis ſuis, nempe ab immũdicia qualibet, fornicatione, & impudicitia, quam perpetrarunt.*

CAPVT XIII.

Ecce nunc tertium inſtituo aduentum, & tertio iam paro uenire ad uos. Et *cum aduenero, teſtimonio duorum aut trium idoneorum teſtium, recipietur acceptabiturq́; omnis accuſatio, & proferetur à me omne iudicium.* Prædixi *ergo nuper præſens uobiſcum & nunc iterum abſens prædico antequam adueniam, his qui ante peccauerunt, quàm illam epiſtolam obiurgatoriam deſtinarem, quos per epiſtolam tunc monui, & cæteris omnibus qui ſunt inter uos, ut caueant à ſimilibus peragendis: quòd ſi iterum uenero, haud dubie ſeuerius cum eis agam, quàm hactenus egerim.* An *uultis experiri, quàm ſit potens in me* Chri

ſtus, per quem ego loquor, et locutus ſum uobis, per quem etiã ultionem ſumere poſſum, & punire peccata? Certe ipſe, quemadmodum oculis ueſtris uidiſtis, non fuit impotens inter uos, qui potẽter, per nos, egit apud uos mirabilia. Nam quamuis ſecundum infirmitatem humanitatis aſſumptæ, paſſus ſit ſe cruci affigi: quòd tamẽ reſurrexit uicturus inæternum, ex uirtute eſt diuinitatis eius. Enim uero & nos in configuratione ad Chriſtum infirmi uiles & cõtemptibiles ſumus, ſecundum carnis miſerias, quas pro eo patimur: uiuemus tamen, & ſuperſtites erimus, in poteſtate noſtra, ad puniendum delinquentes, ex uirtute Dei nobis conceſſa, erga uos & ſuper uos, quicunq; noſtro Apoſtolatui per Deum ſubditi eſtis, nec erit poteſtas ultionis mortua. Voſipſos examinate & diſcutite, an in fide recta perſtetis: uoſipſos ex operibus probate, num opera digna fide ueſtra facitis. Certe iam cognoſcitis (non dubito) quòd Chriſtus per fidem, quam conuerſi ſuſcepiſtis, in uobis inhabitat, qui tamen non eſtis niſi diſcipuli: quanto magis & in me habitat, qui ſum præceptor ueſter, & Apoſtolus? Habitat, inquam, in uobis Chriſtus. Niſi qui forſan (quod abſit) ab ea gratia & fide, quam nuper ſuſceperũt, ſint repulſi, & ea priuati. Nam in reprobis, non inhabitat Chriſtus. Credo autem non tam peruerſe uos de me ſuſpicari, ut me putetis, ſiue à fide Chriſti, ſiue ab Apoſtolica authoritate, reprobum factum: & id uos per experientiam, cognituros etiam credo, ſi me contigerit inuenire uos non emendatos. Oramus autem Deum, qui ſolus in omni bono potens eſt nos cuſtodire, ut non efficiamini aliquando reprobi, ſed ut in omni conuerſatione, ſemper probi ſitis & immaculati. Oramus, inquam, pro ueſtra innocentia: non ut nos appareamus probati, & magni, in oſtentatione poteſtatis noſtræ, & executione uindictæ, quales appareremus ſi uos in

peccatis reprobos inueniremus:ſed oramus, ut uos probati & immaculati in conuerſatione ueſtra efficiamini. Nos *autem, dum propter ueſtram innocentiam nihil puniendum inueniremus, ut quaſi reprobi(id eſt ſine poteſtate) appareamus: cum omnem punitionis occaſionem,uos per probatam conuerſationem ueſtram, nobis ſubtraxeritis.* Non *enim poſſumus, & multo magis nec uolumus, aliquid agere contra ueritatem, neque in quenquam pœnam aut uindictam exercere poſſumus qui in ueritate probe ambulat: ſed pro ueritate magis agere optamus et in omni probitate uos fouere, quantum poſſumus.* In *hoc enim gaudemus, ſi uos in bono potentes, fortes, ac robuſti, efficiamini:*Nos *autem infirmi habeamur, & impotẽtes cũ occaſionem oſtendẽdæ noſtræ poteſtatis nullã habuerimus.* Atq; *hoc ipſum eſt quod ſemper oramus, nempe ut cõſummati & perfecti euadatis per omnia, ut nulla uobis mea punitione ſit opus.* Ideo *enim abſens hæc ſcribo: ne cogar, cum præſens adero uobis, ſeuerius in uos agere, per illam poteſtatem quam dedit mihi* Deus, *in utilitatem & profectum ueſtrum, non in detrimentum ſpirituale cuiuſquam:ut nõ per nimiam indulgentiam diſſoluamini, atq; dilabamini in uitia.* Q*uod ſupereſt autẽ fratres mei, quærite ſemper in dño gaudere, laborate ut perfecti efficiaminni, & exhortemini & cõſolemini inuicem, pacifice cõuerſemini, & erit* Deus *pacis uobiſcũ. Salutate inuicem, in ſancto oſculo ſpiritualis amoris. Salutant uos oẽs ſancti. Gratia dñi noſtri* I*eſu Chriſti, & charitas* D*ei patris, et ipſa ſancti ſpiritus cõmunio(p quẽ nectuntur pater & filius adinuicẽ, & fideles cũ dño unum fiunt)ſit cum omnibus uobis. Amen.*

Finit Elucidatio in Epiſtolam poſteriorem ad Corinthios, beati Pauli Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM in Epiſtolam ad Galatas beati Pauli Apoſtoli.

Inter cæteros quibus Chriſtum Paulus prædicauerat, erant etiã hi ad quos nunc ſcribit, Galatæ. Qui ab ipſo Apoſtolo uerbum ueritatis recte edocti, & in fide uera bene proficientes, poſt Apoſtoli ſui diſceſſum, in legis ſeruitutem & legalium obſeruantiam ſunt inducti, per quoſdam ex Iudæis falſos Apoſtolos: qui prædicabant, abſque legis obſeruantia, potißimũ uero ſine circunciſione, non poſſe eos ſalutem conſequi. Qui etiã, ut ſuæ falſæ prædicationi maiorẽ pararent authoritatẽ, Paulo multis modis derogabant: dicentes illum non eſſe niſi Apoſtolorum legatum, non autem uerum à Deo miſſum Apoſtolum, ut erant cæteri, qui in Iudæa agebant: atque ob hoc, minus huic deberi fidei, diuerſa ab illis primis ac præcipuis Chriſti Apoſtolis, docenti. Videbantur enim Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, legi fauere propter dißimulationem, ratione Iudæorum imperfectorum, inter quos agebant, quam Paulus ſuâ prædicatione aperte euacuatam proclamabat dicens, poſt Chriſti mortem et nouæ legis gratiam, circunciſionem ac cætera legis, eſſe ſuperflua. Aduerſum hos igitur Pſeudoapoſtolos, uolẽs Chriſti uerus Apoſtolus ſuos Galatas, ab errore legalis ſeruitutis, in libertatem Euangelicæ libertatis traducere: primum quidem, poſt pacis ſalutationem, in ipſo ſtatim Epiſtolæ initio, ſeuera obiurgatione eos increpat, quòd talibus ſeductoribus, tã facili perſuaſione, aures & conſenſum præbuerint, permittentes ſe, ab ea in qua poſiti erant libertate Euangelij, in legis ſeruitutẽ, ſine cauſa induci. Cum nec angelo de cœlo, neque etiã ſubiipſi, aliud ab eo quod iam ſemel ſuſceperant docẽti, credere debuiſſent. Mox deinde ad ſuæ prædicationis authoritatem conſtabiliendam, declarat, ſuum Euangelium, quod illis prædicauerat

ſe non ab alio accepiſſe, niſi immediate à Ieſu Chriſto, qui eum perfecte de omnibus fidei myſterijs edocuit. Atque id quidem, *capite primo.* Poſt hæc autem *ſecundo capite, contra id quod obijcebatur de* Apoſtolis, *qui in* Iudæa *legi fauere uidebantur: oſtendit* Paulus *ex ipſorum authoritate & approbatione, rectam & ueram per omnia eſſe prædicationẽ ſuam, ac in omnibus per illos approbatam,* Idq; *tribus modis. Primũ in eo quod* Titum Gentilem *& incircunciſum, etiam laborantibus ad hoc falſis fratribus, non compulerint circuncidi: quo euidenter teſtati ſunt, non eſſe Gentibus neceſſariam circunciſionẽ, ac proinde nec cætera legalia. Secundo, quoniam poſtquam cum eis* Euangelium *ſuum contuliſſet, nihil ei contulerunt, neque quicq̃ abijciendum aut mutandum iudicauerunt: quin et dextris illi ac ſocio* Barnabæ *datis, cum eis ſocietatem inierunt.* Tertio, *quòd* Petrum Antiochiæ, *propter* Iudæorũ *quorundam metũ, legis obſeruationem ſimulantem, audacter reprehendit, ad præcauendum ſuorum ſcandalum.* Ex *quo clare patet, licet propter conuerſorum ex* Iudæis *imperfectionẽ,* Apoſtoli *cæteri in* Iudæa *legem nondum aperte euacuarent, donec* Euangelicæ *libertatis ueritas palàm fieret: eorum tamen non fuiſſe ſententiam, quòd & Gentibus eſſet legis obſeruatio neceſſaria.* Atque *ita in fine capitis ſecundi, palàm & aperte, de legis per* Chriſti *mortem euacuatione, fideliter pronunciat, dicens ſe legi mortuum, ſoli Chriſto uiuere.* Poſt *quæ præmiſſa,* Capite *tertio, pro gentis ruditate, dure et (ut ita dicam) incircunciſe, illorum redarguit inſipientiam, cordiſq; leuitatẽ, et uanam inſtabilitatẽ qui cum ſpiritu cœpiſſent, carne cõſummari uellent: docens ex ſcriptura, quæ de* Abrahæ *iuſtificatione loquitur, ex fide iuſtitiam ueram prouenire, non ex lege, quæ per ſe magis obnoxios reddit maledictioni: benedictionemq; illam, quæ* Abrahæ

ex fide promiſſa fuerat, in uno ſemine Chriſto, nobis omnibus Abrahæ fidem ſequentibus; & in Chriſtum credentibus, communicandam, quam ex lege fruſtra fuiſſet expectare, quæ tantum ad tempus populo Iudæorum data fuit, ſub qua ut pædagogo cuſtodirentur, donec libertatis tempus adueniret: quod iam impletum eſt, quando à Pædagogo liberati, omnes per fidẽ liberi, filij Dei facti ſumus. Quod etiam per hæredis ſimilitudinem, capitis quarti initio, declarat. Ac deinde, iterũ ad increpationem uerba conuertit. Et quo amplius eorum animos ad pœnitentiam cõmoueat, bona conuerſationis eorum principia cõmemorat, atq; à ſeductoribus, qui eos æmulantur non bene cauere iubet attentius. Iterúmq; per Allegoriam ex Agar ancilla & Sara libera docet, ancillæ Agar filios (id eſt, legis & Synagogæ ueteris ſeruos) eijci debere. Filios autẽ Saræ (id eſt, nouæ legis et Eccleſiæ filios) hæreditatem gloriæ eſſe accepturos. Monet proinde ac obteſtatur, ſequenti quinto capitulo, ne per Chriſtum libertate donati, ſeruitutis iugo colla ſubmittant, neq; iſta ſuadentibus conſentiant: quos ſuum dicit in nouiſſimo iudiciũ condemnationis, accepturos. Tamẽ monet ex aduerſo, ne prætextu Euangelicæ libertatis, carnis obſequantur deſiderijs: ſed ut per charitatem ſpiritu uiuant, & ſpiritu ambulent, quæ contraria ſunt carnis concupiſcentiæ, ſtudioſe operantes: Cuius occaſione, opera carnis enumerat: & ex aduerſo, fructus ſpiritus conſtituit. In ſexto autem capitulo, quæ ad mores faciunt pertractans, manſuetudinis potiſſimum, & modeſtiæ Chriſtianæ, liberalitatiſque ac miſericordiæ, commonefacit: ut dum tempus eſt, operentur bonum. Poſt quæ demum, aduerſus eos qui in carne uane uolunt gloriari, ſuam ipſe ueram ac ſolidam gloriationem opponit, in nullo alio præter quàm in cruce Chriſti, ſe aſſerens gloriari: cuius ſtigmata in ſuo cor-

pore adeo ſibi non ducit ignominiæ, ut etiam ad gloriam ea reputet, atq; cum gloria prædicet. Atque ita in eo quod *cœpit ab initio, terminat* Epiſtolam.

Finit Argumentum in Epiſtolan *Pauli Apoſtoli ad Galatas.*

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD *Galatas beati Pauli Apoſtoli.*

CAPVT PRIMVM.

PAulus, non ab homine, neq; per hominem Apoſtolus ordinatus, neque Apoſtolorum Apoſtolus, ſed abſque medio, per dominũ Ieſum Chriſtum atque Deum patrem, qui eum à mortuis reſuſcitauit, & omnes qui mecum ſunt fratres, ſalutem dicunt Eccleſijs fidelium, quæ ſunt in Galatia. Sit uobiſcum gratia, & pax uera gratiæ comes, à Deo patre omnium noſtrum, & domino Ieſu Chriſto filio eius: qui ſemetipſum tradidit in mortẽ, pro expiandis peccatis noſtris, ut nos ſic à peccatis expiatos, à ſeculi huius nequitia, & mundana conuerſatione (in qua ante conuerſionem uiuebamus) traduceret, ad nouam & cœleſtem conuerſationem: quẽadmodum erat uoluntas, & beneplacitum Dei patris noſtri, cui eſt honor & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen. *demiror ueſtram iſtam inſtabilitatem nimiam & imprudentiam: quod ita facile, tam cito, taliũ Pſeudoapoſtolorum ſuaſionibus, receditis à Deo, qui uocauit uos in libertatem Euangelicam, ad prædicationem aliam (nempe legalium obſeruantiarum) acceptandam: Cum tamen in ueritate non ſit aliud Euangelium, nec alia prædicatio ueritatis, niſi quod per me uobis eſt prædicatum.*

Sed ſunt aliqui qui uos quærunt ſubuertere, & uolunt Euangelium *Chriſti ad ſuum placitum torquere, atq; peruertere: ad ſuum ſenſum, non ad ueritatem illud prædicantes.* Sed *illud ſciendum eſt uobis, tantam fidem uos debere adhibere ijs quæ iampridem uobis prædicauimus, ut nullius prædicatione ab ipſis recedatis, adeo ut ſi noſipſi rurſus redeuntes aliud uobis contrarium prædicaremus, quàm prædicauimus, aut etiam (ſi id poßibile eſſet) angelus de cœlo deſcendens, contra id quod accepiſtis, uobis prædicaret, recipere nulla ratione poßitis, aut debeatis: immo uelut maledictũ, huiuſmodi prædicatorem execrari oporteat, quemadmodum olim prædixi, & nũc repetens iterum dico. Quiſquis uobis aliud aliquid prædicauerit cõtrarium ei quod nos docuimus, & uos iam ſemel credidiſtis, illum fugite & execremini. Quid enim?* An *ego dum Euangeliũ doceo, ad hominum gloriam doceo, an ad gloriam* Dei? Nunquid *mea prædicatione, carnales & mundanos hominũ quæro fautores?* Profecto *ſi hoc mihi eſſet in deſiderio, ut placere quærerẽ hominibus: nón poſſem ſimul eſſe* Chriſti *ſeruus fidelis: quià nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Et *ne dubitetis de noſtræ prædicationis firmitate (propter eos qui me falsò dicunt non à* Deo *miſſum, nec per* Deum, *ſed ab* Apoſtolis *alijs, & per eos inſtructum, tantum* Apoſtolorum *eſſe* Apoſtolum, *ſic derogantes noſtræ authoritati) ecce ego notum uobis illud eſſe uolo,* Euangelium *iſtud quod præpicaui uobis: non fuiſſe humanum, ſed diuinum.* Nam *ego, neq; ab homine illud prædicandi commißionem accepi, neq; per hominis inſtructionem didici, ſed per immediatã reuelationem* Chriſti Ieſu, *qui per ſeipſum, plenißime de omnibus myſterijs fidei me inſtruxit, & per ſemetipſum, ea mihi prædicanda in* Gentibus *commiſit.* Cõſtat *autem, quòd ante conuerſionem meam, hãc fidem à nullo edoctus fue-*

rim. Neq; *enim dubito quin relatu iam cognouiſtis omnem con uerſationem meam, qua in legis obſeruatione, ante fidem Chri ſti ſuſceptam, fui conuerſatus: queadmodum ſupra modum, mi miro zelo perſequebar eccleſiam* Dei, *& uelut capitalem ini= micum hoſtemq; publicum me illi demonſtrans, palàm etiam expugnabam.* In *legalibus autem ritibus & obſeruantijs, pro= ficiebam ſupra multos coætaneos generis mei, ardentiſſimo ze lo obſeruans traditiones omnes: & quas lex ipſa per ſe trade= bat obſeruandas, & quas mihi patres tradiderant, ſupra ex= preſſa legis præcepta: ita ut eo tempore, nihil minus cogitaue= rim, quàm de* Euangilio *Chriſti addiſcendo.* Q*uando autẽ ue= nit tempus, quo placuit* Deo *(qui me per præſcientiam ſuam ſe gregauit, antequàm egrederer de utero matris meæ, ac poſtmo dum in ſuo tempore etiam uocauit ad fidem &* Apoſt*olatus huius mininiſterium) filium ſuum manifeſtum facere in me: id eſt, mihi aperire, & per me alijs manifeſtum facere ut illum gentibus prædicarem: continuo non adiunxi me ullis mortali= bus hominibus, qui ſunt caro & ſanguis, ut ab hominibus di= ſcerẽ, de quibus me plene* Deus *edocuit.* Neq; *ueni* Hieroſoly*mam, ad eos qui fuerunt ante me* Apoſt*oli,* Petrum, Iacobum, Ioannem, *& cæteros gratia diſcendi quippiam ab eis: ſed ſuffi cienter à* Deo *inſtructus, confidenter abij in Arabiam, ut illis prorſus rudibus* Chriſti *fidem annunciarem, & iterum reuer ſus ſum* Damaſcum. Deinde *poſt annos tres, ueni* Hieroſoly= *mam, honoris gratia inuiſere* Petrum: *apud quem & familia riter hoſpitatus ſum diebus quindecim, tanquam uerus* Apoſto *lus ab eo benigne receptus.* Alium *autem* Apoſt*olorum tunc temporis uidi nullum, niſi* Iacobum Hieroſolymæ Epiſcopum *ordinatum, qui dictus eſt frater domini.* Q*uæ autem ſcribo uo bis,* Deus *ipſe (qui iudex eſt omnium) teſtis eſt quòd non men*

tiar, Deinde ueni in partes Syriæ & Ciliciæ. Eram autẽ ignotus aſpectu, Eccleſijs Iudææ fidelibus. Tantum audierant fama, illum qui olim tam ſæuus fuerat perſequutor Chriſtianorum, nunc prædicare fidem quam olim expugnabat, & palàm perſequebatur. Atque ita in me clarificabant Deum, qui tam mirabilia circa me fuiſſet operatus, per gratiam ſuam.

CAPVT SECVNDVM.

Deinde poſt annos à mea conuerſione quatuordecim, iterũ aſcẽdi Hieroſolyman, aſſumptis Barnaba & Tito: altero ex Iudæis, altero Gentili, ut eſſent teſtes idonei, fideles, & ſufficientes, eorum quæ agerentur mecum in Hieroſolyma. Aſcẽdi autem hac uice, ex diuina reuelatione, ad declarationem ueritatis Euangelij quod prædicaui, et confutationẽ eorum qui me calumniabantur, quaſi diuerſa docentem ab alijs Apoſtolis, qui erant Hieroſolymæ: & contuli cum Apoſtolis cæteris Euangelium, quod prædico in Gentibus exponendo eis per ordinem omnia quæcunq; prædicaui. Non id tamen in publico corã omnibus, ſed ſeparatim; coràm ijs qui erant eminentiores inter fideles cæteros. Feci autem iſtud, nõ quod dubitarem de prædicatione mea aut ut aliquid diſcerem amplius: ſed ut non fieret irritus labor meus, & prædicatio mea in gentibus, ut dum à cæteris Apoſtolis noſtram doctrinam audirent comprobari, non dubitarent ei fidem habere. Vſqueadeo aũt nihil Apoſtoli noſtræ contradixerunt prædicationi, ut nec Titum cogerent circuncidi, qui tamen erat incircunciſus, & ex utroq; parente Gentilis natus. Immo neque propter falſos fratres, qui erant ſubornati ab alijs, etiã ſi illi ad hoc laborarent, qui occulte, ſub amicitiæ et fidei ſpecie ingreßi ſunt ad explorandum, ſi in libertate perſtaremus quam habemus in fide Chriſti, & quam prædicauimus, ut nos ſubijcerent ſeruituti legis, cogendo Titum circun

cidi,ac deinde ex aliorum Apoſtolorum authoritate: Gentibus legalia prædicare. Nos *uero illis neque ad horam ceßimus,ſiue pro tempore minimo,ſubijciendo nos ſeruituti legis.* Titũ *circuncidendo , ut ueritas* Euangelicæ *libertatis apud uos inconcuſſa permaneret: Si enim illi* Apoſtoli *circunciſionẽ putaſſent* Tito *neceſſariam,utiq; coegiſſent eum circuncidi .* Et *poſtea* q̃ *falſis illis fratribus ad hoc laborantibus ,* Titus *non eſt compulſus circuncidi,conſtat, quòd illi noſtram prædicationem de non obſeruandis legalibus,comprobauerint.* Ab *his autem qui erant eminentiores in* Eccleſia,*nihil didici tunc temporis.* Taceo *autem quales aliquando illi fuerint in* Iudaiſmo *, multo me & zelo & ſcientia legis inferiores,ut tunc potius eis erudiendis ipſe ſufficerem.* Verum *illud, nihil ad rem : quoniam* Deus *non attendit ad perſonas hominum,ſed quos ipſe uult, ſecundũ propoſitum uoluntatis ſuæ uocat,& eligit.* Mihi, *inquam, illi eminentiores* Apoſtoli,*nihil addiderunt ad* Euangelij *mei doctrinam.*Immo *uero econtrario,per omnia conſentiebant, ueracem,plenam,& ſufficientem, meam doctrinam comprobantes.*Nam *cũ uidiſſent* Petrus, Ioannes, & Iacobus, *quòd mihi dominus cõmiſiſſet officium prædicandi* Gentilibus *, ſicut* Petro,*euangelizandi* Iudæis (Nam *qui* Petrum *fecit dignum* Iudæorũ Apoſtolum,*idẽ* Deus *& mihi adfuit , ut idoneus eſſem* Apoſtolus *gentilium) & cum cognouiſſent gratiam multiformem ſpirituſſancti,quæ data eſt mihi: illi, inquam, qui eminebant tanquam columnæ in* Eccleſia,*iunctis dextris, ſocietatem inierunt nobiſcum: hoc eſt mecum & cum* Barnaba *, ut nos in gentes pergeremus prædicantes,ipſi autem inter* Iudæos. Tan*tum admonebant,ut pauperum qui erant in* Eccleſia Hieroſolymæ,*ſpoliati poſſeßionibus ſuis, curam haberemus apud eccleſias gentilium,qui in bonis temporalibus magis abundabãt:*

quod etiam, omni qua potui ſolicitudine, diligenter peregi. Quo uero amplius uobis fiat comprobata ueritas libertatis Euangelicæ, *& prædicationis noſtræ, narrabo uobis quo pacto* Antiochiæ, Petro *Apoſtolorum principi contradixerim, cum palàm omnibus (quibus erat periculum) arguendo, quia reprehendendus ueniebat, & ita ſe gerebat, ut mihi neceſſariũ uideretur illum reprehendere, propter ſcandali et periculi (qd' alioqui uidebatur imminere) amotionem.* Nam *principio cum ueniſſet* Antiochiam, *cœpit legem negligens, cum* Gentilibus *manducare, quod lex prohibet. Cum uero à* Iacobo *ueniſſent quidam* Iudæi, *ſubtraxit ſe & ſeparauit à conſortio* Gẽtilium, *timens ſcandalum facere illis* Iudæis, *qui in lege adhuc ut infirmi hærebant.* Cuius *exemplo, & cæteri* Iudæi *(qui ante cũ* Petro *bona fide* Gentibus *participaſſent) ipſe quoq;* Barnabas *ſocius noſter: adducti ſunt ad ſimulandum legis obſeruationem, & occultandum, eam quam habebant de* Euangelica *libertate, ſententiam. Sed cum uidiſſem, quòd propter timorem ſcandali* Iudæorum *illorum, diſsimularent ueritatem libertatis* Euangelicæ, *timensq; ex hoc* Gentilibus *ſcandalũ imminere: hoc mihi conſilium fuit, ut* Petrum *coràm omnibus arguerem: quo ſic, & illi qui aduenerunt* Iudæi, *& cæteri* Gentiles, *nullum ſcandalum paterentur,* Euangelicæ *libertatis ueritatem, per meam reprehenſionem,* Petro *non reſiſtente, edocti.* Dixi *itaque* Petro *coràm omnibus, tam* Iudæis *quàm* Gentilibus *qui aderant, quibus ex re prædicta periculum ullum euenire poterat. Si tu, qui* Iudæus *es natura, lege dimiſſa ſub qua natus es, cõmunem cũ* Gentilibus *uitam ducis: quomodo nũc* Gentes *tuo exemplo ad* Iudaiſmum *inducis, ob iſtorũ* Iudæorum *qui aduenerunt timorem?* Nos *carnali propagatione* Iudæi *ſumus, ſub* Iudaiſmo *nati, non autem illi peccatores, qui ex* Gentilibus *con-*

uertuntur. Nequaquam *ergo illi ſunt inducendi ad legem*, *qui ub lege non ſunt nati*, *quam nos quoq; audemus tranſgredi*, *qui ſub lege nati ſumus*. *Cum igitur credamus firmiter*, *quòd ex operibus legis nemo poteſt uere coràm* Deo *iuſtificari*, *ſed tantum per fidem in Chriſtum*:Iccirco *etiã nos* Iudæi, *in Chriſtum credimus*,*ut per fidem conſequamur*, *quod ex legis obſeruantia conſequi non potuimus*, *nempe iuſtificationem*. Itaq;, *ex operibus legis nemo hominum iuſtificari poterit*. Alioqui *ſi nos ex hoc peccatores inuenti ſumus*, *quòd lege prætermiſſa quærimus iuſtificari in ſola fide Chriſti*:*conſequitur*, *Chriſtum peccati illius miniſtrum nobis eſſe*. Nam *eius doctrina eiuſq; amore*, *fiducialiter legem prætermittentes*, *ipſius gratiæ ſoli inhæremus*. Non *poteſt autem fieri*, *ut Chriſtus nobis peccati fuerit miniſter ſiue author*, *aut in peccatum ipſe nos cõiecerit*. Nam *ſi nunc quæran reparare* (*exemplo uel prædicatione*) *legis obſeruantiam*, *quam iampridem & reliqui & deſtruxi* (*tam uerbo prædicationis*, *q̃ exemplo conuerſationis*)*aperte meipſum peccati priſtini reum arguo*. Nam *ſi obſeruari eam oportet*,*ergo peccatũ erat dimittere*.Ego *enim per legis nouæ aduentum*,*legi ueteri ſubtractus ſum*: *ut deinceps uiuam in gratia* Dei,*et ex ea uitã quæran*. *Cum Chriſto ſum concrucifixus*, *configuratus ſimilitudini mortis eius*: *ut amplius non uiuam operibus priſtinis*. Viuo *autem iam nõ ſecundum carnem ego*, *ut olim*:*uiuit autem in me Chriſtus*, *per gratiam ſuam in me inhabitans*. Vita *autem iſta*, *qua nunc adhuc in corpore conſtitutus uiuo*, *per fidem eſt*, *qua credo in filium* Dei, *qui dilexit me*, *& tradidit ſeipſum pro mea ſalute*. Hanc *autem gratiam ultro mihi oblatam*, *nequaquam uolo abijcere*: *ſed per fidem*, *modis omnibus accepto*. *Qui autẽ in lege quærunt iuſtificari*, *hanc gratiam abijciunt*. Nam *ſi per legem credis poſſe iuſtitiã*

prouenire, Chriſti paßionem & mortem facis inanem. Quorſum enim opus morte filij Dei, ſi perfectam iuſtificationem, ac per conſequens ſalutem, conferre potuiſſet lex Moyſi?

CAPVT TERTIVM.

Cogit me dolor lapſus ueſtri, ad increpationem uerba conuertere. O ſine intellectu inſenſati Galatæ, quis uos decepit & ſeduxit, ut non permaneatis in ea quam uos edocui ueritate? Quibus Chriſtus Ieſus, quaſi ante oculos præſcriptus eſt ac deliniatus, & tam aperte in uobis prædicatus, ac ſi uobis ſpectantibus ipſe fuiſſet crucifixus. Tam clare enim cuncta uobis fidei myſteria nota feci, ac ſi oculis ueſtris cuncta præſentes cõſpexiſſetis. Nunc igitur, uel unum hoc quod uos interrogo, reſpondete. Spiritum ſanctum, & eius dona quæ nuper accepiſtis, an ex legis obſeruatione recepiſtis an ex fide, quam nobis prædicantibus audiſtis? Certum eſt, quod ex fide eorum quæ à nobis audiſtis, ſpiritum eſtis conſecuti. Quæ igitur eſt hæc dementia, ut nunc uelitis in carnali legis obſeruantia proficere atque perfici, qui à ſpiritu & fidei gratia cœpiſtis? Dolendum eſt, tantarũ paßionum, quas pro Chriſto ſuſtinuiſtis ab infidelibus, fructu uos priuari, ab Euangelij libertate, ad legis ſeruitutẽ tranſeuntes: Niſi forte pœnitentiam agentes, rurſum conuertamini, ad libertatem Euangelij. Sic enim ſperandum eſſet, non ſine fructu uos paſſos fuiſſe. Rurſus igitur interrogo uos: Qui tribuit uobis ſpiritum ſanctum Deus, qui & operatur ſigna & uirtutes inter uos: putatis eum hæc uobis præſtare, propter legis obſeruantiam, an ex hoc, quod auditis à nobis, fidem habetis? Conſtat ſanè, quia per fidem, & non ex legis obſeruatione, quam tum nec noueratis. Quemadmodum & ſcriptura de Abraham teſtatur, quod fides (qua Deo credidit, quæ ſupra naturã erant promittenti) fuit ei à Deo reputata ad iuſtitiam, antequã unquam

quam lex illa ſcripta data fuiſſet. Vnde cognoſcitur atq; colligitur, illos eſſe uere filios Abrahæ, qui illius fidem imitantur, ſimiliter Deo credentes, ut ille credidit. Prænoſcens autē & prouide conſiderans ſpiritus ſanctus, author ſcripturæ, quòd gentes aliquādo iuſtificaturus eēt Deus ex fide, prædixit Abrahæ per promiſsionem, multo antequàm lex daretur: quod in ipſo benedicendæ eſſent omnes gentes, eadem nimirum ratione, & modo eodem, quibus ipſe benedictus fuit à domino: hoc eſt, ex fide non ex operibus legis. Itaq; qui fideles ſunt, ſic benedicentur, ut Abraham benedictus eſt: nempe per fidem, & non ex operibus legis. Nam quomodo benedictio ex legis eſſet operibus, quæ potius maledictionis eſt occaſio? Qui enim ſub lege ſeruiunt, maledictioni ſunt obnoxij: quæ difficillime euaditur, propter nimiam difficultatem legis, et multiplicationem nimiā præceptorum, ſine auxilio gratiæ. Scriptum eſt enim in lege Moyſi, Maledictus omnis, qui non obſeruauerit cuncta quæ in libro legis ſunt deſcripta. Cum igitur ex lege nemo iuſtificetur uera iuſtitia, coràm Deo: cōſequitur, fidem eſſe quæ iuſtum coràm Deo iuſtificat, & ſpiritu uiuere facit. Lex autem uetus, de fide, aut de credendo principaliter non præcipit, ſed magis de operando: Ita ut qui ea quæ in lege ſcripta ſunt fecerit, à morte ſeruetur corporali, qua tranſgreſſores puniuntur. Chriſtus nos expediuit & liberauit, de maledictionibus legis, per hoc quod pro nobis ipſe factus eſt uelut maledictū, ſic æſtimatus ab omnibus hominibus. Nam & lex ſcribit, maledictum eſſe omnem qui fuerit ut malefactor in cruce ſuſpenſus: ut conſtet Chriſtum factum maledictum, omnium æſtimatione, quoniam cruci tanquam malefactor fuit affixus. Factus eſt inquam, Chriſtus pro nobis maledictus, de maledicto legis nos redimens, ut benedictio Abrahæ repromiſſa, & ſemini eius, compleretur non in

Iudæis ſolum,ſed etiam in omnibus gentibus,per Ieſum *Chri-ſtum:ut nos pollicitationem illam ſpiritualem acciperemus cre dendo in Chriſtum,quam carnales* Iudæi,*ſecundum literam ſi-bi ſolis factam putabant.* Fratres,*ex humanis rebus argumen-tum ego ſumam,ad confirmandum quæ dico.* Tametſi *non niſi hominis ſit teſtamentum , modo ſit confirmatum , nemo illud audet infringere,aut contrariũ aliquid ſuperordinare.* Abrahæ *autẽ* Deus *dedit pro teſtamẽto,ꝓmiſsiones iureiurãdo cõfirma tas,& in ſemine eius adimplẽdas.* Nõ *dixit:*Et *in ſeminibus be nedicentur oẽs gentes quaſi ꝑ plures ex ſemine* Abrahæ, *uentu ra eẽt ſpiritus benedictio,ſed ſingulariter dixit,*In *ſemine tuo, qđ ſemen intelligitur eſſe* Chriſtus. Hoc *aũt (teſtamẽtũ inquã, ꝓmiſsionis huius,cõfirmatũ à* Deo *per iuſiurãdũ) illa lex quæ poſterior data eſt filijs* Iſrael, *poſt quadringentos & triginta annos à promiſsione facta* Abrahæ, *non potuit euacuare :* Ita *ut per hanc legẽ ſuperinductam, obliteraretur promiſsio ante facta,& iuramento confirmata.*Nam *ſi hæreditas promiſſa ex legis obſeruatione,uelut ex debito accipitur: ergo non libera-liter ex promiſsione.*Nunc *autem* Abrahæ Deus *hæreditatem per promiſsionem dedit,non per legem.*Pugnant *enim hæc ad inuicem ex lege,& ex promiſſione.* Quoniã *quod ex lege, ex debito eſt:quod aũt ex promiſsione ex liberalitate ſola ſpecta-tur.*Quorſum *igitur opus erat lege,aut quid ipſa confert?*Pro-*pter tranſgreſsiones grauiores per minas & terrores compri mendas,uelut interpoſita eſt, pro tempore intermedio duratu ra.*Donec *ueniret ſemen,in quo promiſsio implenda erat, ordi nata quidem & diſpoſita,angelorum miniſterio,in monte* Sina *in manu tamen,& poteſtate mediatoris,qui eſt* Chriſtus, *ut in manu ac poteſtate eius foret legem euacuare , perficere autem ſuo aduentu.* Hic *autem mediator* Chriſtus , *non eſt unius me-*

diator:ſed inter duos populos, qui ante per legis parietem erãt diuiſi, & per mediatoris aduentum ſunt (pariete legis ſublato) in unum cõpacti: quia Deus *unus eſt propter quod, filius* Dei *duos populos in unum coniunxit. Quorũ enim* Deus *unus eſt, non conuenit eos diuiſos eſſe. Quid ergo? An dicimus nos, legem deſtruere promiſsiones* Dei? *Abſit, ut hoc dicamus. Et quidem ſi talis eſſet lex data, quæ poſſet uere coràm* Deo *iuſtificare, uere ex lege eſſet iuſtitia, atq; ita per eam impleretur* Dei *promiſsio: ſed ita non eſt, immo cõcluſit* Deus *legis occaſione, omnes ſub peccato, et maledictioni obnoxios omnes coarguit: eo quòd plurima lex præciperet grauia, ad quæ implenda, nullam inſuper contulit gratiã adiuuantem. Hoc autem* Deus *ideo diſpoſuit, ut deſperantes ſe ex lege non poſſe ſaluari, ad fidẽ recurrentes, quærerent ex ea promiſsionem accipere. Id eſt, iuſtificationem conſequi, & ſalutem. Prius autem quàm fides in palàm ueniret, ſeruabamur ſub lege, à grauioribus malis: uelut pueri ſub diſciplina conſtricti, ut eſſemus præparati in aduentu fidei, ad eam ſuſcipiendam. Non ſolum ergo lex non fuit contra promiſſa* Dei, *ſed etiam adiuuamentum contulit, quantum ex ſe erat, quaſi præparauit ſuos, ad ea conſequenda. Erat enim* Iud*æis uelut pædagogus, cuſtodiens & comprimens eos, donec ueniret ex fide, perfecta iuſtitia, atq; libertas. Sed nunc poſtquam fides ipſa reuelata eſt, non amplius ſumus ſub illo legis pædagogo. Omnes enim eſtis nunc (accepto ſpiritu ſancto) filij* Dei *effecti, per fidem, in libertate & amore, in Chriſto* Ieſu. *Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſto configurati & conformes facti eſtis, & Chriſtum in uobis accepiſtis.* Non *eſt diſtinctio inter Iudæum & Gentilem, ſeruũ & liberum, maſculum & fœminam. Quoniam omnes in Chriſto unum ſunt, unum, inquam, corpus, & una* Eccleſia. *Chriſto*

couniti, per ſpiritum ſanctum. Si autem uos unum eſtis cum Chriſto, & in Chriſto: ergo eſtis Abrahæ ſemen, & ueri eſtis hæredes Abrahæ, de quibus promiſsionem accepit, quiq; eius promiſsionem hæreditabitis.

CAPVT QVARTVM.

Ad *præcedentium autem maiorem declarationem, propono uobis hæredis ſimilitudinem: qui dum paruulus eſt, per omnia uiuit ut ſeruus, ſine libertate propriæ uoluntatis, & ſub timore atq; cuſtodia, cum ſit tamen uere dominus omnium rerum ſuarū ſed uiuit ſubiectus tutoribus, quibus eſt curæ eius educatio, eiusq; in moribus directio, & actoribus ſiue diſpenſatoribus; qui adminiſtrationem habent rerum illius, uſque ad tempus à patre, in teſtamento uel aliàs, præſtitutū. Ad eundem modum, & nos Iudæi, cum eſſemus paruuli tempore ueteris legis, eramus ſpe temporalis præmij & pœnarum timore, ſeruorū more ſeruientes, ſub legis traditionibus, quæ ſunt uelut elementa: id eſt, rudimenta minima, & nihil perfectionis per ſe habentia: elementa, inquam, mundi huius, id eſt, corporalia & ſecularia quoniam lex uetus tota uerſabatur circa purificationes carnis, & ſacrificia corporalia, de ſpirituali purificatiōe nihil agens. At uero, poſtquam impletum eſt tēpus à patre ab æterno præordinatum, ut in eo liberaret genus humanum: tunc miſit pater filium ſuum, quem cæterorum more uoluit naſci ex fœmina, & ſub legis ſeruitute conſtituere, natum ex Iudæorum populo, ut eos qui ſub legis iugo premebantur, hac uia ipſe de ſeruitute redimeret, & pro ſeruis legis, filios Dei ſecūdum adoptionem efficeret. Et quia uos Deus efficere uoluit filios ſuos, miſit ſpiritum filij ſui (id eſt, eundem quo ille non ad menſuram plenus fuit, & quem ſuis fidelibus ipſe promiſit, et qui à filio procedit) in ſpiritum noſtrum qui nos faceret clamare cū fiducia,*

Abba, quod eſt pater. Iam *igitur quiſquis credit, non ultrà eſt ſeruus, ſed filius per adoptionem, ac perinde & hæres* Dei *patris, per Chriſtum, per quē adoptionem hanc conſecuti ſumus. Sed olim quidem antequam reuelata eſſet fides, uos* Gentiles *ſeruiebatis idolis, quæ non natura aut ueritate, ſed ſolo nomine & opinione dij habentur, idq́; propter ignorantiæ ueſtræ cæcitatem.* Nunc *uero cum cognoueritis* Deum, *nec poßitis ignorantiæ uelamen prætendere, immo cum ſitis ipſi cogniti, & ſingulariter reſpecti à domino: quomodo rurſus conuertimini ad legales iſtas & corporales obſeruantias, nec ualentes, nec ſufficientes iuſtitiam aut ſalutem conferre, quibus nunc uelut de nouo uos ſubijcitis, quemadmodū olim idololatriæ, cum nunquā eas obſeruaueritis?* Iam *dies obſeruatis, feſtos à reliquis diſcernentes, & menſes, & annos, & tempora, ſecundum legis præſcriptiones obſeruatis.* Timeo *de uobis, ne forte fructus laboris mei pereat, quem impendi in uobis inſtruēdis, niſi reſipiſcatis.* Fruſtra *enim laboraſſe me reputo, ſi uos ad ſalutem, quod ſemper laboraui, non adduco.* Eſtote *uos ſimiles mei, in* Euangelij *libertate uiuentes; quoniam & ego propter uos; factus ſum ſimilis ueſtri, legem non obſeruans, ut ipſo exemplo meo, docerem omnes libertatem* Euangelij. Fratres *mei dilectißimi, non ego hæc uelut exacerbatus paßionibus loquor, ſed ex compaßiōe nimia, propter charitatem, obſecrans dico.* Nihil *enim me læſiſtis, ut erga uos debeā ex mea parte, eſſe exacerbatus, ſed uobiſipſis nocuiſtis plurimum.* Ipſi *autē ſcitis, quod nuper prædicauerim uobis* Euangelium, *in multa humilitate & perſecutione corporali.* Nec *tamen ob tentationem hanc ueſtram, qua de mea abiectiōe corporali tentari merito potuiſſetis, meā prædicationem ſpreuiſtis aut abieciſtis: ſed ſicut angelum* Dei, *immo ſicut Chriſtum ipſum, cum maximo honore & attentio*

rię ſumma, me excepiſtis. Vbi uero nunc iſta præclara initia, ex quibus ſecundum ſpem beatos uos reputabamus? Illud *enim te ſtificor de uobis quod ob ſummum noſtri amorem etiam ſi ocu los ueſtros potuiſſetis eruere, dediſſetis utiq; mihi: id eſt, nulli rei uel chariſsimæ, noſtri gratia parcere uoluiſſetis.* Nequaquã *igitur me inimicũ uobis factũ puto, ex eo quòd ueritatẽ obiurgans aperte propono.* Forſitan *& hi qui circuncìſionem prædicant, zelo erga uos afficiuntur. Quòd ſi uos æmulantur, conſtat quia non recte æmulantur: quia non ſecundum ſcientiam, & contra* Euangelij *ueſtramq; libertatem. Sed excludere uos uolunt à ueritate* Euangelij, *ut uos diſcipulos habeant in ſeruitute legis, ſuarum obſeruantiarum ſectatores.* Vos *autem id qđ uere bonum eſt ſectemini, & tenere ſtudeatis ſemper, non ad tempus tantum, quandiu præſens ſum apud uos: ut à bono nunquam recedatis, & in eo ſemper permaneatis. Semel uos ego per* Euangelium *in* Chriſto *genui, filioli mei, quos tenerrime diligo, & nunc iterũ in uiſceribus geſto, uelut denuo parturiens, in* Chriſto *uos iterum gignere cupiens, donec efficiam, ut rurſus* Chriſtus *habitet in uobis, cuius formam perdidiſtis, quando à uirtute* Euangelij, *ad legis obſeruantias, declinaſtis.* Optarem *ſanè ad tempus aliquantum præſens eſſe apud uos, ut poſſim cõmutata uoce, ſecundum affectionem cordis mei (quæ uerbis efficacius q̃ literis exprimitur) nunc increpare, nunc exhortari, nũc inſtruere.* Neſcio *enim affectum meum, quo uos amo, ueſtramq; ſalutem deſidero, anguſtijs literarum harum concludere.* Idq; *optarem, ſi fieri poſſet, quoniam cõfundor in uobis, dum quales non ſperabam, uos inuenio, & qualia à uobis expectabamus, minime præſtatis.* Qui *igitur uultis eſſe ſub lege, reſpondete mihi:* Legem *non legiſtis? Si enim legiſtis, notum uobis eſſe credo de duobus* Abrahæ *filijs, quorum alterum de an*

cilla Agar, alterum de libera uxore Sara, ſuſcepit. Sed ancillæ filius, ſecundum carnem, id eſt. ſecundū naturalem ſeminis uirtutem, naturalemq; propagationem, ſine ullo miraculo aut promiſſione, natus eſt: Filius autem liberæ, non ſecundum communem naturalis propagationis curſum, neq; ſolitam ſeminis efficaciam, ſed ſpeciali miraculo, per repromiſſionem eſt natus. Sunt autem hæc allegorice intelligenda, & ad nouæ Eccleſiæ myſteria, conformanda. Significantur enim in his teſtamenta duo, & duæ eccleſiæ, nempe uetus teſtamētum, ac uetus Iudæorum ſynagoga, & nouum teſtamētum cum noua eccleſia. Vnū quidem teſtamentum in monte Sina datum eſt, quod ſeruire facit Iudæos, & Synagogam habet ſeruituti ſubiectam. Atq; hāc ueterem legem, & ſynagogā quæ in lege generat ſeruos, Agar ſignificat. Nam Sina eſt mons in Arabia, qui cognatus eſt, & ſimilitudine quadā coniunctus illi ciuitati, quæ nunc eſt in Hieruſalē, quæ ſeruit ſub lege ueteri, & omnes inhabitatores eius. Nā hæc eſt cōiunctio inter montē Sina et Hieruſalē (in qua ſeruit ſynagoga) qđ ſicut lex ſeruitutis in mōte Sina data eſt primū, ita eius obſeruatio & ſeruitus, in ipſa Hieruſalē uiget. Illa autē altera Hieruſalē noua Eccleſia Chriſti, quæ p fidē eſt furſum, & ſupra legis ſeruitutē libertate ſupereminens, eſt mater nr̄a, p legē nouā (in qua fundata eſt) nos in libertate generans: & hæc, per Saram liberam ſignificatur. Nā de huius Eccleſiæ nouæ glorioſa libertate, ſcripſit multo ante Eſaias, Eccleſiam in ſpiritu nouam alloquens hiſce ſermonibus: Lætare, inquit, ô Eccleſia Gentium, quæ olim ſterilis uocatata, non pariebas filios Deo, Erumpe in gaudium, & clama in gratiarum actione, quæ olim Deo populum nō acquirebas. Quoniam tu quæ deſerta reputabaris, multo plures filios Deo gignes, quàm illa uetus ſynagoga, quæ legem habebat, cui erat deſponſata. Nos au-

tem fratres, omnes filij Abrahæ ſumus, de quibus ipſe promiſ=ſionem accepit, et nos eius promißionem ſimiliter accepimus, filij Abrahæ exiſtentes ad ſimilitudinem Iſaac: non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum & promißionem. Neq; mirum uobis uideatur, ſi nunc noſtram libertatem perſequãtur Iudæi, qui et iam tunc Iſmael carnaliter de ancilla genitus, perſeque=batur, & affligebat moleſtijs Iſaac, miraculoſe ex promißone genitum. Conſolatur autem nos, quod ſcriptura in his pueris præſignauit, quando uoce Saræ, & domini confirmantis, iuſ=ſus eſt eijci filius ancillæ, cum matre ſua: Id eſt Iudæus cum Sy=nagoga matre ſua, ut hæreditatem non habeat filius ancillæ cũ filio liberæ: hoc eſt, carnalis Iudæus cum fideli. Itaq; fratres, nos Abrahæ quidem filij ſumus, non tamen de ancilla, ſed de libera liberi nati: ea, inquam, libertate qua Chriſtus per mor tem ſuam liberauit.

CAPVT QVINTVM.

Quemadmodum igitur Chriſtus uos redemit à ſeruitute, ita ſtate, neq; rurſum ſinatis uos ſeruitutis iugo onerari. Ecce ego Pau=lus, Chriſti miniſter & ueſter Apoſtolus denuncio uobis, quòd ſi fiduciam habentes in legis carnali obſeruantia, circunciſionẽ ſuſcipiatis, Chriſtianæ fidei meritum non habetis. Conteſtor iterum omnem hominem qui ſe circuncidi curat, tanquam rem ſaluti neceſſariam, quòd debitorem ſe conſtituit uniuerſæ legis implendæ. Qua enim conſcientia ſe aſtrictum putat circunci=ſioni, quæ eſt cæterorum legalium ianua, eadem cogitur & ad reliqua legis obſeruanda. Fructum perdidiſtis quem in Chriſto habebatis, quicunq; in legalibus iuſtificari quæritis, & à gratia Dei excidiſtis. Nos enim fideles Chriſti expectamus, & ſpe=ramus iuſtitiam conſequi ex fide, per ſpiritũ, nõ ex carnalibus iſtis legis obſeruantijs. Nã per Chriſtum Ieſum factum eſt, ut

nec Iudaiſmus nec Gentilitas quicquam ualeat ad ueram iuſtitiam atque ſalutem: ſed fides ſola, per dilectionem uiuificata, atque operans per eam: Ipſa eſt quæ ualet ad iuſtitiam ueram, & ſalutem. Nuper cum à uobis abſcederem, bona fide recte ambulabatis. Quis nunc ſeductor aut inuidus, curſum ueſtrum bonum impediuit, ut nunc ueritati ſitis facti inobedientes? Rogo uos, nemini fidem habeatis, qui uos docet aliter quàm edocti eſtis. Perſuaſio iſta à quocunque tandem ſuggeratur, non eſt à Deo qui uos uocauit. Quomodo enim à Deo foret, cum Deus uos ad libertatem uocauerit, iſti autem ad ſeruitutem uos cogant? Modicum fermenti uniuerſam maſſam fermentat. Atq; ita uel paululum falſæ doctrinæ ſuſceptæ, fidem totam corrumpit acidãq; facit, ut Deo non placeat: & paucorum inter uos peruerſitas omnes uos, omnẽq; ueſtrã eccleſiã, quærit fermentare, prauiſq; dogmatibus corrumpere: Ego autem confido in domino, quòd uos quidem (quantum ad maiorem partem ueſtrum) ad mentem redeuntes, nihil aliud in finem q̃ ueritas habet ſapietis, nec aliud q̃ edocti eſtis, tenebitis. Cæterum, pauci illi corruptæ doctrinæ homines, qui huius conturbationis, falſa prædicatione ſua, ſunt authores, quicunq; tandem illi fuerint, non euadent impuniti: ſed iudicium damnationis æternæ accipient, niſi agant pœnitentiam. Ego autem, fratres mei, ſi circunciſionẽ atq; cætera legis, adhuc uellem prædicare, non mihi opus eſſet tantas perſecutiones ſuſtinere, quarum plurimas à Iudæis perfero, & pertuli. Et ſi illam tantum prædicare uelim ceſſabit apud Iudæos omne ſcandalũ, et omnis offenſio qua nunc offenduntur cruci Chriſti, eo quòd prædicamus, per ipſam circunciſionem cæteraſq; legis obſeruantias, ſublatas eſſe. Vtinam abſcindantur à ueſtra Eccleſia, qui uos ſubuertunt à libertate ad ſeruitutem traducentes. Vos enim fra-

tres, in libertatem eſtis à Deo uocati, neq; ullis uobis obſeruan tijs carnalibus legis eſt opus. Tantum uidete, ne hac libertate abutentes, ſub eius prætextu, ſerui efficiamini ueſtrorũ carnalium deſideriorum: ſed per charitatẽ ſpiritus, ſubditi eſtote & ſeruite inuicẽ, facientes alijs quæ uelitis uobis fieri, in operibus fraternæ dilectionis, uoſipſos diligenter exercentes. Sũma enim omnium eorũ quæ lex erga proximũ præcepit, in unius uerbi illius obſeruãtia impletur, Diligẽs proximũ tuũ, ſicut teipſum. Quòd ſi detractionibus inuicem mordetis, et apertis inuidentiæ rixis inuicem uelut comeditis: periculum eſt ne mutuis hiſce odijs conſumpti, etiam pereatis. Secundum Chriſti autem præcepta et doctrinam loquens, moneo uos, ut legalibus obſeruantijs dimiſſis, ſecundũ ſpirituſſancti inſtinctum atque ducatum, uitam inſtituatis. Ita fiet, ut carnalia deſideria non compleatis, quæ ſpiritui aduerſantur. Carnalis enim appetitus, uoluntati ſpiritus (quæ naturaliter ad bonũ deprecatur, & multo magis per gratiam dei adiuta) contrariatur in appetendo: & ſpiritus ſimiliter deſideria carnis concupiſcentijs ſunt contraria. Caro enim, praua quæq; ex ſua peruerſitate ab infantia appetit: Spiritus uero humanus, potiſſimum ſpiritu diuino adiutus, ad optima magis ſolicitat. Hæc enim duo ſibijnuicem in appetendo contraria aduerſantur, atque inuicem obſiſtunt. Vnde fit, ut nõ quæcunq; uolumus ſecundum ſpiritus deſiderium, ſtatim opere impleamus: quoniam aduerſatur ſpiritus deſiderio, carnalis concupiſcentia, quæ bonum uolunatatis deſiderium non raro impedit. Quòd ſi ſpirituſſancti ducatum ſequimini, carnalibus cõcupiſcentijs rite ſubactis, iam ſub legis nullius ſeruitute ultra continemini: quoniam ſupra legem facti, etiam quæ legis ſunt, non propter timorem pœnæ, ſed propria uoluntate libere peragitis, neque lex iuſtis eſt poſita. Quoniam autem ab operibus

carnis dixi cauendum, ecce in manifeſto ſunt: uidelicet fornicatio quælibet in genere, immundicia, quantum ad cōcubitus ſingularem fœditatem habentes, impudicitia quantum ad tactus impudicos & molles aut ſimilia, & in generali quælibet luxuriæ turpitudo, idolorum ſeruitus, ueneficiorum uſus, inimicitiæ in corde, contentiones in ore, æmulationes, p eiſdem aſſequendis honoribus, iræ interius, exterius rixæ, diſſenſiones in occulto, ſectæ ac diuiſiones in publico, inuidiæ de aliorum bonis, homicidia, ebrietates, commeſſationes, in quibus obſcœnis cantilenis uacatur, hisq; ſimilia: de quibus & prædixi olim præſens, & dico nunc antequam in iudicium & condemnationem incidatis, quod qui talia agunt, ſpem non habent conſequendi regni cœleſtis, donec in his aut horum ullo permaneant, & pœnitentiam non egerint. Fructus autem qui in ſpiritu ſancto oriuntur, ſunt charitas, omnium radix, gaudium internum ex Dei præſentia conſurgens, pax cordis ex conſcientiæ ſerenitate ac libertate procedens patientia ad tolerandā aduerſa quælibet occurrentia, longanimitas in ſuſtinēdo promiſſa Dei, bonitas ſiue dulcedo cordis, benignitas in ſupportādis ſine amaritudine aliorum defectibus, manſuetudo quæ eſt lenitas in uerbis & conuerſatione erga proximos, fides, fiduciaq; excellens, quæ montes transferat, modeſtia in omnibus modū ponens, licitis & conceſſis, continentia à carnalibus deſiderijs, et caſtitas ne coitus fiat abuſus. Cōtra huiuſmodi, nō data eſt lex, quoniā hæc lege non prohibentur. Immo ad hæc, tendit omnis lex. Neq; ulla eſt lex, quæ contra iſtarum rerum obſeruatores quicquam loquitur. Qui autem Chriſti ſunt membra, & uere Chriſtiani eſſe uolunt, his omne ſtudium eſt, ut per ſpiritum carnem crucifigentes mortificent, ut peccato non uiuant: ſimul & uitia omnia atq; deſideria mala, ad quæ ſemper eſt prona

caro, quantum in ipſis eſt, exterminent.

CAPVT SEXTVM.

Itaque, ſi in nobis eſt ſpirituſſanctus, & ſi ſpiritu ipſo uiuimus, operemur & opera ſpiritus. Non ſimus uanæ gloriæ dediti, neque inuicem ad iram aut rixas prouocantes, neque inuidiam geramus in pectore. Fratres mei, de infirmorum ſalute ſolicitus moneo uos, ſi per fragilitatem aut ignorantiam contingat quempiam incidere in aliquod peccatum, quod ſanari poßit, cæteri ſpiritualiores & robuſtiores curam habeant, ut collapſum bonis monitionibus erigant, in ſpiritu dulcedinis & manſuetudinis: ita ut conſideret unuſquiſq; ſemetipſum, quoniã & ipſe labi poteſt in deteriora. Mutuas infirmitates tolerate, & uoſinuicem in uia Dei adiuuate, & ſic per omnia adimplebitis legem Chriſti, quæ in charitate ſola perficitur. Nã ſiquis ſibi perſuadet, ſe magnũ aliquid eſſe, ob hoc cæteros infirmos deſpiciens, cũ uere nihil ſit ante Deum qui ſibi placet, ſeipſum hic in errorem mittit, quia ſibi blanditur, & perſuadet quod non eſt. Opus autem ſuum examinet unuſquiſque, & ſic habebit gloriam tantum in ſeipſo & ijs quæ in ſe comperit: non autem alterius comparatione, qui forſitan uidetur imperfectior: quemadmodum ſolẽt homines iactabundi ſeipſos magnificare, conſideratione aliorum, qui inferiores uidentur in uirtutibus. Vnuſquiſq; enim ſuum accipiet iudicium, & pro ſuis operibus mercedem. Cõmunicet autem is qui inſtruitur uerbo prædicationis, inſtructori ſuo, de omnibus bonis ſuis, quæ ſunt ad ſuſtentationem doctoris neceſſaria. Nemo uero ſeipſum uanis perſuaſionibus erronee illudat. Deum nemo poteſt fallere, qui ſecundum ueritatem nouit & iudicat omnia. Quæcunq; enim unuſquiſq; nunc fuerit operatus in hoc tempore, de his in futuro accipiet remunerationem. Quoniam qui in carne ſemi-

nant, ea quæ carnis ſunt perficientes, & ſecundum carnem ambulantes, ex carne nihil niſi perditionem reportabunt. Qui autem in ſpiritu ſeminat, quæ ſpiritus ſunt operando ſtudioſe, pro remuneratione accipiet uitam, & eam ſempiternam. Neminem uero tædeat laboris aut expectationis, ut tædio quis fractus, à bene cœptis, corpore reſolutus deſiſtat. Non enim fatigari, corpore, aut ceſſare nos conuenit ab operibus bonis, quoniam cum aduenerit tempus remunerationis, ſine fine accipiemus bonarum operationum retributionem. Et quoniam iuxta ſeminationem erit meßis, rogo uos fratres mei, ut dum tempus iſtud habemus, in quo bene operari licet, operemur bonum, & bene conuerſemur erga omnes homines, ubicunq; detur occaſio, quoniam Deus eſt omnium hominum Dominus: Peculiariter tamen erga fideles, qui ſunt per fidem domeſtici noſtri & Dei, nempe ad eandem Eccleſiam nobiſcum pertinentes, exiſtentes de domo & familia Dei. Videte, quemadmodum in literis his, propriæ manus teſtimoniũ inſcripſerim: partim ut charitatis noſtræ efficacius habeatis teſtimoniũ, partim ut à pſeudoapoſtolis ſeductoribus, noſtras literas diſcernatis. Quicunq; enim uolunt hominibus placere, & in carne gloriari, hi ſunt qui uos faciunt circuncidi, ob hoc tantum ut perſecutionem non patiantur crucis Chriſti, quam pati timerent, ſi circunciſionẽ euacuarent: ſicut & ego patior, quia crucis Chriſti gloriam & libertatẽ prædico. Nã neq; ipſi circunciſi, qui uobis circunciſionẽ prædicant, legẽ obſeruant. Vnde patet eos ſatis ſcire, ꝙ. nõ ſit neceſſaria legis obſeruatio. Volunt tamẽ uos in circunciſionẽ inducere, ut gloriẽtur in carnali ueſtra circũciſione, tanꝗ magiſtri ueſtri. A me autẽ procul ſit oĩs huiuſmodi gloriatio. Nolo enim ĩ aliquo gloriari, niſi ĩ uirtute crucis et mortis Chriſti, in qua ſola, ſalus perfecta eſt humano generi, ꝑ quẽ Chriſtũ

crucifixum, mundus totus mihi mortuus eſt, & ego mundo ſum mortuus: eo quòd nihil prorſus eorum quæ habet mūdus, aut me poßit oblectare, aut ego queam concupiſcere, qui propter crucifixi amorem, in nullo alio præterquàm in ipſo, poſſum oblectari. Vt enim Chriſto Ieſu placeas, illiq; acceptus fias, & ſalutis eius particeps efficiaris, nihil confert circūciſum eſſe carne aut incircunciſum, ſed ſpiritualis per fidem regeneratio in nouam creaturam, uetuſtate omni in baptiſmo depoſita, hæc ſola ad ſalutem Chriſti conducit. Et quicunq; hunc canonē propoſitum fuerint ſecuti, nempe gloriari in ſola Chriſti morte, et in regeneratione nouæ creaturæ: precor magnum Deum omnipotentem, ut requieſcat & maneat ſuper illos pax, & miſericordia, & ſuper omnem populū fidelem, qui credit in Deū. De cætero, nemo mihi ſit moleſtus, ut mihi ſuadeat circunciſionis aut legis prædicationem. Ego enim ſtigmata Chriſti, quaſi miles eius glorioſus, & cicatrices, in meo corpore porto, tanquam ſigna paßionum & uulnerum, quæ ob Chriſti amorem & prædicationem, ſuſcepi: in quibus glorior, dum recordor perſecutionem, quas pro crucis gloria, & Euangelica libertate ſuſtinui. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſit cum ſpiritu ueſtro fratres. Amen.

Finit Elucidatio in Epiſtolam ad Galatas beati Pauli Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM in Epiſtolam ad Epheſios beati Pauli Apoſtoli.

Quemadmodum ex Apoſtolorum actis diſcimus, multum apud Epheſios fructum in fide & negocio Chriſti, Paulus conquiſierat. Manſit nanq; apud eos biennium totum, quotidie diſputans in ſchola tyranni cuiuſdam: ubi & uirtutes non modicas

faciebat Deus *per manus* Pauli *ita ut etiam ſuper languidos delatis à corpore eius ſudarijs, ipſi ſanarentur: quando & corám omnibus allati ſunt combuſtiq; libri eorum qui curioſa fuerant ſectati, quorum pretium erat denariorum quinquaginta millium*. Et *omnino fortiter apud hos creſcebat uerbum* Dei, *& confirmabatur*. Ad *hos ergo de carcere ſcribit hanc epiſtolam, altiſsimis myſterijs & ſacramentis abditiſsimis refertam; iuxta id quod Corinthijs ſcripſerat. Sapientiam loquimur inter perfectos, ſapientiam* Dei *in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam nemo principum huius ſeculi cognouit. Vnde præ omnibus* Pauli *epiſtolis, ſublimibus intelligentijs & cœleſti ſapientia iſta eſt plenior, potiſsimum quãtum ad priora duo capitula.* In *quibus magnificentiam diuinorum beneficiorum, quæ nobis ab æterno quidem* Deus *donare diſpoſuit, ſed in hoc tempore gratiæ, ſecundum prouidam ſuam diſpenſationem, nunc primũ opere exhibuit, mirifice collaudat: pro eis & ipſe gratias agẽs & cæteros quibus ſcribit ſimiliter ad gratiarum actionem inuitans. Specialius autem, ſecundo capitulo, in memoriam eius reducit, quemadmodum à morte & ira* Dei, *per* Chriſtum *ſint liberati, & ad uitam reſtaurati,* Dei *ſolius munere, non ex ullis ipſorum præcedentibus meritis: eo quòd per ſolam gratiam & charitatem ſuam,* Chriſtus Dei *filius mortem pro nobis ſuſtinere uoluit, per quam totius humani generis redemptio perfecta creditur: per quam etiam inimicitiæ omnes & ſimultates, quæ inter* Iudæos *erãt atq;* Gentiles, *ſublatæ ſunt, ambobus populis in unam* Eccleſiam *(interfectis inimicitijs parieteq; ſublato) cõpoſitis, ad inuicemq; pacificatis, & ſimul* Deo *ĩ uno corpore reconciliatis:* Ita *ut per ipſum mediatorem, utriq; æqualẽ habeant ad* Deum *acceſſum, ſintq; amodo & ciues ſanctorum & domeſtici* Dei, *tam* Iudæi *quàm* Gẽtiles, *in uno ſummo an-*

gulari lapide Chriſto coædificati, in habitaculum Dei. Quorũ altiſsimorum myſteriorum, capite tertio, ſe miniſtrum dicens Apoſtolus & prædicatorem, eoſdem hortatur, ut à ſemel ſuſcepta fide, propter captiuitatis ſuæ uincula, non deficiant. Precatur etiam Deum, à quo omnis paternitas: ut illis det in finem cordis ſemper habere oculos illuminatos, ut in ijs quæ ſemel crediderunt, permaneant ſtabiles. Circa medium autem epiſtolæ, tertij capitis initio, ad moralia deſcendens, ut iuxta uocationem ſuam digne uiuant, obſecrando cõmoneſacit: potiſsimum autem, ut unitati & paci ſolicite ſtudeant: Nec ob gratiarum diuerſitatem, quas pro ſuo arbitrio Deus diſtribuit, ulla ſit diſſenſio. Huius autem occaſione, multiformia Dei dona in utilitatẽ Eccleſiæ collata, enumerat: quibus Eccleſiæ corpus ædificatur, creſcit, cõſumatur, atq; perficitur in Chriſto capite, per mutuũ membrorum miniſterium. Ac deinde, cum obteſtatione monet ad Chriſtum conuerſos, non conformari ijs, qui in fidelitate ſua omni immundiciæ, deſperati hominis, ſe tradiderunt: ſed ut ſpiritu renouentur, nouumq; induant hominem, ueteri depoſito, ad mendacij, iræ immoderatæ, furti, ſermonis mali, amaritudinis, indignationis, & aliorum eiuſmodi uitiorum deteſtationẽ, ſpecialius deſcendendo. Similia ferè quæ ad mores pertinent, Chriſti propoſito exemplo, uſque ad quinti capitis mediũ proſequitur. In quibus hoc eſt præcipuum eorum quæ admonet: ut tanquam lucis filij conuerſationem ſuam inſtituant, quo per eorum bonam conuerſationem tenebroſa infidelium opera redarguantur. A quinti autem capitis medio, uſque ad mediũ ſexti, præſcribit: primũ uxoribus, quomodo uiris ut Chriſto debeãt eſſe ſubiectæ, eo quòd caput mulieris ſit uir: ſimul & uiris, ut ſuas uxores tanquam corpora ſua diligant, quomodo & Chriſtus Eccleſiam opere & ueritate dilexit, ſacramentum quod in

coniunctione

coniunctione eſt uiri cum muliere (ad ſignificandum eam quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam coniunctionem) aperiens. Ini= *tio uero capituli ſexti filijs edicit, ut parentibus ex* Dei *manda to ſubiaceant: patresq́; uiciſsim monet, ne ad amaritudinem ani mi ſuos filios uane prouocent, ſed educationem, diſciplinam, et correptionẽ, eis pro ſuo officio præſtent.* Seruos, *dominis ſuis ut* Chriſto *ſeruire docet, qui illis reddet bonam & plenam, pro ſua ſeruitute bona, mercedem.* Dominos *ex aduerſo monet, qđ æquum eſt præſtare ſeruis: ſcientes, quòd ſuperiorem habeant dominum, qui ſine perſonæ acceptione, pro ſeruis faciet iudi= cium, ſi non ut æquum eſt illos tractauerunt.* Poſt *quæ, ad finẽ tendens epiſtolæ, eos iubet* Dei *armaturam induere, qua cõtra malignorum ſpirituũ impugnationes queant reſiſtere, Atq; ita adiunctis familiaribus quibuſdam, terminat* Epiſtolam.

Finit *Argumentum.*

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD *Epheſios beati* Pauli *Apoſtoli.*

CAPVT PRIMVM.

P*Aulus ſecundum uoluntatem* Dei *patris,* Apoſtolus Ieſu *Chriſti filij eius, ſcribit, ſa= lutemq́; dicit omnibus fidelibus qui ſunt* Epheſi, *atq; etiam omnibus qui credunt in* Chriſtum, *ubicunq; locorum cõſiſtant, aut cuiuſcunq; conditionis ſtatus'ue exiſtant.* Gratia *ſit uobis ſpiri tus ſancti, & uera pax cordis à* Deo *qui eſt pater noſter, & à domino* Ieſu *Chriſto.* Laudandus *atq; magnificandus cum gra= tiarum actione eſt dominus* Deus, *qui beneficentiam ſuam er= ga nos oſtendit in donatione ſpiritualium bonorum, quæ in cœ*

lo poſſidebimus, per Chriſtum Ieſum. Iuxta quod elegit nos pa ter ab æterno, in filio ſuo, antequàm iacerentur fundamenta or bis, id eſt ante creationem mundi. Elegit, inquam, ut eſſe= mus ſancti per fidem ueram, & immaculati in operibus bo= nis, in ueritate, coràm eo, idq́; in amore & libertate, non in timore atq; ſeruitute. Qui pater, præordinauit ab æterno fa= cere nos filios ſuos adoptiuos, per mediatorē Chriſtum, ut nos ſic unum faceret cum ipſo. Neque hoc ulla fecit, aut neceſſitate compulſus, aut utilitate inductus, ſed ſecūdum propoſitum be= nignæ uoluntatis ſuæ, ut laudaretur in nobis gloria & magnifi centia gratiæ ſuæ, per quam nos, qui ante eramus abominabiles & ſordidi honeſtauit, ornauit, gratosq́; fecit & amabiles, in di lecto filio ſuo: quem pro nobis cohoneſtandis fecit eſſe oppro brium hominum. Per quem filium redempti ſumus, à iugo le= gis, ſeruitute diaboli & peccati, per efficaciam ſanguinis eius. Quæ redemptio eſt remiſſio peccatorum noſtrorum, tam ori= ginalis quàm actualium, ſecundum copioſam & ſuperabundā= tem gratiam ſuam, quæ in nobis abundanter eſt multiplicata, in omni ſapientia cœleſtium myſteriorum, quæ ad fidem & ſpem noſtram pertinent, & in omni ſcientia agendorum: Ad hoc, ut nobis notum faceret illud occultum decretum atq; myſterium uoluntatis ſuæ, iuxta beneplacitum ſuum: quod ſacramentū uel beneplacitum, propoſuit in Chriſto filio ſuo diſpēſando imple re, plenitudine temporis adueniente, qđ ad hoc fuit ab æterno præordinatum: Sacramentū autē hoc & propoſitū, eſt inſtau= ratio & reparatio omnium, tam cœleſtium, quo ad numerum implendum ſaluandorum, quàm terreſtrium, in Chriſto Ieſu: In quo etiam nos peculiariter, nullis noſtris præcedentibus meri= tis, uelut ſorte à Deo uocati ſumus, ad fidem ipſius. Non ſic ta mē ſorte, quaſi nos Deus fortuito aut caſu uocauerit, ſed præ=

deſtinati ab æterno, ſecundum uoluntatē ipſius, qui omnia operatur ſecundum decretum ſuæ uoluntatis, ad eum finem, ut laudetur & magnificetur gloria eius, in nobis fidelibus, q in Chriſto præſperauimus, nōdum uiſis ijs quæ per ſpem expectamus in fide noſtra. In *quo ſperatis etiā uos, cū audiſſetis nobis prædicantibus uerbum ueritatis, nempe* Euāgelium *ſalutis ueſtræ, in quo, inquam, uos audiendo credentes etiam ſignati eſtis ſpiritu ſancto, qui eſt ſpiritus promiſsionis.* Nam *ſignum eſt, quo diſtinguuntur filij* Dei *à filijs diaboli: & eſt promiſsionis ſpiritus, quia à* Deo *olim per Prophetas, & etiam per Chriſtum Apoſtolis promiſſus.* Inſuper *etiam ipſe eſt, qui nobis promittit fidelibus cœleſtia bona. Qui ſpirituſſanctus eſt pignus & arrhabo futuræ hæreditatis, per quem acquiſitio (id eſt, populus fidelis, magno ſtudio, cura, & pretio acquiſitus) redimitur à mortis damnatione, ad uitam ſempiternam, ut ſic laudetur in nobis gloria eius in perpetuum, Quoniam ergo tanta de nobis* Deus *diſpoſuit, & tam mira nobiſcum ipſe perficit, propterea et ego* Apoſtolus *eius, audiens uos recte in Chriſtum credere, & dilectionem habere atq; oſtendere ad omnes fideles: inceſſanter gratias ago* Deo, *pro ueſtro iſto bono, quod in uobis ipſe incepit: orare non deſinens, ut ipſe* Deus *Chriſti* Ieſu *(ſecundum humanitatis infirmitatem, qua parte eſt minor) qui eſt pater à quo omnis gloria, det uobis, & amplius det, ſpiritum ſanctum, à quo eſt ſapientia & intelligentia: ut agnoſcere eum, prout dignum eſt, poſsitis, hoc eſt, ut det uobis habere oculos mentis illuminatos, lumine ſpirituſſancti: ut ſciatis quænam ſint & quanta, quæ ex uocatione ueſtra ſperare debeatis, & quàm abundans gloria eius ſit ſuperuentura ſanctis in die remunerationis eorum:* Et *ut intelligatis ſupereminentem, & mirabilem magnitudinem uirtutis eius, quam erga nos oſtendit qui credi-*

mus: dum nos de manu diaboli & omnium peccatorũ ereptos, tranſtulit, atque regenerauit. Nam *maior eſt uirtutis magnitudo, in unius peccatoris regeneratione, quàm in totius mũdi ſubſtantiali creatione, ſupereminentem, inquam, magnitudinem uirtutis eius. Quæ accipi & attẽdi debet: in opere illo ſummæ potentiæ atq; uirtutis eius, quod operatus eſt in* Chriſto *filio ſuo, dum illum à mortuis ſuſcitauit, & ad dexteram ſuam in omnibus ſibi coæqualem cõſtituit in cœlis, faciens eum altiorem omnibus ordinibus* Angelorum, *ſupra omnem ordinem principatuum, poteſtatum,* Dominationum, Virtutum, *& cæterorum, & ſupra omne quod eſt, aut nominari poteſt, tã in cœlis, quàm in terris.* Neq; *ſolum altiorem fecit omnibus, ſed etiam omnia ſubiecit eius imperio, dans illi omnem poteſtatem, in cœlo & in terra.* Inſuper *& ipſum, pater fecit caput totius eccleſiæ, tã militantis quàm triumphantis, quæ eccleſia eſt corpus ipſi capiti* Chriſto *cohærens, eodem ſpiritu uiuificata: & eſt plenitudo capitis* Chriſti *quatenus ipſa ut corpus,* Chriſto *capiti coniuncta, unum conſtituit corpus integrum cum ipſo. qui omnia adimplet & operatur in omnibus ſecundum uirtutem diuinitatis ſuæ, quiq; licet exiſtens omnia in omnibus, tamen dicto modo ſic adimpletur, ut unum corpus cum* Eccleſia *componat.*

CAPVT SECVNDVM.

Per *hanc autem* Chriſti *reſuſcitationem & glorificationem, uos quoq; cum* Chriſto *conreſuſcitauit & conuiuificauit, cum eſſetis per peccata ueſtra mortui. ſecũdum animam:* In *quibus peccatis olim conuerſabimini, ſecundum uanitates & uitia quæ in ſeculo (id eſt, mundo) regnant, ſecundum inſtinctus & uoluntatem diaboli, qui eſt princeps ac poteſtatẽ habens in hoc aere, in quo nos habitamus, ad poßidendum impios & exercitandũ iuſtos, ſpiritus ille, qui etiam nunc operatur in filijs diffidẽtiæ,*

hoc eſt, in incredulis & inobedientibus Deo, *hominibus.* Ipſe *enim huiuſmodi ſuadet ad malum, et operatur ac regnat in eis,* Quorum de numero, & nos eramus ante conuerſionem noſtram, conuerſantes ſecundum deſideria carnis noſtræ, facientes concupiſcentias carnis, & carnalium cogitationum. Eramus que quantum ad naturalem generationem atq; educationẽ obnoxij iræ & ultioni Dei, æque atq; cæteri. Sed quod natura non præſtitit, gratia Dei donauit. Deus enim qui eſt copioſus in miſericordia propter ſuperabundantem amorem noſtri, etiã tunc cum eſſemus in peccatis noſtris mortui, conuiuificauit nos Chriſto: cuius gratia & miſericordia, eſtis ſalui facti ab ira illa, cui natura eramus obnoxij, & conreſuſcitauit nos cũ Chriſto, & fecit ſimul reſidere in cœlis. Quoniam Chriſti reſurrectio, & glorificatio, operata eſt iuſtificationem reſurrectionẽ, & glorificationem noſtram. Nam quia ille præceßit, nos ſubſequimur, & in omnibus cum eo participamus: ut merito dicamur Chriſto conuiuificati, conreſuſcitati, & ſimul cũ eo in cœlis conſtituti. Fecit autem Deus pater hæc omnia nobis ꝑ Chriſtum, ut in uenturis ſeculis, demonſtraret copioſißimam gratiã ſuam, quam in nimia dulcedine & bonitate ſua, erga nos genus humanum, per ipſum & operatus eſt, & operabitur amplius. Gratuito enim munere, ſalutem hanc uobis operatus eſt Deus, quam ſalutem per fidem conſequimini. Atque hoc ipſum, quod ſcilicet ſic ſalui facti eſtis per Chriſtum, non ex ueſtris neq; patrum ueſtrorum meritis proceßit. Eſt enim gratuitum prorſus Dei donum, non propter cuiuſquam opera datum: ut ne quis glorietur, niſi in ſolo domino, cuius mera gratia eſt, quòd per fidem ſaluamur, ac proinde iuſtum eſt, illi ſoli gloriam de noſtra ſaluatione reddi. Ipſius enim Dei, per hanc regenerationem, ſumus noua creatura, ſpiritu regenerati, & uelut denuo

creati:non ut in ocio deinceps aut carne uiuanus, ſed ut inſiſta mus operibus bonis, quæ tamẽ ipſe nobis Deus, ab æterno præ ordinauit donare, ut in eis uiuanus, et ambulemus ſemper pro ficientes. Cum igitur tantam uobis gratiam Deus *contulerit, in memoriam ſubinde attentiſsimam reducite, quæſo, uocationem ueſtram. Quemadmodum uos* Gentiles, *qui ad ignominian uo cabamini præputiati & incircunciſi, à populo* Iudaico, *qui cir cunciſionem in carne ſua factam manu incidentis ſuſpiciebat: qui eratis tunc temporis nondum credentes in* Chriſtum, *alieni à conſortio, politia, & cõuerſatione* Iſraelitarum, *& hoſpites atq; aduenæ habebamini teſtamentorum, Iudæis à* Deo *diſpoſi torum, ſi ad ipſorum legem tranſire placuiſſet: et promiſsionis eis factæ ſpem nõ habebatis omnino, in ueſtra* Gentilitate *per manentes, niſi ad illorum ritum tranſiſſetis, & uelut ſerui ido lorum, à* Deo *uero alieniſsimi, in hoc mundo uiuentes eratis.* Nunc *autem in tempore gratiæ huius per* Chriſtum *factæ, ſunt immutata omnia.* Vos *enim qui olim eratis longe à* Deo, *acceſſum habetis per fidem, ad* Deum, *in ſanguine* Chriſti. Ipſe *enim eſt author pacis noſtræ ad* Deum, *qui utroſq; popu los, & à ſeinuicem, & à* Deo *prius diuiſos, in unum corpus unamq; eccleſiam cõuocauit: legem, quæ erat uelut murus atq; interſtitium, diuidens inter* Gentilem *populum: &* Iudaicum, *quæ inimicitias ponebat inter nos, in corporis ſui paſsione de ſtruens atq; diſsipans: legem illam difficilem mandatorum & operum, euacuans leuibus fidei dogmatibus, ut ſic ambos po pulos, in una lege fidei, in unam eccleſiam compactos, reconci liaret* Deo *patri.* Et *quia etiam inter* Deum *& genus humanũ uniuerſum, inimicitiæ peccatorum erant intermediæ, quæ nos prohibebant* Deo *appropinquare, etiam has inimicitias ſuſtu lit, in carne patiendo, mortemq; in cruce ſuſtinendo: & ueniẽs*

ad nos in aſſumpta carne, euangelizauit ipſe, atque Apoſtolos *euangelizare miſit pacem factam, &* Dei *cum hominibus, & hominum adinuicem: tam his qui propè uidebantur* Iudæis, *q̃ his qui longe erãt* Gentibus. *Iudæi enim propè erant, quia pro miſsionem acceperant: &* Gentiles *longe, quibus promiſſiones factæ non fuerant. Quoniã per* Chriſtum, *habemus ambo populi acceſſum, eo dem ſpiritu ductore, ad patrem. Ergo nõ amplius eſtis hoſpites, & extranei à populo* Dei: *ſed eſtis facti cõ ciues electorum, & de domo atq; familia* Dei *(quoniam pars bona eccleſiæ, eſt populus* Gentilium*) ſuperſtructi ſuper* Apo*ſtolorum & prophetarum fidem, quaſi ſuper firmum fundamentum. Eadem enim fuit fides prædicatioq;* Propheta*rum, quæ &* Apoſtolorum, *licet obſcurior. Eſt autem huius ædificij lapis ſummus angulos utriusq; parietis concludens,* Chriſtus: *In quo uelut totius ædificij ſtructuram continente, tota hæc ædificatio conſtruitur, & augmentum ſumit: ut fiat templum ſanctum, in quo inhabitet dominus.* In *quo ædificio, etiã uos ut lapides uiui coædificamini, ut conſtituatis eccleſiam ſanctam quæ eſt habitaculum* Dei. *Fitq; hæc coædificatio in ſpiritu ſancto: qui eſt huius ædificij glutinum, quo lapides lapidibus cohærent.*

CAPVT TERTIVM.

Ob huius igitur fidei nr̃æ tanta ſacramẽta: ego Paulus: *qui uinctus ſum cathenis captiuitatis meæ ob cõfeſsionem* Chriſti Ieſu, *pro ueſtra, hoc eſt, gentiũ, ſalute: non deficio in obuenientibus mihi tribulationibus, & ut uos ſimiliter non deficiatis peto. Credo enim uos audiſſe & cognouiſſe quemadmodum ſit mihi data diſpenſatio atq; prædicatio gratiæ* Dei *in* Gentibus, *per datam mihi* Apoſtolici *muneris commiſsionem. Quoniam* Deus *per reuelationem me edocuit totum fidei* Chriſtianæ *myſterium,*

quemadmodũ iam nunc paucis uerbis, illud deſcripſi: non utiq; quantum res ipſa exigeret, ſed iuxta ueſtram capacitatem, ut poßitis legentes intelligere prudentiam ac ſapientiam meam, qua ſum Dei *gratia ſufficienter inſtructus, in myſterio* Chriſtianæ *fidei.* Quod *quidem myſterium, in ſeculis præteritis non eſt ſic agnitum ab hominibus, quo modo nunc manifeſtatum eſt* Deo *aperte reuelante per ſpiritũ ſanctum* Apoſtolis *fidelibus, atque nouæ legis* Prophetis: Nimirum, *quòd eſſent* Gentiles *hoc tempore ſimul ex æquo cum populo* Dei *hæredes:* Immo *ad idem corpus conſtituendum pertinentes, & ſimul in eadem promißione participãtes, in* Chriſto Ieſu, *in quo hæc beneficia præſtita ſunt nobis, per fidem ſancti* Euangelij: *cuius me fecit* Deus *miniſtrum & prædicatorem, nõ ſecundum meorum meritorum exigentiam, ſed ſecundũ gratuitum donum quod dedit mihi (* Apoſtolatus *loquor officium) quod donum miraculoſa operatione potentiæ ſuæ mihi iniunxit, & in me confirmauit in uarijs ſignis.* Nam *cum ſim ex me omnium fideliũ infimus, omnino gratia ſit oportet prorſus gratis data, et ex nullis proueniens meritis creditum mihi officium iſtud, ut euangelizem in* Gentibus *imperueſtigabiles diuitias* Chriſti: *id eſt, copioſißimam abundantiam omnis boni, qua implentur & implebuntur omnes, qui credunt in eum, & ut inſtruam omnes quoſcunque dominus præordinauerit, quod ſit hoc ſacramentum exhibitũ nobis ac ſapienter diſpenſatum hoc tempore, quod fuit ab æterno abſconditum, latens, atque occultatum in prædeſtinatione* Dei *omnium creatoris.* Vt *nunc per eccleſiam iſtam, nota fiat multiplex illa* Dei *ſapientia: non ſolum hominibus, ſed etiam principatibus, ac poteſtatibus, & cæteris ordinibus* Angelorum, *in cœlis:* Innoteſcat, *inquam, nunc in hoc tempore, ſicut ab æterno præfinitum eſt, in* Chriſto Ieſu *domino noſtro,* Per

quem ſecurum acceſſum habemus, & liberum aditum ad patrem, per fidē eius, in bona ſpei confidentia. Propter hoc myſterium admirabile, obſecro, ne deijciamini animo ex tribulationibus meis, quas pro ueſtra ſalute ſuſtineo, in quibus potius gloriari debetis: gaudere enim debetis, cum me uidetis pro myſterio fidei, quod uobis prædicatum eſt, et uos creditis, nec uincula recuſare. Huius igitur tanti beneficij, tantiq; myſterij gratia, humili ſupplicatione deprecor patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt primus pater, & Dominus omniū: à quo omnis Præſidētia, Dominatio, atque generatio, ſiue quæ in cœlis eſt, ſiue quæ in terris, deriuatur atque deducitur. Nā quòd Angeli Angelis præſideant, quòd item homines progignant alius aliū, quòd inter creaturas cæteras aliæ ſint aliarum principia, uniuerſum à Deo eſt, Precor, inquam, flexis genibus cordis mei, ut det uobis ſecundum copioſam magnificentiam gloriæ ſuæ uirtutem ac fortitudinē, qua corroboremini per ſpiritum eius, in ſpiritu ueſtro. Det etiam, ut manſionem faciat Chriſtus per fidem uiuentem, in ſpiritu ueſtro: idq; uobis radicatis atq; firmatis in charitate. Fruſtra enim eſt fides, quæ non in charitate radices habuerit defixas. Det, inquam, Deus uobis hæc omnia, ut ſufficientes ſitis eius munere, per intellectum apprehendere & cognoſcere immenſitatem, & ſecundum omnem dimenſionem infinitatem eius: quæ ſit latitudo beneficiorum, longitudo promiſſorum, ſublimitas maieſtatis, & profunditas iudiciorū eius. Valeatis etiam ſcire charitatem Chriſti, longe præſtantiorem omni ſcientia, ut ſic impleamini perfecte in omnibus bonis Dei, Ei autē qui potens eſt & uolens, etiam ultra quàm petere uel deſiderare nos poſſumus, omnia petentibus præſtare, ſecundum uirtutem ſuam diuinam, quæ in nobis operatur: ipſi ſit gloria in eccleſia & ex eccleſia, quæ eſt corpus, & in Chriſto ca-

pite eius, per omnes generationes quæ fuerunt aut erunt in æternum. Amen.

CAPVT QVARTVM.

Cum itaq; tantis nos Deus *beneficijs ſit dignatus, obſecro uos ego* Paulus, *uinctus ob confeſſionem Chriſti: ut deinceps conuerſationem habeatis dignam uocatione iſta qua à* Deo *uocati eſtis. Idq́; in perfecta & omnimoda humilitate, in manſuetudine & animi lenitate, cum longanimitate: ut non frangamini, uel expectatione futurorum, uel præſentia aduerſorum: tolerantes uos inuicem in charitate, ſtudioſe curantes intertenere unitatem ſpiritualem, per pacem, quæ eſt uinculum ſpiritualis unionis.* Per *pacem enim ueram, eſt unio ſpiritualis, ſicut per diſcordiã eſt diuiſio:* Q*uomodo enim nõ ſtudebitis in unitate pacis permanere cum omnes ſitis unum corpus unum caput habentes Chriſtum, & unus ſit ſpiritus, quo omnes potati eſtis? Iuxta quod uocati eſtis ad eandem ſpem, eorũ quæ expectatis ex iſta uocatione ueſtra.* V*num habemus eundemq́; dominum, eandẽ fidem, idem baptiſma, propter quod, merito unitati ſtudere debemus. Inſuper unus eſt* Deus, *qui eſt pater omnium, ſupra omnes præſidentiam atq; dominium habens, per omnia gubernando tranſiens, & peculiari quadam familiaritate in nobis fidelibus ſuis inhabitans.* V*nicuiq; autẽ noſtrum gratiæ & dona* D*ei data ſunt, quantum, & ſicut Chriſto placuit nobis donare: ut diuerſitas gratiarum, non ſit iuſta cauſa diſsidij inter fideles eo quod ſecundum* Dei *uoluntatem, quiſq; accepit.In cuius confirmationem dicit ſcriptura: Aſcendens Chriſtus in altitudinem cœlorum, abſtulit à diabolo, quam detinebat captiuitatem, & ſecum adduxit uelut prædam glorioſam: mittensq́; de cœlo ſpiritum ſanctum hominibus fidelibus, uaria eius dona copioſe diſtribuit.In eo autem quod dicitur Chriſtus aſcendiſſe in altũ,*

ille qui præceßit includitur deſcenſus, in inferiores partes terræ, in quibus detinebatur captiuitas: id eſt, in lymbum inferni. N*am qui ad eos liberandos deſcendit per humilitatẽ, idem ipſe aſcendit eleuatus ſupra omnes angelorum ordines, & ſupra omnium cœlorum gloriã: ut ſic adimpleret omnia, inſtaurando deperdita, & in fine ſeculi conſummando uniuerſa.* Et *ipſe con ſtituit, quoſdam quidem* Apoſtolos, *eccleſiæ fundamenta: quoſdam autem* Prophetas, *qui ſpiritus reuelatione occulta nouerunt myſteria intelligere, & alios illuminare: alios uero, qui* Euangelij *diualgandi gratia circumeunt: alios qui ſint populo cuilibet prælati, ut eos paſcant & doceant, quibus præſunt.* Hos *autem* Deus *ſic diuerſis in officijs conſtituit ad perfectam eruditionem et ædificationem fidelium: ut operentur uelut miniſtri* Dei, *ad ædificandum et complendum* Eccleſiam Chriſti, *per ſuum miniſterium, donec euadamus omnes nos, quantum ad unitatem fidei & agnitionis domini noſtri* Ieſu Chriſti, *perfecte credentes, & plene edocti, in menſuram ætatis: hoc eſt, in iuſtam quantitatem & perfectionem plenitudinis Chriſtianæ fidei: hoc eſt, donec in Chriſtiana fide ſimus iam uiri, & perfectam ſtaturã habentes, inq; ea ſufficienter inſtructi.* Ita *inquam ſufficientes & perfecti, ut iam non amplius ſimus paruuli & hæſitantes in fide, facile nos permittentes propter inſtabilitatem, uanis perſuaſionibus falſæ doctrinæ, à ueritate abduci, per homines nequam & doloſos* Apoſtolos, *qui in aſtutia ad ſimplices ueniunt, ut circumueniendo atq; decipiendo, in errorem mittant.* Nos *autem omnia in ueritate agentes, in charitate radicati, creſcamus quotidianis profectibus, quãtum ad omnia uere bona, in illo, nẽpe Chriſto, qui eſt caput* Eccleſiæ, *ex quo totum corpus* Eccleſiæ *ſecundum ſuas partes compagmatum atque coniunctum, per omnem coniunctionem ſubminiſtratio-*

nis mutuæ, unoquoq; membro operante ſecundum menſuram gratiæ ſuæ ſibi datæ. Ipſum, *inquam*, totū Eccleſiæ corpus *(ratione diuerſarum partium diuerſa officia exercentium)* ſeipſum *ædificat, augmentum ſui facit, atque ſeipſum perficit: ſecundum uirtutem charitatis quā ex capite ſingula membra habent.* Nā *in* Eccleſia *militante nectuntur membra adinuicem, per hoc quod quiſque adminiſtrat in alterum gratiā ſibi à* Deo *datam, atque hoc pacto corpus* Eccleſiæ *perficitur.* Et *(quantum ex ſe eſt) corpus* Eccleſiæ, *ille quodammodo adiuuare ad perficiendum & conſtruendum recuſat, qui gratiam ſibi datam ad ædificationem conferre renuit. Cum igitur ſic ſitis in Chriſto, in unum corpus compaginati: illud uobis denuncio, & p Chriſtum obteſtor, ne iam Chriſtiani facti, uiuatis* Gentilium *mores q ambulant in uanitate intellectus, habentes cor tenebris ignorantiæ obſcuratum, alieni facti per peccata ſua, à uita quæ ſecundum* Deum *eſt: idq; per ignorantiam ſuam, quam utiq; non paruam eſſe conſtat, neq; ſatis excuſabilem: quoniam à cordis cæcitate (id eſt, affectu indurato, & uoluntate obſtinata) procedit.* Nam *eſt ex paßione alia quædam ignorantia ad tempus, quæ facile remediabilis eſt. Qui poſtquam in profundum uenerint uitiorum, facti deſperati, ſine ullo remorſu aut doloris ſtimulo audacter quælibet mala perpetrantes, tradiderunt ſemetipſos ſine uerecundia, ſine freno, ſine retinaculo, in impudicitiam, in operationem cuiuslibet immunditiæ, ſimiliter & in auaritiam atq; iniuſtitiam.* Vos autem *Chriſtiani facti, non ita didiciſtis in Chriſto uiuere.* Nam *certo ſcio uos audiſſe oīa, & omnia edoctos eſſe, ſecundum ueritatem, quæ eſt in Chriſto* Ieſu. Nempe, *ut abijciatis ueterem hominem, qui eſt ſecundum priſtinam atq;* Gentilem *conuerſationem (id eſt uitia atq; peccata) qui uetus homo, per concupiſcentias carnales erroneas*

atq; rationi rectæ contrarias, accipit ſuæ corruptionis uetuſtatem. Abiecta autem uetuſtate, curate ut efficiamini noua creatura, per ſpiritum ſanctum regenerati, ſecundum ſpiritum internum, quem mentem etiam dicimus: & aſſumite hominem nouum (id eſt, uirtutes & opera bona) qui creatur ſecundum uoluntatem & præcepta Dei, & recta deſideria, in iuſtitia & ſanctitate, modo uera ſit hæc ſanctitas, et iuſtitia uera. Propter quod, abijcientes mendacium et iniuſtitiam omnem, loquimini, atq; operemini id quod uerum eſt et iuſtum, adinuicem. Sumus enim membra adinuicem hærentia, & adinuicem compoſita. Non debent autem membra ſibi mentiri, aut mutuo ſe fallere, ſed fideliter pro inuicem ſolicitudinem gerere. Si iraſci contingat, uel ratione dictante, uel carnis malitia præueniente, cauete ne permanens ſit ira, ſed mox extincta cadat, Ne detis diabolo locum ad uos ingrediendi, quod fit per iram diuturnam. Qui olim furabatur, iam non ſolum à furto abſtineat, ſed etiam laboret multo magis opere manuum honeſto, ut qui prius rapuit aliena, iam ex labore ſuo conquiſitis, & alijs poßit ſubuenire, qui penuriam patiuntur. Ne loquamini ſermonem corruptum aut prauum, ſed ſi ſermonem habetis bonum, quo poßint fideles ædificari, hunc loquimini, ut gratus ſit audientibus. Spiritualibus enim auditoribus, ſunt ingrati ſermones mali. Cauete autem, ne per peccata prædicta contriſtetis atq; effugetis ſpiritum ſanctum à Deo uobis datum, per quem eſtis ſignati in diẽ redemptionis: id eſt, in die iudicij, ut tunc redimamini à damnatione quæ ſuper eos ueniet, qui hoc ſignum non habent. Omnis amaritudo animi, & ira exurgens in pectore, indignatio in uultus immutatione & clamoroſa uociferatio: atq; omne conuitium apertum, ſiue maledicentia quæ ſolet poſt clamores & iras ſequi, prorſus euellatur à ueſtris animis, cũ omni malitia;

quæ in uobis eſt. Induite autem pro uitijs iſtis contrarias uirtutes, ut ſitis benigni animo & miſericordes, contra amaritudinem & iram & cætera: remittentes uobis inuicem, ſi contingat uos ad inuicem aliquid habere: ad exemplum Dei, qui per Chriſtum donauit & remiſit nobis uniuerſa noſtra debita, & per miſericordiam ſuam, placatus eſt nobis.

CAPVT QVINTVM.

Eſtote ergo Dei hac in parte tanquam optimi patris imitatores, ſicut filios decet: & proficientes uiuite in dilectione mutua ad exemplum Chriſti qui dilexit nos, id quod opere declarauit, quando tradidit ſeipſum pro nobis, in oblationem et hoſtiam, Deo patri modis omnibus gratiſsimam. Fornicatio autem & quælibet immundicia, aut auaritia: uel ipſo nomine uobis odio ſunt & abominationi habenda, quemadmodum ſanctos decet. Idem ſentio de fœditate qualibet in operatione, de colloquio ſtulto, atq; prauo, de omni ſcurrilitate, quærente præter honeſtatem & decorum inordinate riſum excutere, quæ prorſus ad nihil ſunt utilia, ſed magis audiatur inter uos & uigeat gratiarum actio. Qui enim in gratiarum actione ſeſe occupauerint, facile ſtultiloquia & cætera uitabunt. Illud enim intelligendum eſt uobis atq; ſciendum, quòd omnis fornicator, aut quomodolibet immundus aut auarus (quòd auarum eſſe ad idololatriam pertinet, quòd ambo colant aurum & argentum) non habebit hæreditatem in regno celorum, quod eſt regnum Chriſti filij & Dei patris. Ne ſinatis uos fallacibus ac mendacibus uerbis ſeduci, quoniam ſic uere res habet ut dixi. hæc enim quæ enarraui, peccata ſunt, quibus homines increduli, inobediētiæ filij, Dei iram contra ſe prouocant. Quamobrem, nolite effici ſimiles illis, neq; participare cum operibus eorum: ne ſimilis quoq; uos pœna nunc maneat, & ſuo tempore inueniat. Eratis enim

olim ante conuerſionem, infidelitatis tenebris oppreßi, ſed nũc per Dei *gratiam & noſtram prædicationem facti fideles, illuminati eſtis in domino.* Conuerſatione igitur ueſtra exprimite, *quòd filij lucis ſitis: ſicut illi, ex operibus demonſtrant ſe filios eſſe tenebrarũ.* Fructus *enim fidei noſtræ, quæ eſt in nobis lux uera, conſiſtit in perfecta bonitate, iuſtitia, & ueritate in omnibus actionibus noſtris.* Ambulate, *inquam, ut filij lucis, probantes opere quid ſit* Deo *beneplacitum, ut illud adimpleatis ſtudioſe.* Neq; *ullo pacto communicetis cum illis infidelitatis operibus, quæ nullum ſalutis faciunt fructum: idq; nec imitatione, nec conſenſu.* Immo *uero potius, ubi erit opportunitas, reprehendere debetis illorum praua opera.* Fuerit *autem hoc factu facile, quoniã mala quæ in occulto ab ipſis fiunt, adeo ſunt fœda, ut pudor ſit uel nominare.* Atq; *tanto facilius cõfundentur, cum fuerint per uos correpti, ſuper huiuſcemodi.* Decet *autem uos, cum fideles ſitis infidelium opera redarguere.* Nam *omnia quæ arguuntur, etiam ſi ante latebant, per lumen fiunt manifeſta dum arguuntur.* Nam *id quod primo & per ſe manifeſtatur, lumen eſt: eo quòd nihil uideri nec manifeſtum fieri poteſt, niſi in lumine.* Vos *autem eſtis lux in domino, ut merito debeat per uos fieri eorũ qui ſunt in tenebris correptio.* Propter *quòd loquitur nunc dominus per* Apoſtolorum *miniſterium ad eos qui in infidelitate iacent demerſi, dicẽs: Surge qui dormis, in infidelitatis ſomno, & exurge qui eras in peccatis mortuus, & perfecte illuminabit te* Chriſtus, *per gratiam fidei & ſpiritus ſui.* Itaq; *fratres diligenter conſiderate, quomodo prudenter conuerſemini.* Non *iam quaſi ſtolidi (ut olim) & inſipientes, ſed ut prudentes, diſcernentes inter proſequenda ac fugienda.* Curantes *omni ſtudio, tempus quod ih commune omnibus proponitur, utiliter expendere atq; conſeruare, ne pereat, quo=*

niam tempora plena ſunt malitia. Quo *amplius nos oportet cautos eſſe, & conſideranter atq; prudenter inter tot mala uerſari, ut ab iſtorum dierum malitia, poßimus eſſe immunes.* Propter *hoc non debetis ultra uiuere ſine intellectu inſipictes, ſed eſtote intelligentes, quæ ſit uoluntas* Dei *ut impleatis illam.* Et *quoniam gula multorũ malorũ eſt origo, principio uobis cauẽdum, ne aut uino, aut alio quolibet liquore grauiori, inebriamini, quoniam ad luxuriam, uia eſt ebrietas.* Magis *autem ſtudete ebrij eſſe & pleni ſpiritu ſancto, loquentes uobis inuicem, atq; etiam uobiſipſis, in* Pſalmis, & Hymnis, & *canticis ſpirituali bus, laudantes* Deum *& patrem omnium in cordibus ueſtris, ſemper ſoliciti gratias agere domino, de omnibus bonis in omnes collatis, per nomen domini noſtri* Ieſu *Chriſti, in cuius nomine donantur omnia. Subditi eſtote inuicem, per charitatem, & timorem* Chriſti. *Mulieres ſint uiris ſuis ſubditæ, quaſi domino.* Nam *domini eſt hoc inſtitutum, ut uir ſit caput mulieris, & dominetur ei, regatq; illam.* Quemadmodum *Chriſtus eſt caput totius* Eccleſiæ, *ut corporis ſui: cuius eſt idẽ ipſe rector, & ſaluator.* Itaque *quemadmodum* Eccleſia *eſt ſubdita Chriſto, ſic ſint uxores uiris ſuis ſubditæ & obedientes, in omnibus quæ ſecundum* Deum *ſunt.* Vos *autem uiri, ne efferamini ſuperbia, dum uobis uxores auditis ſubijci.* Magis *autẽ diligite uxores ueſtras, exemplo Chriſti, qui eccleſiã dilexit, ſicuti & opere comprobauit, in eo quòd ſeipſum dedit in mortem, pro ea ſanctificanda, mundans eam à ſordibus priſtinis baptiſmali lauacro, in uirtute uerbi, quod eſt uita omnium: ad hoc, ut eã cõſtitueret, faceretq; ſibi* Eccleſiam *glorioſam, uelut ſponſam ornatam multa gloria, quæ eſt in ornatu ſpiritualium gratiarum, non habentem ullam maculam aut inueteratam rugam: id eſt, prorſus decoram, non habentẽ aliquid apparentis maculæ, ſed*

ut eſſet

ut eſſet prorſus ſancta, & ſine omni macula, atq; irreprehenſibilis. Iuxta hoc Chriſti exemplum, *debent uiri uxoribus ſuis ipſo opere exhibere dilectionem, quemadmodũ ſuis corporibus.* Nam qui ſuam uxorem diligit, non extra ſe amorem fundit, ſed uxorem diligendo (quæ eſt quodãmodo corpus eius) *ſeipſum diligit.* Nemo enim *aduerſus proprium corpus odium exercet*, ex propoſito & finis intentione malum optans ſibijpſi: immo ecõtrario *nutrit* uuuſquiſque, & cura debita *curat corpus ſuũ, ſicut & dominus* Eccleſiæ omnem curam adhibuit: *propterea quòd ſimus ſinguli membra corporis eius*, quod eſt tota eccleſia, ex eadem ſecundum ſpeciem natura *oßis & carnis* compoſiti. Id quod olim in myſterio, ꝓphetico ſpiritu prædixit Adã: *Propter hoc* (inquit ille) quoniam de eadem carne & eiſdem oßibus ſunt uir & mulier, *relinquet homo* (ob matrimonij uinculum) *patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, per coniugalem ſocietatem, & *uelut duo in carnem unam* cõflabuntur, ad generationis ſufficiẽtiam, ad quam nec maſculus ſufficit per ſe, neq; fœmina. *Magnum* omnino *ſacramentum*, & occultum ſacrum aliquid deſignans *eſt*, hæc uiri cum muliere tam firma coniunctio. Magna eſt, inquam, non ipſa quidem in ſeſe, ſed in eo quòd ſignat, nempe in coniunctione Chriſti cum Eccleſia. Nam ſignum quidem ipſum, in ſe modica res eſt, coniunctio uiri corporalis cum muliere: ſed magnum eſt ad quod ſignandum Deus ipſum inſtituit, nempe coniunctio Chriſti capitis cũ corpore Eccleſia. Nibilominus, licet ad myſterium, coniugalem duxerim ſocietatem: uos tamen commonitos ſcitote per eadem, ut uiri uxores diligatis, quiſq; ſuã, ut quæ ſit propriũ ipſius corpus: & uxor, uirum ſuum reuereatur, tanquam inferior.

CAPVT SEXTVM.

Filij, obedientes eſtote parentibus ueſtris, ſicut domino, in ijs quæ

licita ſunt, & honeſta. Hoc *enim & naturæ ius, & ſcripta lex tanquam iuſtum poſtulat.* Honora *(inquit lex) patrem tuum, & matrem tuam: per reuerentiam & obedientiam, & neceſſariorum ſubuentionem, ſi erit opus.* Quod mandatum Deus *primum poſuit, inter ea quæ nos erga homines dirigunt, habēs peculiariter promiſsionem adiunctam, uitæ longitudinem, pro debito parentum obſequio.* Et *uos patres, cauete ne per moroſitatem atque aſperitatem, ſuperfluis obiurgationibus, ad iracundiam filios exaſperetis: ſed benigne enutrite illos, neceſſaria ſubminiſtrantes corpori: inſtruentes eos in diſciplina atque doctrina morum, addentes (cum opus erit) & ſeueriorem correptionem, ut diſcant ſciantq́; timere dominum.* Serui, Dominis *temporalibus, quibus eſtis iuſta ſeruitute ſubiecti, obedientiam præſtate, cum timore atq; tremore: id eſt, cum attentiſsima reuerentia, ut ſeruos decet, in ſimplicitate cordis ueſtri ſine omni duplicitate, ut* Chriſto *ſeruientes in homine.* Non *ad exteriorē ſpeciem tantum, ſatisfacientes hominibus, quaſi dominorum fauorem ſtudentes acquirere: ſed ut ſerui* Chriſti, *dominorū carnalium iuſſa, ut* Dei *uoluntatem ex animo perficiētes, cū promptitudine uoluntatis, quaſi* Deum *in ueſtro ſeruitio ante oculos habentes, non hominem.* Conſiderantes *quoniam* Deus *iudex eſt, qui uniuſcuiuſque opus in nouiſsimo remunerabit, ſine perſonarum acceptione.* Dominus *autem carnalis, iudex ſerui ſui tunc non erit, nec remunerationem illam ab eo ſpectare debet.* Et *uos domini, eadem erga illos benignitate, fidelitate, atq; iuſtitia utamini: cauentes ſuperfluis minis aut uerborum uexationibus animos illorum aggrauare, conſiderantes quòd idem ſit iudex in cœlis habitans, à quo dominus pariter atque ſeruus erunt æquali iuſtitia iudicandi, citra perſonarum acceptionem, quiſq; ſecundum opera ſua, nullo habito ad perſonæ dignitatē*

aut utilitatem reſpectu. Quod ſupereſt fratres, uolo uos corroborari & fortitudinem accipere in domino, & in eius potentiſsima uirtute. In Domino enim *faciemus uirtutem, & non in nobiſipſis. Armatos inſuper uos eſſe uelim ad pugnam, armatura non corporali, ſed diuina, ut aduerſus callidiſsimas oppugnationes diaboli, poſsitis perſtare immobiles ſine nocumento. Armaturam utique* Dei *nos oportet eſſe indutos, ob hoſtium cum quibus pugnamus qualitatem: quoniam non eſt nobis pugna aduerſus homines carne compactos & ſanguine: contra quos prodeſſet forſitan, carnem armis ferreis induere: ſed aduerſus turmas ſpirituum, nempe aduerſus eos qui principatum uſurpant, & poteſtatem huius mũdi, qui ſunt rectores & principes mundi, rectores, inquam, tenebrarum harum: id eſt, mundi huius, qui plenus eſt tenebris: aduerſus ſpiritus nequam, omni nequitia plenos, qui habitant in hoc caligноſo cœli aeriſq; loco. Cum ergo tales habeatis inuiſibiles, præpotentes: & ſpirituales hoſtes, nolite negligentes eſſe: ſed induite armaturam* Dei, *arma lucis, opera uirtutum, ut poſsitis in die oppugnationis atq; tentationis, reſiſtere pugnantibus: & ſic in omnibus ſtare perfecti, ut in nullo ſuccumbatis, conſenſum præbentes malignis ſuggeſtionibus.* Vigilanter *ergo erecti ad deum ſtate per ueritatem fidei atq; morum, mortificatis ſiue compreſsis concupiſcentijs & libidinibus carnalibus quæ in lumbis ſedem habent.* Induti *inſuper iuſtitiam pro lorica: & calciati pedibus, id eſt affectionibus à terra ſeparatis, atq; ad cœleſtia directis, ut ſitis præparati ad ambulandum uiam* Euangelij *pacis.* In *omnibus occurrentibus tentationibus, ſemper ſumentes ſcutum fidei: in quo facile eſt, quæuis quantumuis urentia iacula maligni excipere, & ut nihil noceant extinguere.* Et *galeam ſalutis aſſumite, ad capitis munimentum.* Nam *fides ipſa, ratione chari-*

tatis,uel ipſa charitas,caput Chriſtũ in nobis cuſtodit,ut nõ lædatur in nobis. Atq; *hæc ad defenſionẽ ab aduerſarijs dixi aſſumenda.* Nunc *autem,iubeo ad impugnandum aduerſarios, gladium ſpiritus uos aſſumere,quod eſt uerbum* Dei:*quo & diabolũ conſtat confodi,ad confuſionem propriam, & qui ſub eo detinentur in peccatis captiui liberantur,ad ueritatẽ tam uitæ, q̃ doctrinæ educti.*His *aũt oĩbus adiungenda eſt oĩs boni aſsidua petitio,& uehemens obſecratio:ut oretis omni tẽpore,ſpiritu magis quàm ſibilo linguæ,ad hoc ipſum cũ aſsidua quadã inſtantia & affectuoſa obſecratione uigilanter inſtãtes, pro oĩbus fidelibus & pro me apoſtolo ueſtro:ut det mihi dñs ſermonẽ bonũ & cõgruum,ad defenſionẽ fidei,in ſola apertione oris mei:ita ut per os meũ ipſe loquatur,& ſic audeam fiducialiter notum facere atq; ꝓfiteri myſteriũ* Euangelij, *et prædicationis meæ,pro cuius defenſione nũc legatione fungor ĩ iſtis uinculis: ita ut nõ puſillanimitate deterrear,ſed audacter loqui ualeam, prout ad* Dei *&* Chriſti *gloriã oportet.* Vt *aũt cætera quæ circa nos agũtur,& familiariora noſtra negotia, & q̃d nũc agã, & quo in ſtatu res noſtræ ſint exacte pernoſcere ualeatis: ecce* Tychicus *chariſsimus frater noſter & fidelis miniſter in dño, oĩa nouit,oĩa poterit uobis familiariter explicare.* Quẽ *ea cauſa nũc mitto ad uos,ut ex eo diſcatis quæ circa nos aguntur,& ut ipſe cõſoletur corda ueſtra.* Sit *pax uera oĩbus fidelibus, & charitas quæ eſt cũ fide à* Deo *patre oĩum noſtrũ, & dño* Ieſu Chriſto. Gratia Dei *cum oĩbus qui diligunt dñm noſtrũ* Ieſum Chriſtũ*, incorruptione fidei & morũ, incorruptam fidem mẽte,& incorruptam uitã moribus tenentes,& ſpem incorruptibilem ab eo non corruptibilia bona,expectantes.* Amen.

Finit Elucidatio in Epiſtolam ad Epheſios beati Pauli Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM in Epiſtolam ad Philippenſes beati Pauli Apoſtoli.

Philippenſes præ cæteris Eccleſijs, Paulo Apoſtolo ſuo, frequentius quæ erant illi neceſſaria ſubminiſtrabant, id quod tam ex huius Epiſtolæ nouiſſimo, q̄ ex eius quæ ad Corinthios poſterior ſcripta fuit, capitulo undecimo, euadit manifeſtum. Nā in fine huius Epiſtolæ, ſemel illos atq; iterum, Theſſalonicam miſiſſe ſibi neceſſaria, profitetur. Et illo in loco, apud Corinthios gloriatur, q, cū apud illos eſſet & egeret nulli oneroſus fuerit, eo quòd fratres qui ueniebant à Macedonia, ſuppleuiſſent qđ ſibi deerat. Vnde & nūc, per Epaphroditum, ad illū in carcere conſtitutū miſerant, quæ erant neceſſaria: p quē eis hanc reſcribit, cōmendatitiā & affectu charitatis plenā epiſtolam. In qua, primū de illorū bono profectu gratias agens, pro perſeuerantia, deinde & uirtutum augmēto, precatur Deum. Mox ad ea quæ circa ipſum aguntur, ad illorū cōſolationē tranſiens, dicit, oīa ad profectū Euangelij cedere: dū per ea quæ pro Chriſto perfert uincula, Chriſti nomen efficitur glorioſius, licet quidā exurgant ipſo in uinculis cōſtituto, qui Chriſtū non ſyncere prædicant, ſed propter inuidiam, captiuitati eius preſſuram ſuſcitare uolentes. Verū & hoc ipſum, Dei diſpenſatione, in fructum Euangelij ceſſurū confidit. Se quoq; ad utrumlibet, tā ad uitā dicit, q̄ ad mortē animo paratum, iuxta uoluntatē Dei, q̄q̄ ſe confidit ad diſcipulorū profectū, adhuc in carne (alioqui moleſta) permanſurum. Monet aūt eos, ut Euangelio digne uiuāt, utq; perſecutionibus (quas Deus pro magno dono ſuis electis frequēter immittit) nō frangantur, quibus ſint ad ſalutem peruenturi. Secūdo aūt capitulo, ad fidei unitatem eos obteſtando hortatur, ut id ipſum ſapiant, abſque contentionibus, & omni ſuperbia. Exemplo quoq; Chriſti, qui cum in forma Dei eſſet,

propter nos exinaniuit ſemetipſum, ipſos quoq; ad humilitatis charitatis, ac miſericordiæ hortatur affectum, ad obedientiam quoq; ſalutarem, tan in præſentia, q̃ in abſentia ſine murmurationibus exhibendam, ut tanq̃ luminaria luceant in medio nationis peruerſæ infidelium dicens ſe pro illorum ſalute libenter etiam immolari uelle, ſi dño placitum fuerit. Poſt hoc de Timotheo *ad eos breui mittendo, & Epaphrodito remiſſo, familiariter loquitur, cuius etiã infirmitatẽ narrat atq; cõualeſcentiã.* Tertio *autẽ capite, ſemper gaudere eos iubens, monet à circuncisionis prædicatoribus cauendũ, cũ nos qui per fidem* Deo *ſeruimus, uere ſimus in ſpiritu circunciſi, ante* Deum. Et *quoniã huiuſmodi plurimum ſolent gloriari, obiter* Paulus *ſe quoque (ſi uelit) cõtra poſſe gloriari, declarat: ſed ꝑpter* Chriſti *fidẽ, omnia eiuſmodi in quibus illi gloriantur, & in quibus etiã ipſe ſecundũ carnem poßit gloriari, ſe ait nihilifacere, ueluti ſtercora, & omnia detrimentum æſtimare, ut* Chriſtum *ſibi ſolum lucrifaciat.* Ad *cuius perfectionem, ſe nundum arbitratur, pertigiſſe: currit tamen, extentis in anteriora manibus, ut cõprehendat.* Ruſumq;, *ut ab ijs caueant falſis prædicatoribus, qui inimici ſunt* Crucis Chriſti, *& terrena ſapiunt, cõmonefacit.* In *quarto autem capitulo, ad moralem tranſit exhortationem, ut ſtabiles perſiſtant, idem ſapiant, ſe inuicem adiuuent, ſemper in domino gaudeant, modeſtiam ſuam omnibus innoteſcere faciant, & in pace* Dei *cuſtodiantur, & quæcunque bonitatis ſunt, ſtudioſe ſectentur.* Poſtremo *de acceptis per* Epaphroditum *muneribus, familiariter gratias agens,* Deum *illis remuneratorem precatus, ita claudit* Epiſtolam.

Finit Argumentum in Epiſtolam
ad Philippenſes.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD Philippenſes beati Pauli Apoſtoli.

CAPVT PRIMVM.

PAulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti: ſcribunt ſalutemq́; precantur omnibus credentibus in Chriſtum Ieſum, qui ſunt in Philippis ciuitate congregati, & ſingulariter preſbiteris atq; diaconis, qui ſunt inter ipſos. Gratia ſit uobis & pax, à Deo omnium noſtrum patre, & à domino noſtro Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo meo, quoties memor ſum ueſtri, id quod facio ſemper in orationibus, quas ſine intermiſsione facio pro uobis, quicunq; per noſtram prædicationem credidiſtis, cum gaudio ſpirituali & alacritate mentis, deprecando dominum pro ijs quæ adhuc uobis ſunt neceſſaria. Gratias, inquam, ago de hoc ꝙ participes facti ſitis Euangelij Chriſti, à prima die, ſtatim ut prædicationem noſtram audiſtis, credendo, & proficiendo & perſeuerando in eadem, uſque nunc: Confidens & ſperans quoniam ipſe qui dedit uobis boni operis initium, dabit & profectum, & conſummationem uſque in diem aduentus Chriſti, quemadmodũ merito & iure optimo debeo hoc de uobis ſperare atq; exiſtimare, eo qd' uos geſtem per nimium charitatis affectum in intimis cordis mei, etiam in uinculis iſtis non perdens ueſtri amorem, habens uos ad defenſionem & confirmationem Euangelij, pro cuius prædicatione ſum uinctus. Nam numeroſitas bonorum diſcipulorum, defendit, commendat, atq; confirmat doctrinam præceptoris. Habeo autem uos in corde, inq́; defenſione Euangelij, ut ſitis uos omnes, participes gaudij mei, quod & nunc habeo in ſpiritu, & plenius expecto in patria: Deus enim teſtis

eſt, quemadmodum & quantum, omnes uos cupiam iungere Chriſto Ieſu, *& in uiſcera eius traijcere.* Atq;, *hoc eſt, quod aſſidua oratione peto à domino, ut charitatẽ ueſtram faciat ſemper excreſcere, in plena ſpiritualium ac cœleſtium rerum ſcientia, & in exacto iudico, ueraq; intelligentia, ut dijudicetis, eligendo ſemper meliora: ut ſitis integri in omnibus uirtutibus, et ſine uitio, in diem aduentus* Chriſti *repleti operibus bonis, per* Ieſum *Chriſtum, qui dat omnia, in laudem & gloriam* Dei *patris. Illud autem uolo uos ſcire fratres mei (ne deijciamini in captiuitate mea) quòd ea quæ de me aguntur, id eſt, captiuitas & perſecutio iſta, uſqueadeo nihil officiunt gloriæ* Euangelij, *ut etiam multo magis cedant in profectum, & honorem, & diuulgationem eius, uſqueadeo ut fiant uincula mea quæ pro* Chriſto *patior, manifeſta in toto prætorio, & in omni loco, in quo narrantur, quæ hic circa me aguntur.* Vnde *fit, ut fidelium complures fiduciam accipientes ex uinculis meis in domino, plus etiam ſolito audeant uerbum* Dei *proloqui, ſine timore perſecutionum.* Ex eis *uero qui prædicant Chriſtum, ſunt quidam qui propter inuidiam qua mihi inuident, & malitioſam quandam contentionẽ, ut habeantur* Apoſtoli *ſicut & ego hoc faciunt. Alij uero ex recta & ſyncera uoluntate propter* Dei *gloriam. Iſti, inquam, ex amore, quorum erga* Deum, *tum erga* Euengelium, *tum erga nos afficiuntur, ſcientes me in defenſionem* Euangelij *conſtitutum à* Deo, *ſiue recluſum carcere à perſecutoribus: & quia mihi minus licet, ideo ipſi ardentius prædicant.* Quidã *autem (ut dixi) contentioſe & ad inuidiã Chriſtum annunciant, non ſyncera uoluntate: ſed ad illum finem, ut captiuitas mea aggrauetur, & me reddant odioſiorem.* Quid *autem mea, quo affectu hi prædicent?* Mihi *ſatis eſt, quòd annuncietur* Chriſti *prædicatio, quocunq; modo id fiat, ſiue per*

occaſionem & præter intentionem, propter alium finem quã propter Dei *gloriam, ſiue ex ueritate & ſynceritate affectus:* In *hoc ſemper gaudeo; & gaudere uolo, quòd ſiue ſic, ſiue ſic, tamen Chriſtus prædicatur.* Confido *enim, quoniam* Deo *diſponente, hoc ipſum mihi ad ſalutem proueniet per adiutorium orationum ueſtrarum, & ſuggeſtionem atque directionem ſpiritus* Ieſu Chriſti, *qui facit diligentibus* Deum *omnia in bonum cooperari: iuxta quod expecto & ſpero, in nullo me confuſum iri: ſed in pleniſsima fiducia, ſicut ſemper glorificatus eſt Chriſtus in corpore meo: ita & nunc (ſpero) glorificabitur, ſiue per uitam, ſiue per mortem.* Nam *mea quidem uita, Chriſtus eſt, & mortem ego pro lucro reputo: utpote per quam à pluribus malis redimor, & ad cœleſtia ſummeq; exoptata bona perueniam. Quòd ſi adhuc in corpore uiuere me uelit dominus, hoc mihi fructum bonorum operũ augmentabit:* Et *ſanè, utrum ex duobus eligere uelim, ipſe ignoro: cogor tamen ad alterum, habens quidem deſiderium moriendi ſecundum corpus, & ad Chriſtum migrandi, id quod mihi (quantum quidẽ ex mea parte) multo melius foret atq; gratius.* Attamen *ut in corporis uita adhuc permaneam, magis neceſſarium eſt, propter uos omnes qui per me credidiſtis* Deo. Et *hoc fiducialiter ſperans, credo quòd ſuperſtes permanebo, adhuc aliquantum tempus, donec placitum erit domino, omnibus uobis diſcipulis meis: hoc eſt ad ueſtrum maiorem profectum, & ut gaudeatis in fide ueſtra abundantius, utq; gaudium ueſtrum & exultatio ſit abundantior in Chriſto* Ieſu, *propter me & aduentum meũ, cum uenero ad reuiſendum uos, ſi ita domino uiſum fuerit.* Veruntamen *(quando certam omnino* Dei *uoluntatem, aut futurorum circa nos euentum, non plene cognoſcimus) quomodocunq; eueniat.* Vos *tantum curate, ut ſecundum formam* Euan-

gelij digne uiuatis, ut ego gaudeam in uobis, ſiue cum ipſe ue=nero & uidero, ſiue cum abſens in uinculis manens audiero, q. fortiter perſtatis in uno ſpiritu, unius animi, non diſcordes, pa=riter laborantes in fide Euangelica, ita ut perſeueretis & ope=remini in ea, & non deficiatis propter terrorem aduerſariorũ ueſtrorum. Quæ quidem aduerſatio atq; perſecutio, quam uo=bis inferunt: ipſis quidem inferentibus eſt cauſa æternæ damna tionis, uobis autem (Deo diſponẽte) occaſio erit ſalutis ueſtræ. Et hoc ipſum Dei munus eſt, Deiq; eſt hæc ordinatio. Quoniã uobis donatum eſt, non ſolum in Chriſtum credere ſed etiam, ut pro eius amore patiamini, quod eſt ſingulare munus, & non niſi electis amicis conceſſum. Idẽ enim certamen cũ infidelibus perſecutoribus habuiſtis, quale & olim uidiſtis de me, cũ apud uos eſſem, & uirgis cæſus in carcerẽ conijcerer, et nunc auditis iterum de me, quomodo uinctus ſum pro Chriſti nomine.

CAPVT SECVNDVM.

Nunc igitur, ſiqua eſt conſolatio quam mihi uultis impendere, ſi mihi ullum uultis ſolatium atq; refrigerium charitatis præſtare in tribulationibus iſtis, ſi ulla mihi ſpiritus ſocietate uultis con=iungi, ſi mihi uiſcera miſerationis oſtendere: non aliud à uobis poſtulo, niſi ut impleatis & perficiatis gaudium meum, quod de ueſtris bonis principijs iampridem concepi: hoc eſt, ut idem ſentiatis abſq; diſſenſionibus, habentes mutuam charitatem in inuicem, unius animi atq; affectus, in fidei negotio idem peni=tus ſentientes. Nihil agatis ex contentione ſiue ambitione, neq; ex uana gloria: ſed omnia agite in humilitate, tanq̃ ſubiecti in=uicem, proximos ſemper ut ſuperiores reuerentes: Non conſi=derantes ſinguli propria commoda tantum, aut quæ in uobiſ=ipſis ſunt bona, ſed magis etiam quæ aliorum. Sic enim & hu=militas fouetur, & charitas. Sit autem in uobis ille affectus pro

exemplo, quem & in Chriſto Ieſu comperimus: Qui cum eſſet eiuſdem cum Deo patre ſubſtantiæ, et eiuſdem naturæ: non uoluit tamen patris gloriam ſibi rapere quam in omnibus ſemper quæſiuit dum ſuper terram uiueret, propriam contemnendo, nec mundanis honoribus, tanquam patri æqualis honorari petijt ſuper terram. Cũ tamen gloriam omnem & omnem honorem iure optimo & merito, utiq; accipere potuiſſet, utpote filius patri conſubſtantialis et coæqualis per omnia. Propter noſtrum tamen ſalutis profectũ, & exemplum humilitatis nobis præbendum, humiliauit abiecitq; ſemetipſum, & obſcurauit obtexitq; omnem illam diuinitatis gloriam, aſſumendo ſeruilẽ ſpeciem carnis noſtræ ſecundum ueritatem aſſumptæ humanæ naturæ ſimilis factus hominibus: ſpecie, figura, atque diſpoſitione, per omnia, ut cæteri hominum, uiſus & conſpectus. Humiliauit ſeipſum, ex patris obedientia, uſq; ad mortẽ, & illam quidem ignominioſiſsimam, mortem crucis. Qua humilitate promeruit exaltari à patre, et donari ſibi, clarificari, atq; prædicari nomen diuinitatis, quod ſupergreditur omne nomen: Ita ut modo poſtquam eius diuinitas clarificata & manifeſtata eſt à patre, diuinum illi omnis creatura rationalis exhibeat honorem, & genuflexionem (id eſt reuerentiam & obediẽtiam) nomini eius. Omnis, inquam, creatura, ſiue cœleſtis illa fuerit ſiue ſuper terram, ſiue ſubtus terram: ideſt, angelica, humana, & diabolica: & omnis lingua confiteatur palàm, quod dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui tam uilis olim fuit reputatus, nunc in gloria reſidet patris ſui, eidem per omnia coæqualis. Itaq; chariſsimi mei, ſicut hactenus ſemper obedientes fuiſtis, nõ ſolum me præſente apud uos: Ita & nunc dum abſens ſum à uobis, multo magis obediẽtes eſtote, & omni ſolicitudine curate, opera ſalutis operari. Ecce enim Deum in hoc adiutorem habetis,

ſi non ſit defectus ex parte ueſtri. Nam Deus eſt *qui operatur intra uos, cooperante ueſtra uoluntate, ut uelitis bonum, & etiam ut perficiatis: id eſt, deſiderium operis boni, & ſimul ipſius operis conſummationem*. Idq; *facit* pro *ſuo benigno beneplacito, non ex ullo debito*. Omnia *autem opera ueſtra facite, non murmurando contra* Dei *iudicia, & non diffidendo de* Dei *auxilio, in omnibus quæ uobis obuenerint: ut inueniamini tales de quibus conqueri nemo iure poßit, & nullam duplicitatem habentes, ſed integri & ueraces, ſitisq; filij* Dei *irreprehenſibiles, & ſine crimine in medio infidelium, qui ſunt generatio praua, in omni malitia, & peruerſa, quoniam pro creatore creaturam peruerſi homines colunt*. Inter *quos lucere debetis uos fideles, ſicut luminaria ſuo lumine mundum illuſtrantia, ut ambulent in lumine ueſtro, & alliciantur ex claritate conuerſationis ueſtræ ad uiam bonam, etiam qui in tenebris ſunt: cuſtodientes in uobis, per fidem et obſeruationem operis, uerbum uitæ quod prædicauimus: unde erit mihi gloria, in die aduentus* Chriſti. Tunc *enim palàm fiet, quòd ſolicitudo mea diligentißima, & labores mei, non fuerint inanes, nec ſine fructu*. Iam *enim ego obtuli domino ſacrificium & oblationem acceptißimam, omnium ueſtrum fidem, omnes uos fideles efficiens*. Q*uòd ſi ſupra hanc oblationem, placuerit domino, ut etiam ego ipſe immoler, & fiam oblatio ei per mortem, nequaquam contriſtabor, ſed gaudeo propter meum lucrum, & omnibus uobis congratulor & congaudeo, quoniam uos ex hoc fructum capietis, & efficiemini in fide* Chriſti *& patientia, meo exemplo confirmati*. Et *uos quoque debetis in hoc gaudere propter bonum ueſtrum, & mecum gaudere, propter gloriam meam, ſiquidem ſic domino placuerit*. Spero *autem* (*ſi uoluntas do-*

mini ſuerit) me breui miſſurum ad uos Timotheum*, ut cum cognouero per eum, quæ apud uos aguntur, ſim animo bene conſolatus.* Hunc autem potiſsimum uolo mittere, quoniam *neminem apud me habeo, tam unius mecum propenſiq; ani= mi, in idem opus miniſtrij, qui ſic pro ſalute ueſtra ac cæte= rorum diſcipulorum zelat ex integro affectu ſpiritus, ſicut hic* Timotheus. *Nam plurimi ex ijs qui uidebantur magna fa= cturi, orta tribulatione mea diſcedentes, ſua priuata commo= da, gloriæ Chriſti præponunt. Eius autem fidem, uel hoc ſatis probat, quod ita collaborauit mihi in prædicando* Euan= *gelio, quemadmodum filius patri, promptiſsimus ad omnia, quæcunq; ei iniungo in negocio Chriſti:*Hunc igitur, *tam pro= batum & tam dignum Chriſti ſeruum, ſpero me ad uos miſſu= rum, mox ut cognouero certius aliquid, quid de me ſit futurũ. Confido autem (uolente domino) meipſum quoq; cito uentu= rum ad inuiſendum uos.* Ne*ceſſarium autem mihi fuit uiſum, ut remitterem ad uos* Epaphroditum *fratrem meum, & coopera torem in prædicatione* Euangelij*, & commiltonem meum in ſuſtinendis pariter aduerſis: ueſtrum autem* Apoſtolũ, & Epi= *ſcopum, per quẽ adminiſtraſtis mihi neceſſaria,* Quoniam *ipſe quidem omnes uos ſpiritu deſiderabat, & contriſtatus erat ex eo quòd audieratis illum infirmatum, metuens ne uos id gra= uius contriſtaret.* Neq; *falſum eſt, quod audieratis.* Nam & *in= firmatus eſt uſq; ad mortis periculum, ſed dominus pepercit ei.* Non *ſolum autem ei, ſed et mihi pepercit, ne me ſupra modum affligeret, & triſtitiam accumularet triſtitiæ.* Mox *autem ut ſa nitatem recuperaſſet, feſtinaui eum remittere ad uos, ut uiſo eo gaudium ueſtrum redintegretur, & ego ſim ſine triſtitia: quo= niam ueſtra triſtitia me contriſtat, & ueſtrum gaudium me læ= tificat.* Excipite *itaq; illum benigne & reuerenter, & qui tales*

ſunt habete in honore & reuerentia, obediendo eis: quoniam propter opus Chriſti.pietatis,& miſericordiæ, uel mortis ſe periculis obiectare nõ timuit,exponens periculo uitam ſuam, ut pro uobis oĩbus(quod per uoſipſos nõ poteratis abſentes) mihi obſequeretur atq; mininiſtraret in neceßitatibus meis.

CAPVT TERTIVM.

Cæterum fratres,moneo uos, ut ſemper in domino ſitis gaudẽtes. Eadem mihi ſcribere uobis, quæ & alijs ſcribo Eccleſijs, *aut quæ uobis aliàs ſcripſi,aut præſens aliàs docui:mihi quidẽ non eſt moleſtum, eo quod uobis cognoſcã eſſe utile & neceſſariũ. Attendite à canibus,qui ueſtram libertatem uolunt per inuidiã dirũpere, & conſiderate ſubdolos et infideles operarios* Pſeu= *dapoſtolos. Obſeruate circunciſos iſtos, docẽtes circunciſionẽ, ut ne acquieſcatis dogmatibus eorum.* Nos *enim ſumus uere populus circunciſus, ſpirituali circunciſione,qui ſpiritu ſerui= mus* Deo, *abſcindentes omnes carnis concupiſcentias, & glo= riamur atq; placemus nobis in fide* Chriſti Ieſu, *non habentes fiduciã neque complacentiam in carnalibus obſeruantijs, ſicut carnales faciunt* Iudæi. *Quanquam nihilominus etiam ego ha= beam unde poßim gloriari(ſi liberet)in ijs in quibus illi ſolent ſe iactare. Si quis enim alius uidetur ſibi glorioſus ex carnis propagatione,uel carnali legis obſeruatione,mihi forſitan ma= gis in his liceret gloriari,citra mendacium: qui ſum circunciſus legitime ſuo tempore,octaua die,nõ aduena, nec ex filijs pro= ſelytorũ,ſed ex ſemine* Iſrael,*de tribu non ignobili* Beniamin. Hebræus *ex* Hebræis *natus, ſecundũ legis quidẽ obſeruationẽ ſectæ* Phariſaicæ,*quæ erat alijs ſectis cõmendatior: quantũ ad æmulationem,adeo feruidus pro lege, ut perſequerer* Eccleſiã Chriſti,*quam nunc uere ſcio eſſe* Dei: *ſecundum iuſtitiam quæ ex lege haberi poterat,ita conuerſatus ut non poßit me quiſpiã*

arguere tranſgreſſæ legis. Sed quæ hactenus in Iudaiſmo, uelut magna & pretioſa ſtudui congregare, poſtquàm Chriſti ueritatem agnoui, reputaui ut impedimenta ueritatis percipiendæ. Qui enim inhæſerit umbræ, impeditur à contemplatione ueritatis. Immo uero omnia prorſus, ſiue legalia, ſiue terrena, ego exiſtimo impedimentum præſtare ueritati Euangelicæ, & uelut detrimenta abijcienda, propter illam præclaram fidem & cognitionem Chriſti Ieſu domini mei, & ſanctorum myſteriorum eius propter cuius amorem atq; fidem, omnia penitus reputaui impedimenta à lucro ſpirituali & uelut ſtercora nihili pendo ad ueram ſalutem conſequendam, ut Chriſtum mihi & eius iuſtitiam ueram lucrari ualeam: per fidem illius iuſtificatus, inueniar non habens iuſtitiam meam (hoc eſt ex meis operibus, in obſeruatione legis operatis) ſed eam iuſtitiam qua iuſtificatur homo per fidem Chriſti Ieſu, quæ iuſtitia ex Deo gratis nobis confertur, & gratis per eam iuſtificamur, in fide uiua, non ex operibus legis. Quæ fides hoc mihi præſtat, ut cognoſcam Chriſtum & uirtutem ac myſterium reſurrectionis eius, per quam nobis etiam credentibus, ſpem dat reſurgēdi: ut inſuper cognoſcam ſocietatem & cōmunionem, qua communicant credentes, merito paßionis eius. Vt inueniar, inquam, configuratus ſimilitudini mortis eius per ueteris uitæ omiſſionem, & nouitatem uitæ melioris, ut ſuo tempore Chriſto ad iudicium uenturo unà cum cæteris ſanctis ualeam in gaudio occurrere, & obuiam pergere à mortuis reſurgendo. Hæc autem dico, non quòd me putem iam accepiſſe, quod expecto, præmium reſurrectionis, aut uſqueadeo eſſe in configuratione mortis eius perfectum, ut uel cadere ab eo non poßim, uel ulterius non proficere: ſpem tamen habens bonam, tam ad brauium obtinendum quàm ad perfectionis conſecutio-

nem, uiriliter curro ſi quomodo comprehendam aliquando, & aſſequar quod quæro, quemadmodum olim me Chriſtus inſecutus eſt & comprehendit, quando pergenti ad perſecutionē membrorum ſuorum in luce & uirtute apparens, me ſibi captiuum abduxit, in ſeruitutem ſuam. Fratres *(aperte fateor)* li*cet* Apoſtolus *ſim, non tamen arbitror me comprehendiſſe, ſic quaſi de brauio iam certus aut ſummum perfectionis faſtigium conſecutus.* Vnum *autem iſtud eſt, ad quod laboro.* Nem*pe ut ea quæ retro ſunt (id eſt priores legis obſeruantias, item cuncta terrrena bona) nihili pendens, ad ea uero quæ anteriora ſunt (id eſt, potiora gratiæ & cœleſtia bona) meum deſiderium excitans, ſolicite, diligenter, atq; feruenter contendam ad ſcopum perfectionis, qui nobis eſt præfixus: atq; ita conſequenter, ſi illum attigerimus, ad brauium quod adeo deſuper proponitur, in uocatione noſtra, omnibus* Chriſti *fidelibus.* Quicũq; *ergo ueri & perfecti fideles eſſe uolumus, hoc nobis eſt ſentiēdum, nequis putet ſe in hac uita perfectum, aut penitus ſecurū.* Et *ſiquid aliud amplius ſapueritis, & hoc ex* Dei *uobis munere reuelatum agnoſcite.* V*eruntamen ad id ad qd' nunc peruenimus quodq; nobis iam reuelatione compertum eſt, neceſſe eſt ut quantum ad hanc partem, concordi ſimus ſententia, & neceſſe eſt ut in eodem permaneamus canone fidei, quem à* Deo *iam didicimus.* E*ſtote autem imitatores mei, & obſeruate* eos *ut ſint uobis in exemplum & imitationem, qui ambulant ſecũdum exemplum noſtrum, quod habetis cognitum, eo quòd uidiſtis meam conuerſationem inter uos.* Nec *id ſine cauſa admoneo, multi enim pſeudoapoſtoli paßim circumeunt, & obambulant, & conuerſantur, quos ſæpius denunciaui uobis, & etiam nunc cũ lachrymis denuncio eſſe inimicos* Crucis Chriſti: *quoniam & libertati quam illa peperit prædicando aduerſantur,*

& humilitatem

& humilitatem atq; auſteritatem & cõtinentiam quam illa docet, aſpernantur, contrario modo uiuentes: quorum finalis retributio, mortis æternæ damnatio erit, Qui omnia ad uentrem refirunt, & gulæ atq; luxuriæ ſeruiunt: & id quod ſibi gloriã reputant, erit in confuſionem ipſorum: qui affectu prorſus terreni ſunt, & terrena quærunt. Nos autẽ in cœlis cõuerſamur, dum non niſi cœleſtia quærimus & ſapimus. Atq; ob hoc fiducialiter expectamus aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, de cœleſtibus ad iudicium, ut ſit nobis ſaluator, qui immutabit corpus hoc uiliſsimum quod nunc nos gerimus aſsimilans id corpori ſuo glorioſo, per immortalitatis donum, ſecundum uirtutem & operationem illam diuinitatis, qua etiam poteſt ſibi omnia ſubijcere. Nam per uirtutem diuinitatis fecit ut Chriſto homini poſt iudicium ſint plenè ſubiecta oĩa, tam cœleſtia q̃ terreſtria.

CAPVT IIII.

Proinde fratres mei, quos & ſumme charos, & ſumme habeo in Chriſto deſideratos, in quibus gaudeo, & pro quibus mercedem expecto æternæ retributionis, ſic ſtate (precor) ut decet eos qui tantam ſpem habent in fide & operibus Deo dignis. Vos quoq; ô Euodia & Syntyche nominatim deprecor, ut idẽ ſapiatis in fide Chriſti, ſicut oportet. Et te rogo mi Germane collaborator, qui tam ingenue in negocio Chriſti mihi cooperaris, ut adiuues illas ſi habuerint in ulla re tuo auxilio opus, quæ laborauerunt mecum in negocio Euangelij, cum Clemente & cæteris coadiutoribus meis, quorum nomina Deus ad ſalutem, in ſua æterna prædeſtinatione (ut ſpero) deſcripſit. Gaudete ſemper in domino ſpirituali gaudio: & rurſus (ut magis inculcem) repeto, ut gaudere ſtudeatis. Veſtra modeſta, & benigna, & manſueta conuerſatio luceat corám omnibus hominibus etiam infidelibus, ſcientes, quoniam dominus propè eſt, ut

conſpiciat, atq; ut iudicet cōuerſationem noſtram. Pro nulla re temporali uos angat aut affligat ſolicitudo, ſed ab omni ſolicitudine liberi, iugiter in oratione eleuati, & attentiori obſecrationi intenti, agentes gratias de præteritis bonis acceptis, facite ut petitiones ueſtræ pro ijs quæ adhuc deſideratis, exaudiantur apud Dominum. Et pax illa cœleſtis, quæ eſt à Deo in cordibus fidelium, quæ nequit cōprehendi qualis ſit aut quanta, ipſa conſeruet uoluntatem ueſtram, atq; intellectum, ut permaneant in Chriſto Ieſu. Mox enim ut pax Dei perditur, cor & intelligentia à Deo decidunt. Cæterum fratres hortor uos, ut ab omni impudicitia & uanitate auertētes animum, ſectemini ea quæ ſunt ueritatis, pudicitiæ, iuſtitiæ, quæcunq; ad ſanctitatem faciunt, & quæcunq; amorem fraternum nutriunt aut bonam famam promouent, quæ indubie multum confert profectui Euāgelij. Deniq;, quicquid eſt uirtutis, quicquid eſt diſciplinæ laudabilis hæc, inquam, & his ſimilia, amodo meditanda ſunt uobis, quæ & didiciſtis à nobis, & accepiſtis per fidem, & audiſtis per noſtram prædicationem & uidiſtis in cōuerſatione noſtra. Hæc, inquam, agite, dimiſſis priſtinis operibus malis, & Deus à quo omnis pax uera, quiq; pacem diligit & in pace habitat, faciet manſionem ſuam in uobis. Gauiſus ſum autem uehementer in Domino, cum iam rurſum uideo uos reuireſcere, ad exhibenda mihi priſtina miſericordiæ obſequia ſicut ſolebatis mihi ex affectu compati, & opere ſubuenire, habeo autē uos excuſatos, quòd aliquantulū intermiſeritis officium hoc, eo quòd credam uobis defuiſſe mittēdi opportunitatem. Neq; uero hæc dico, quaſi ego de mea penuria conquerar. Iam enim experientia frequenti edoctus, didici ſufficientiam habere in ijs quæ mihi contingunt: id eſt, præſentibus eſſe contentus, ſiue multum id fuerit, ſiue parum. Scio, & in paupertate & in abūdantia exte.

riori tenere modum, & contentus eſſe in utroq;. Iam ad omnia ſum inſtructus atq; paratus, & ad omnia indifferens, potens in ſatietate atq; eſurie (id eſt, ſiue in abundantia ſiue in penuria) medium tenere & contentus eſſe. Quicquid mihi obuenerit, omnia poſſum ad bonum uertere, per eius uirtutem qui me cõfortat, hoc eſt Chriſti, Nihilominus bonam rem feciſtis uos, cõmunicantes mihi in tribulationibus pro Chriſto conſtituto, participãtes merito tribulationis meæ. Propter quod ego gaudeo, ob bonum ueſtrum. Scitis autem uos Philippenſes, cum inciperem Euangelium prædicare in uobis, proficiſcenti mihi à Macedonia quòd nulla Eccleſiarum mihi quicquam contulit, dando temporalia bona in ſtipendium, pro ſpiritualibus acceptis niſi uos ſoli. Nam & mihi in Theſſalonica metropoli ciuitate conſtituto, ſemel atq; iterum uos neceſſaria uictui & uſui quotidiano miſiſtis. Neq; hoc replicò, quia quæro dona ueſtra: ſed quia deſidero uobis multum fructum accreſcere in ſupputatione ueſtra, coràm Deo, ex frequenti charitate & miſericordiæ operibus, quæ mihi præſtatis. Ego uero habeo omnia, & omnia poſſideo: quia dum nihil quod in mundo eſt præter ſolam neceſſitatẽ deſidero, præ regibus & principibus feliciter abundo. Deniq; repletus ſum ex ueſtra largitate, ijs quæ mihi miſiſtis per Epaphroditum: mihi ſanè gratiſſima: quæ non dubito, quin & Deus uelut hoſtiam ſibi oblatam ſibiq; beneplacẽtem, accipiat. Deus autem meus, cui ſeruio ſemper, impleat omnia ueſtra ſancta & ſalutaria deſideria, quemadmodum optime potens eſt, ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, per Chriſtum Ieſum. Ipſi autem Deo qui eſt pater omnium noſtrum, ſit gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Salutate omnes fideles in Chriſto Ieſu. Salutant uos fratres qui mecum ſunt. Salutant uos omnes hic fideles, peculiariter qui de familia ſunt Cæſaris, apud quos familia

rius ago. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum ſpiritu ue-ſtro fratres, Amen.

Finit Elucidatio in Epiſtolam ad Philippenſes beati Pauli Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM *in epiſtolam ad Coloſſenſes beati Pauli Apoſtoli.*

Coloſſenſes per ſe Apoſtolus non docuerat ſed ab Epaphra, qui tũ apud Apoſtolum agebat, cum hæc ſcriberet, & Archippo qui in eos accepit miniſterium, fuerant ĩ fide Chriſti edocti. Quos Paulus de ſeductoribus. Pſeudoapoſtolis (quorum aliqui per legis prædicationem, alij per ſecularis ſapientiæ doctrinam ſeſe iactitabãt) ſemp ſolicitus, eos præcauere iubet, ne ullis ſe perſuaſionibus, ſiue horum, ſiue illorum, ſinant à firmitate eius fidei in qua edocti fuerant, amoueri. In ipſo itaq; epiſtolæ exordio, gratias agit Deo, ſuper bono eorum profectu: ſimul et poſtulans, ut in bono perficiantur, in omni gaudio & longanimitate per Chriſtum, per quem facta ſunt & reſtaurata uniuerſa, eo quòd in ipſo totius diuinitatis plenitudo inhabitet, ut per ſanguinem crucis ſuæ in pacem bonam componeret omnia: quomodo & ipſos dicit à ſuis peccatis emundatos. Deo eſſe reconciliatos, ſi modo in Euangelio quod ſuſceperant in finẽ uſq; permaneant. Cuius ſe iuxta Dei diſpoſitionẽ miniſtrum, adimplentem ea quæ deſunt paßionum Chriſti, corripiẽtem quoq;, & docẽtem omnem hominem, ad perfectionem ueræ iuſtitiæ, gloriatur. Secundo uero capitulo ſuam declarat ſolicitudinem, quam pro omnibus gerit, qui faciem eius non uiderant, ut bene inſtructi in charitate Dei, non ſe decipi patiantur in ſublimitate ſermonum, aut per philoſophiam, aut per uarias traditiones obſeruantiarum Iudaicarum, ſed ut in Chriſto ſolo permaneant, in quo per fidem circuncisi ſunt, circunciſione ſpirituali,

per baptiſmum regenerati:ubi & declarat, quomodo per Chri*ſti mortem remißionem ſimus cõſecuti peccatorum noſtrorũ, deleto eo quòd contra nos erat chirographo peccati:* Propter *quod eos qui ſic per Chriſti mortem ſunt in ueram libertatem aſſerti, non ultra uult elementis huius mundi & carnalibus obſeruantijs inſiſtere: eosq́; ut per ſimulationem religionis, & fictæ humilitatis, ſe non ſinant decipi, præmonet attentius.* Ma*gis autem tertio capite ſurſum eos iubet affectum cordis erigere, mortificatis ſuper terram membris, ut peccatis non uiuant: quæ illic particulatim multa enumerat, & à quibus nominatim dehortatur, omne quod ad ueterem hominem attinet abijci iubens, & nouum induere hominem, qui eſt in ſancta uirtutum connexione, in miſericordia, benignitate, mãſuetudine, & alijs eiuſmodi, Super omnia autem charitatem commendat, & pacem, & gratitudinem, & uerbum* Dei*, ut in ipſis inhabitet abundanter, faciantq́; omnia ad gloriam* Dei*, in gaudio ſpirituali.* Poſt *hæc circa finem tertij capitis, & initium quarti, uxoribus ac uiris, filijs ac parentibus: ſeruis ac dominis, quomodo ſe erga inuicem gerere debeant præſcribit.* Mox *autẽ poſt quarti capitis initium, ad omnes ſermonem conuertens, orationi eos inſtãter inuigilare, atq; etiam pro ſe ſpeciatim orare iubet, pro* Euangelicæ *prædicationis fructu,* Exhortatus *deinde, ut in ſapientia erga infideles ambulent, & ut ſermonem ſemper ſale conditum loquantur, ad familiaria ſermonem conuertit, de eo quem ad ipſos miſit* Tychico *&* One*ſimo: de* Epaphra *cui teſtimonium bonum perhibet. Salutationibusq́; hinc inde poſitis, demum* Archippum *ſui commonefaciens miniſterij, ita claudit* Epiſtolam.

Finit Argumentum.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD *Coloſſenſes beati Pauli Apoſtoli.*

CAPVT PRIMVM.

P*Aulus Apoſtolus* Ieſu *Chriſti, ſecundum diuinæ electionis beneplacitum, & Timotheus frater, ſalutem dicunt ſanctis & fidelibus Chriſtianis, apud Coloſſas in Chriſto Ieſu cõgregatis. Sit uobis gratia et pax, à* Deo *patre noſtro.* Gratias *agimus* Deo, *qui eſt pater Domini noſtri* Ieſu *Chriſti non intermittentes ueſtri memoriam in orationibus noſtris: dum audimus rectam in Chriſto fidem ueſtram ab alijs commendari, & miſericordiæ dilectionem, quam exhibetis in omnes ſanctos propter ſpem & expectationem cœleſtium bonorum, quæ in cœlis uobis ſeruantur occulta, ſuo tempore reddenda, quam ſpem audiſtis per uerbum ueriſsimũ, uerbum ſancti* Euangelij: *quod in uobis quoq; eſt prædicatum, ſicut in omnibus mundi partibus eſt, & inhabitat, immo & fructum facit bonorum operum, & creſcit per dilatationem & diuulgationem in cæteros, quemadmodum et inter uos audio factũ eſſe, ſtatim ut audiſtis & intellexiſtis gratiam* Euangelij *in ueritate prædicationis, ſicut edocti eſtis ab* Epaphra *chariſsimo cooperatore noſtro, qui fideliter miniſtrat in negocio Chriſti, ad ueſtræ ſalutis promotionem qui etiam manifeſtauit nobis ſpiritualem charitatem ueſtram, qua & erga* Deum, *& erga nos cæteroſq; fideles, eſtis affecti.* Ideo *& nos ex eo tẽpore quo primum auditu accepimus hæc bona de uobis, non ceſſamus pro uobis orare & poſtulare: ut plenius atq; abundãtius cognoſcatis uoluntatem* Dei, *idq; in perfecta ſapientia cœleſtium myſteriorum, atq; intelligentia ſpirituali diuinorum mã*

datorum, quo ſic poßitis conuerſationem ducere dignam Deo, *ei in omnibus placentes, & fructum ſaciendo bonorum operum, & augmentum indies ſumentes in ſcientia ſpirituali, atq; ſalutari, quæ eſt cognitio* Dei, *conſortati autem in perfecto ſpiritus robore à domino (iuxta quod potens eſt in gloria maieſtatis ſuæ(ad tolerandum patienter quæuis aduerſantia, & longaniniter expectandũ repromiſſa uentura bona, in gaudio ſpirituali ſemper gratias pro omnibus agentes* Deo *patri noſtro, qui ſecundum ſuam miſericordiam nos dignos: reputauit, & idoneos fecit ad participandum cum ſanctis, in ſorte atq; hære ditate æternæ beatitudinis, in lumine claritatis atq; uiſionis diuinæ.* Q*ui etiam uiolenta manu extorſit nos de ditione diaboli, peccati, mortis, & inferni, quæ omnia tenebræ ſunt ac tranſtulit nos in regnum atq; gloriam filij, ſibi ſingulariter prædilecti, per quem conſecuti ſumus redemptionem à captiuitate noſtra, & peccatorum omnium remißionem.* Q*ui eſt conſubſtantialis & perfecta ſimilitudo* Dei *patris æterni, quem nemo uidit unquam, neq; uidere poteſt, ante omnem creaturam in æternitate de patre genitus, uerbũ patris, patri coæternum: in quo uelut in exemplari, & per quem uelut efficientem, creata ſunt, quæcunq; ſunt in cœlo & in terra, uiſibilia atq; inuiſibilia, & throni, & dominationes, & principatus, & poteſtates, cæteriq; angelorũ ordines, atq; multo magis cætera corporea:* O*mnia, inquam, per ipſum ut efficientem & in ipſo ut uerbo atq; exemplari, creata ſunt.* Et *ipſe eſt in æternitate ante omnia, & omnia in ipſo perdurant.* Et *ipſe eſt caput eius corporis, quod eſt eccleſia, eſtq; principiũ ſalutis omnibus, & primitiuus atq; præcipuus, tam dignitate quàm tempore, in reſurrectione mortuorum, ut ſit inter omnes electos unus ipſe primatum tenens, uelut conſubſtantialis filius inter adoptiuos.* Q*uoniam ſic de*

cretum ſuerat, & ab æterno placitum diuinitati, ut ipſa habitaret in eo, non ad menſuram (quomodo in cæteris ſolũ adoptione filijs) ſed ſecundũ plenitudinẽ, counita naturæ humanæ in unitate ſuppoſiti, atque ut per eum omnia recõciliarentur ſibi, pacem componens per ſanguinem quem in cruce effudit, inter cœleſtia ſimul atque terreſtria. Id eſt, *angelos et homines, quos prius offenſa* Dei *diſſociauerat. Et uos quoque cum olim fuiſſetis alieni facti per gentilitatis conuerſationem, & inimici* Dei *affectu peruerſo atque cogitatione, uacantes operibus malis: nũc tamen pacem fecit habere ſecum per fragile corpus ſuum, morti illud tradens, ut nos efficeret ſanctos, ab omnibus peccatis emundatos, ſine macula, & ſine crimine, ante conſpectum ſuum, in ueritate.* Erit *autem hoc, ſi modo (ut ſpero) permanetis in fide uera bene fundati atq; inſtructi, ſtabilesq; ac bene firmi, minimeq; uacillantes, ut nullis peruerſorum ſuaſionibus dimoueamini à ſpe promiſſa uobis in* Euangelio *quod audiſtis:* Q*uod ipſum etiam prædicatum eſt in uniuerſo orbe terrarũ, & in omnibus terræ partibus quæ ſub cœlo ſunt: Cuius ego* Paulus *à* Deo *ſum miniſter conſtitutus & prædicator, qui nũc gaudeo in paßionibus, quas pro ueſtra & omnium fidelium ſalute perpetior, & reſiduum paßionũ Chriſti adimpleo in carne mea, pro corpore eius integrãdo, &* Eccleſia *ſancta in unũ congreganda.* Q*uemadmodum enim Chriſtus per ſuam propriam paßionem, corpus* Eccleſiæ *redemit:* Ita *per paßiones* Apo*ſtolorum, uelut membrorum ſuorum, congregauit redemptam atque in unum corpus collegit.* Cuius Eccleſiæ *ordinatus ſum ego miniſter &* Apo*ſtolus, ſecũdum* Dei *prouidam diſpoſitionem, quæ mihi commiſit in uobis miniſterium implendi, et penitus explicandi* Euangelium Dei, *quod eſt ſecretum quoddã plenum ſanctitate, quod ab æterno quidem in diuina prædeſti-*

natione fuit abſconditum, hominibus & angelis uſque modo ignotum, nunc uero factum eſt manifeſtum electis ſanctis eius, quibus Deus uoluit notam facere ſuperabundãtem gloriam myſterij huius inter gentes: quod myſterium eſt Chriſtus dominus, qui in uobis eſt, & habitat per quem ſperamus etiam gloriam futuram ſuo tempore conſequi. Quem nos prædicantes annunciamus hominibus, corripientes eos ut à uitijs priſtinis recedant, & ſapienter edocẽtes quomodo ad nouæ uitæ opera exurgant, laborantes quantum in nobis eſt, ut omnem hominem efficiamus perfectum in fide Chriſti Ieſu: Ad quod omnem laborem impendo, cum multa inſuper ſolicitudine, & perſecutionum laboribus uiriliter certãdo, ex operatione Dei, quam pro me & in me ſua uirtute opatur, nõ aũt ex ꝓprijs meis uiribus.

CAPVT SECVNDVM.

Volo enim uos ſcire quam ſolicitus ſim ego pro uobis Coloſſenſibus, & pro Laodicenſibus, et in uniuerſum pro omnibus apud quos ego ſecundum corpus nunquam fui præſens, ut ſaltem abſentes, ſint corde & ſpiritu conſolati, ut ſint inſtructi atque edocti in charitate Dei, & in copioſiſſima illa ac prædiuite plenitudine intelligẽtiæ ſpiritualis, quæ eſt in agnitione myſterij humanæ redemptionis, à Deo patre, & per Chriſtum exhibiti. In quo Chriſto inhabitat ab æterno, omnis plenitudo ſapientiæ & ſcientiæ ſpiritualis. Eſt enim patris uerbum & æterna ſapientia, à quo omnis ſapientia deriuatur. Dico autem me ſolicitum eſſe pro uobis, nimirum ut uos cautos reddam atq; prouidos, ne ſinatis uos decipi per uerba ſublimia: ſiue per ſapientiã philoſophiæ ſecularis, ſiue per eloquentiæ mundanæ uenuſtatẽ. Quanquàm enim corporali præſentia abſens ſum à uobis, ſpirituali tamen cura præſens uerſor in medio ueſtrum, gaudens dum uideo & contemplor in ſpiritu, ordinem bonum qui in

ſcitando Chriſtum à mortuis. Et *uos cum olim eſſetis mortui propter peccata ueſtra, & carnalem uitam, quam in præputio ſeu gentilitate uixiſtis, cum illo ad uitam reſuſcitauit de morte, dimittendo uobis omnia delicta*. Immo *delens penitusq; reſcindens chirographum illud diuini decreti, quod aduerſum nos in pœnam peccati fuerat conſtitutum*. Et *ut omnem prorſus obligationem tolleret à nobis, tulit ipſum de medio, deſtruxitq; penitus, in cruce exoluens delicta uniuerſa, ad quæ nos obligabamur, expoliansq; principes tenebrarum malignos, præda quã aliquanto tempore occupauerat, confidenter atq; palàm eoſdẽ traduxit (id eſt mire confudit, & exemplum fecit eſſe confuſionis) triumphũ inſuper agens uelut uictor de illis, ſiue quos uicit principibus, ſiue quos eripuit electis patribus captiuis*. Idq; p *proprium corpus, & in proprio ſanguine. Cum igitur tanta ſitis à Chriſto libertate, tam magnifice donati, non amplius debetis ſuſtinere, ut quis uos iudicet in cibi potuſue ſumptione, ut iccirco uos putetis condemnatos, quod cibum ſumpſeritis lege uetitum*. Neq; *in obſeruandis ſecundũ legem diebus feſtis, aut in aliqua parte, quemadmodũ in agni manducatione, pars diei (id eſt, ueſpera) obſeruari debebat, neq; in obſeruatione nouilunij aut ſabbatorum*. Q*uæ omnia tantum ſunt figuræ & ſigna eorũ, quæ uentura erant in tempore gratiæ. Corpus uero ipſum, & quod ſignificatur p hæc ſigna, ad Chriſtum ſpectat, & ipſa ſunt, quæ Chriſtus peregit in corpore ſuo, redemptionis myſteria*. Nemo *uos ſeducat, uolens conuerſari tanquã angelus, artificioſa ſua & compoſita hypocriſi miram quandam humilitatem, & nouam religionem ſimulando, quas tamen uirtutes penitus ſecundum ueritatem non nouit, propter quod etiã fruſtra intumeſcit in animo ſuo, cum habeat ueræ religionis nihil, ſed ficta & ſimulata ſint eius omnia*. Neq; *qui eiuſmodi eſt*

in Chriſto capite manet, qui odit omnem fictionem, & amat ueritatem. Ex *quo capite dependet totũ* Eccleſiæ *corpus, quod per ſpirituales* connexiones *atq; iuncturas, per mutuas adminiſtrationes conſtituitur atq; compingitur,* et in augmento *ſpirituali proficit, augmentũ debitũ ſumens.* Nunc *igitur ſi* Chri*ſto conſepulti eſtis, & ad exemplum* Chriſti *mortui, mundanis atq; carnalibus obſeruantijs, quæ nam hæc eſt dementia, ut adhuc quaſi eiſdem mortui nõ ſitis dogmatizari atq; decerni uobis ſinatis de lege uetitis, ab ijs qui uos monent dicentes.* Illud *non licet tangere, hoc non licet guſtare, aliud nec contrectare, aut contingere, atq; id genus alia.* Q*uæ omnia in interitũ fiunt utentibus atq; obſeruantibus, ſi in eis ſpem ſuã locauerint: quæ ſunt ſecundum traditiones & dogmata humana, quæ ſecundũ ſpeciem quidem uidentur in ſe aliquid habere ſapientiæ, propter ſimulatam ab eiuſmodi doctoribus, eximiam religionem & fictam humilitatem, & cum uidentur corpori ſuo non parcere, ſed auſtere illi cibos certos interdicere, quod etiam magnũ uidetur.* Ne*q; tamen in honorẽ aliquẽ hoc illis reputatur, ꝙ nõ permittant corpora ſua quantum opus habeant refici, atq; expleri ſine diſtinctione, ijs quæ* Dominus *permiſit, cũ gratiarũ actione.* Ma*gis enim confuſio eſt illis quòd libertatẽ quam eis* Chriſtus *donauit, nolunt acceptare ut pro ſua neceßitate reficiantur ijs quæ creauit ad uſum hominum* Deus.

CAPVT TERTIVM.

Itaque ſi cum Chriſto conreſuſcitati eſtis, à morte peccatorum ad uitam ſpiritus reducti, iuſtum eſt, ut deinceps quæratis quæ in cœlis ſunt, ubi Chriſtus eſt cum patre in æterna & æquali gloria imperium tenens. Cœ*leſtia ſapite, ijsq; ſolis affectum & cor apponite, terrena prorſus obliti.* Mortui *enim eſtis mũdo, & omnibus quæ ſuper terram ſunt.* Et *nunc quidem uita uiui-*

tis, Chriſto configurati, ſed latet in Deo *abſcondita. Cum autē tempus erit, ut ſe Chriſtus uita ueſtra reuelet in gloria ſua, in die illo & uos cum eo apparebitis palàm omnibus, in eadem gloria, & tunc patebit omnibus uita ueſtra quæ nunc latet, donec in hoc corpore agitis, quando mortui potius ſecundū corpus reputamini. Studete igitur membra ueteris hominis, quæ terrena ſunt mortificare, ab operibus concupiſcentiæ prioribus ea ſubtrahendo: extirpando fornicationem, & quamlibet carnis immundiciam, omnem libidinoſum ardorem, & quamlibet malam concupiſcentiam, & peculiariter auaritiam, quæ per omnia conuenit cum idolorum cultura.* Propter *quæ uitia atq; ſimilia, uenire ſolet ira & indignatio* Dei, *ſuper homines incredulos & inobedientes mandatis* Dei. Q*uomodo & uos quondam conuerſati eſtis, cum adhuc uitijs & concupiſcentijs operam daretis.* Nunc *autem poſtquàm mortui eſtis ijſdem, ſit uobis cura abijciendi huiuſmodi omnia: immo & iram animi, & omnem indignationem ſigno aut uultu aut uerbo oſtenſam, malitiam quamlibet aduerſus alterum, conuicium quoque ex animi malitia prodiens, & omnem turpem ſermonem atq; indecentem, ne loquamini per os ueſtrum.* Nolite *inuicem uobis, ſiue uerbo, ſiue opere, mentiri.* Magis *autem exuite & abijcite prorſus ueterem hominem, cum operibus ſuis malis (id eſt, concupiſcentiam malam, cum omnibus uitijs atq; peccatis) nouum hominem aſſumendo, cum ſuis actibus, qui ſecundum ſuam nouitatem acquiritur, per ueram agnitionem* Dei, *in fide cum ſpe & charitate, ad expreſſam aſsimilationem, & conformitatem* Dei, *qui creauit illum.* Per *ueram nanque* Dei *cognitionem, fide, ſpe, & charitate homo interior* Dei*formis efficitur, & imago creatoris per concupiſcentias deturpata, ſic innouatur.* Q*uantum uero ad* Deum *creatorem, aut quantum ad interio-*

rem imaginem, non eſt ulla diſtinctio, quantum ad ſalutis priuilegium: neq; ex ſexu, inter maſculum & fœminam, neque ex natione inter Gentilem & Iudæum, neq; ex obſeruatione inter circunciſum & incircunciſum, neq; ex patria, inter Barbarum *& Scytham. Neque ex conditione, inter ſeruum & liberum: ſed eſt Chriſtus unus, omnia in omnibus, quem ſolum oportet in interiori homine attendere, ſine conſideratione eiuſmodi corporalium diſtinctionum. Curate igitur ut induamini, ſicut decet ſanctos & electos* Dei, *& peculiariter dilectionem uiſceroſam, & compaßiuam miſericordiam, manſuetudinem ac lenitatem, humilitatem, & in omnibus rebus ſanctam modeſtiam, cum patientia ſuſtinentes ac ferentes inuicem, inuicemq; dimittentes, ſi quem contingat ab altero offenſum, iuſtam habere cauſam iræ, exemplo* Domini: *qui ſicut nobis dimiſit, ita & nos uicißim dimittere inuicem debemus ijs, aduerſus quos querelam habemus. Super omnia autem ſectamini charitatem, quæ eſt uirtutum perfectißima, & totius perfectionis uinculum, in qua omnes uirtutes colligantur, & uelut couniuntur.* Omnes *enim uirtutes in radice charitatis unum ſunt, & ipſa omnes cuſtodit, atq; colligatas conſeruat. Et pax Chriſti, pax uera, exultet, triumphet, dominetur, & ſuperuincat in ſpiritu ueſtro: in qua, & ad quam, uos* Deus *ſua gratia uocarit, ex conturbatione ſeculi, & ſecularium deſideriorum tumultu, & grati eſtote* Deo, *de uocatione ueſtra, cæteriſq; omnibus in uos collatis beneficijs.* Verbum *Chriſti intra uos inhabitet abundanter, maneatq; & fructificet in uera ac perfecta cœleſti ſapientia.* Doce*te atque commonete uoſipſos & uos inuicem, in pſalmis & hymnis & canticis, non carnalibus, aut laſciuis, ſed ſpiritualibus: non in carnis laſciuia, quemadmodum qui choreas ducunt, ſed in gratia cantantes domino in tripudio & exultatione ſpi-*

ritus. Omne quod facitis, ſiue loquendo, ſiue opus operando, qualecunq; ſit, ad gloriam & honorẽ domini noſtri Ieſu Chriſti facite, ſemper in oĩbus et de oĩbus grãs agẽtes Deo patri, p Chriſtum, quoniã à patre nobis omnia per Chriſtum bona procedunt. Vt uero tandem ad mores particularius deſcendam, primo loco uxoribus præcipio atq; denuncio, ut ſubditæ ſint uiris ſuis in domino, ſicut decet: id eſt amore dei & propter præceptum eius, ex animo. Deinde & uos ò uiri, ne contemnite, quas ex Domini præcepto habetis ſubditas uxores ueſtras: ſed diligite eas in ueritate, & nolite amaritudinem aduerſus eas habere. Filij, obedite parentibus ueſtris per omnia, quoniã ſic domino placitum eſt, & ſic mandauit. Viciſsim patres, nolite ſuperfluis contentionibus filios ueſtros irritare, ut nõ, ad impatientiam concitati, in malum ueniant. Serui, per omnia præſtate obedientiam dominis ueſtris temporalibus, non ad oculum tantum ſeruientes, quaſi ad placendum hominibus, ſed in cordis ſimplicitate timentes dominum, & illi ſoli placere quærentes. Quicquid agitis ex animo ſimpliciter agite, tanquam ante conſpectum domini ad placendum ei non autẽ ad fauorem tantum humanum uobiſipſis conciliandum: ſcientes quòd dominus eſt, qui uobis retribuet p opere ueſtro æternæ hæreditatis præmium. Propter quod Chriſto ſemper ut præcipuo domino ſeruite, in omnibus. Nam qui fecerit iniuſtitiã recipiet mercedem ſuam condignam, quiſquis is fuerit ſiue ſeruus, ſiue dominus. Et non attendit Deus perſonam, in ſuo iuſto iudicio.

CAPVT QVARTVM.

Domini cum ſeruis ſuis agant, ut iuſtitia & æquitas poſtulat: Conſiderantes ſe quoq; dominũ habere in cœlis, qui pro ſeruis aduerſum ipſos iudicabit, ſi inique eos modo tractauerint. Vniuerſi uero eſtote in orationibus aſsidui, & uigilantes atq; ſoli-

citi, cum gratiarum actione, memores etiam noſtri in orationibus ueſtris, ut Deus opportunitatem nobis *faciat ad prædicādum uerbum* Dei, *& myſterium* Chriſti, *ob cuius prædicationem etiam uinctus ſum, ut illud audacter & intrepide manifeſtum faciam, ſicut ex officio* me loqui oportet. Debetis *autem caute admodum & prudenter conuerſationem ueſtrā inſtituere, inter infideles, tempus dum habetis redimentes, ne pereat: id eſt, in operibus bonis bene expendentes, ne per uos ſcandalizati infideles, blaſphement Chriſti nomen, utq; per uos ad Chriſtum ualeant conuerti. Sermo ueſter quemcunq; protuleritis, ſit ſale ſapientiæ atq; diſcretionis conditus, ut ſit gratus audientibus, & fructum queat efficere: diligenter attēdentes, qualis ſermo cui conueniat, ne cuiquam præter decorum loquamini ne quenquam ueſtro incondito, intempeſtiuo, aut indiſcreto ſermone offendatis. Quæ autem circa me & de me aguntur, omnia uobis faciet nota* Tychicus *chariſsimus frater, et fidelis miniſter conſeruus quoque &* cooperarius *meus, omniumq; ueſtrum, in* Domino. *Quem ad uos in hoc ipſum nunc mitto, harum literarum portatorem, ut quo in ſtatu res ueſtræ ſint perdiſcat & conſoletur ſpiritum ueſtrum in uerbo ſuo, unà cum* Oneſimo *chariſsimo et fideli fratre, qui à uobis ad me acceſsit, in uinculis cōſtitutum.* Hi*(inquam) omnia quæ hic de me aguntur, indicabunt uobis. Salutat uos Ariſtarchus concaptiuus meus, &* Marcus Barnabæ *conſobrinus, de quo mandatum acceпiſtis: Si illum contingat ad uos uenire, benigne eum ſuſcipite.* Et Ieſus *cuius cognomen eſt* Iuſtus: *qui ſunt ex* Iudæis *credētes.* Hi *ex circunciſione ſoli ſunt adiutores & cooperatores mei, in prædicatione regni cœleſtis, qui mihi ſuo adiutorio atq; obſequio impenderūt, impenduntq; ſolatiū. Salutat uos* Epaphras, *qui à uobis huc acceſsit, uerus* Chriſti *ſeruus, licet nunc corpo-*

re à uobis

re à uobis abſens: ſemper tamen ſpiritu ſolicitus: ac peruigil in orationibus, pro uobis: quibus precatur Deum, *ut ſtetis immobiles & perfecti in fide, & pleni in uoluntate* Dei, *nihilq́; omittentes eorum quæ ſunt diuinæ uoluntatis.* Hoc *enim de eo teſtimonium aſſero, quòd multo zelo & cura ſolicitus eſt, multūq́; laborat pro ueſtra ſalute, & pro fidelibus qui ſunt* Laodiciæ, *& qui* Hierapoli. *Salutat uos* Lucas *medicus chariſſimus, &* Demas. *Salutate fideles* Laodicenſes, *ueſtros finitimos, et egregium illum* Nympham, *ſalutatione bene dignum, cum ſua ſancta familia, quam merito* Eccleſiam *poſſum nominare.* Et *cum lecta fuerit apud uos* Epiſtola *hæc, curate, ut et in* Laodicenſiū Eccleſia *legatur: & ea quam ad* Laodicenſes *ſcripſi, in ueſtra* Eccleſia *recitetur.* Nominatim *uero* Archippo *ueſtro doctori, ex meo nomine dicite:* Vide *ſolicitus, ut miniſterium tuū quod accepiſti ſecundum uoluntatem & imperium domini, impleas diligenter. Salutationem uobis propria mea manu ſubſcribo, huiuſcemodi.* Memores *eſtote uinculorum meorum, ut uos in patientia & fide corroboremini.* Gratia *uobiſcum.* Amen.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM
in epiſtolā ad Teſſalonicēſes *priorē beati* Pauli Apoſtoli.

V*ſqueadeo perfecti erant in* Chriſto, *hi ad quos nunc* Apoſtolus *ſcribit* Theſſalonicenſes, *ut pro eius fide etiam perſecutiones patienter tolerarent ſuis conciuibus, ratione* Chriſtiani *nominis ſibi illatas.* Erat *autem* Theſſalonica *(à qua* Theſſalonicenſes *dicti ſunt) ciuitas metropolis* Macedoniæ: Vnde *fiebat, ut uirtutis illorum non ſolum fama, ſed etiam æmulatio late ſpargeretur, proueniretq́; ex eorum bono fructus plurimus.* Apoſtolus *itaq; gaudens de bonis eorum profectibus, conſolatoriā atque exhortatoriam eis ſcribit hanc epiſtolam: primum quidē*

ſuo more gratias agens, de ijs quæ à Deo donata ſunt illis, ac deinde quæ de eis per ſamam bonam cognouit, ad eorum ponit commendationem. Secundo autem capitulo, uolens eos ad perſecutionum tolerantiam animare, ſuas proponit paſſiones, propter quas cum nunquam ipſe omiſerit prædicare uerbum ueritatis, eo quòd Deo ſeruiret non hominibus: oportet, ut nec ipſi propter perſecutiones & tribulationes corporales, à fide recta deficiant: Vbi & amorem nimium, quo illos ſe dicit proſequi, & diligentiam ac ſolicitudinẽ, qua inter eos præſens fuerat cõuerſatus, reducit ad memoriam: ut uel eos ſic ad ſui imitationẽ, & in fide Chriſti perſeuerantiam inducat, inq; eis contineat. Deinde & exemplum proponit Eccleſiarum Iudææ, et Iudæorum ab antiquis diebus peruerſitatem, manifeſtat. Se uero dicit conatum fuiſſe ſemel atq; iterum, ut ad eos poſſet inuiſendos accedere, propter amoris ſui affectionem, licet minus ſucceßiſſet, Vnde tertio capite, eo quòd per ſe nõ potuit ad illos accedere, Timotheum ſe dicit miſiſſe: ad cognoſcendum, quomodo ſe inter ipſos res fidei haberet, & ad confirmandos eos in patientia. Ex cuius reditu, bona renunciantis de eorum patientia, ac perſeuerantia, plurimum fuit conſolatus: eo quòd nihil in hoc mundo prius haberet profectu diſcipulorum ſuorum, pro quo etiam continuo deprecationem ſubiungit. Dehinc quarto capitulo monet eos, ut ſecundum doctrinam & præcepta uiuant Apoſtolorum, fugientes fornicationem, & iniuſtitiam, et omnem immũditiam. Commendansq; eos de charitate quam erga fratres exhibent, à malo ocio eos dehortatur, ad laborem manuum honeſtum eos exhortans, ut non uagabundi & ocioſi circumambulent, quod multorum ſolet eſſe malorũ occaſio. Poſt hæc ad ipſorum conſolationem, de mortuorum reſurrectione eos inſtruit, modum ſimul & ordinem reſurrectionis eis ma-

nifeſtans. Vltimo tandem capitulo, de aduentu diei nouiſsimi et
iudicij extremi, eos cōmonefacit: quòd ſicut fur in nocte ſit uen
turus, propter quod non dormire nos oportet lucis filios, quē=
admodum infideles filij tenebrarum faciunt, ſed uigilare in ope
ribus bonis, ut ſemper cum domino ſimus. Demum eos ad mu=
tuam conſolationem, peculiariter ad præpoſitorum reueren=
tiam, ad inquietorum compreſsionem, & alia eiuſmodi, quæ
morum ſunt, exhortans, & pro eorum perfectione ac perſeue=
rantia dominum deprecans, ita claudit Epiſtolam.

Finit argumentum in Epiſtolam
ad Theſſalonicenſes.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD Theſſaolnicenſes priorem beati Pauli Apoſtoli.

CAPVT PRIMVM.

PAulus, Syluanus, & Timotheus ſcribunt,
ſalutemq; precantur Eccleſiæ Theſſaloni=
cenſium quæ eſt congregata in fide Dei pa
tris, & Domini noſtri Ieſu Chriſti. Sit uo=
bis gratia & pax à Deo patre & Domino
noſtro Ieſu Chriſto. Non ceſſamus agere gratias Deo, de bene=
ficijs in omnes uos collatis, habentes ueſtri memoriam in ora=
tionibus noſtris ſine intermiſsiōe: dum recordamur opus quod
in fide operamini, & laborem ueſtrum, atq; charitatem frater
nitatis quam habetis in ſanctos, & perſeuerantiā ueſtram qua
patienter expectatis ſpem cœleſtium bonorum, quæ eſt ꝑ Chri
ſtum Ieſum Dominum noſtrum, habētes ante oculos Deum &
patrem omnium noſtrum. Nos (inquam) agimus gratias, eo ꝙ
certam habeamus (fratres à Deo, ſingulari beneficio dilecti)
ueſtram uocationem, ſcientes eam ueram & à Deo fuiſſe, qui

uos, eo quòd dilexit, uocauit. Quoniam *prædicatio noſtra quā uobis annunciauimus* Euangelium *ſalutis, non fuit tantum per uerbum uocis humanæ, ſed affuit & uirtus diuina, & ſpiritus ſanctus, cum abūdantia donorum ſuorum: quemadmodum ipſi & uidiſtis & ſcitis, qualiter inter uos me geſſerim, aut qualia fuerim operatus, ut uos ſaluaremini credentes.* Et *uos non degeneres filij, neque ſegnes diſcipuli, mox imitatores noſtri effecti eſtis:* Neque *noſtri ſolum, ſed etiam Chriſti (qui eſt exemplar primum omnis perfectionis) in eo quòd uerbum fidei excepiſtis credentes, cum gaudio ſpiritus, etiam in multa tribulatione uobis, propter fidem Chriſti ab infidelibus illata: adeo ut ſitis facti exemplum fidei & patientiæ, omnibus fidelibus habitantibus in regione* Macedoniæ, *cuius eſt ciuitas ueſtra* Metropolis, *& in regionibus* Achaiæ *uicinis.* Nam *uerbū domini à uobis reſonat, & per uos ſpargitur atq; diffunditur: nō modo in* Macedonia *tota, et uiciniore* Achaia: *ſed in omni loco fidelium, fides ueſtra quā credidiſtis in* Deum *uiuum, relatu peruenit, atq; auditu diuulgata eſt.* Ita *ut non ſit nobis neceſſe, quicquam de ueſtris loqui uirtutibus, coràm alijs* Eccleſijs, *ad ædificationem.* Iam *enim audierunt ubiq;, cum admiratione patientiæ ueſtræ, & iam norunt enarrare de nobis, quo nam modo ad uobis prædicandum ipſi acceſſerimus, & de uobis quomodo ab idolis auerſi, ſitis conuerſi ad* Deum, *ut illum colatis* Deum *uiuum & uerum. & ut expectetis aduentum filij eius de cœlis, quo ueniet iudicare uiuos & mortuos, quem ſuſcitauit ex mortuis ſaluatorem populorum, qui magna uiolentia, per paſſionis ſuæ amaritudines, nos rapuit, & ſubtraxit damnationi, quæ ſuper nos erat uentura, ſi in peccatis manſiſſemus, & quæ ueniet ſuper omnes impios atque incredulos.*

De noſtro quidem acceſſu ad uos, prædicationis gratia, ipſi didiciſtis experientia quod non ſine efficacibus teſtimonijs diuinæ uirtutis fuerit, nec ex uanitate aut ſuperbia: ſed antequam accederemus ad uos per multas tribulationes probati, & in Philippis & peculiariter multa dira & ignominioſa perpeſsi, ſicut audiſtis & ſcitis, nihilominus confidentes in domino, auſi fuimus prædicare uobis idem illud, pro quo iam tanta paſsi fueramus, Euangelium Dei: Idq; multa ſolicitudine, & labore plurimo. Agimus autem audacter in Euangelio Dei, nihil reueriti perſecutiones, ob teſtimonium bonæ conſcientiæ: ſcientes, quòd noſtra prædicatio atq; doctrina non eſt erronea, neque ex errore naſcitur, ut diſciplinæ ſeculares nonnullæ. Neq; imunda eſt, neq; ex immunditia naſcitur quẽadmodũ nõnullæ Philoſophorum doctrinæ atq; gentilium. Et hæc ipſa noſtra exhortatio nõ eſt in dolo, ad ſeducendum homines à libertate Euangelij, cuiuſmodi eſt doctrina Pſeudoapoſtolorum: ſed loquimur in ueritate Euangelium Dei, ſynceriter & pure, quemadmodum nobis illud Deus prædicãdũ credidit atq; cõmiſit quos ad hoc ipſum probatos reputauit & dignos fecit. Ita, inquam, loquimur, uere & fideliter: non ut placeamus hominibus, principalem ibi finem cõſtituentes, ſed ut Deo placeamus, qui ſcrutatur intima ſpiritus noſtri, ad retributionem. Neq; enim aliquando uſi ſumus ſermonibus adulatorijs, quemadmodũ ipſi optime noſtis: Neq; propter auaritiæ cupiditatem, aut lucri gratia uobis prædicauimus, cuius rei mihi Deus teſtis eſt, Neque propter laudem hominum, neq; ueſtram, neq; aliorum. Cum tamẽ potuiſſemus à uobis merito, & honorem, & ſumptum (quæ magiſtris debentur) exigere tanquam Apoſtoli Chriſti, ratione officij Apoſtolici, atq; ſuſcipere. Sed propter Euangelij fructum, conuerſati fuimus uelut paruuli inter oẽs uos, neq; aliud quicq̃

deſiderantes à uobis. Quemadmodũ nutrix, filios quos in ſua cura habet educandos omni cura ſtudioſiſsime enutrit, atq; curat: Ita nos nimia charitate uobis affecti, cupiebamus tradere uobis: non ſolum Euangelium Dei, *uerbo prædicando: ſed etiã uitam noſtram, pro uobis mori parati: quoniam chariſsimos uos habuimus, ratione fidei & bonæ uoluntatis ueſtræ.* Neque *dubito, quin memores ſitis adhuc laborũ et fatigationum, quos ueſtri cauſa ſuſcepimus. Cum nocte ac die aſsidue operis aliqd agentes, præter prædicationẽ publicam, & exhortationes priuatas, etiã operi manuum inſiſtentes: ſic ſolicite prædicauimus inter uos* Euangelium Dei, *ne quẽquam ueſtrum grauaremus, ocioſe aut oneroſe panem alienum manducantes.* Vos *conſcij eſtis, & magis* Deus, *q̃ immaculate & iuſte (ita ut nemo conqueri de nobis iure poſsit) conuerſati fuerimus inter uos, qui* Deo *credidiſtis, Sicut ſcitis, qualiter non ſolum publice docuerimus, ſed etiam ſingulos ueſtrum, tanquam pater filios, deprecando, exhortando, conſolando obteſtabamur uos & uehementiſsime commonebamus, ut conuerſationem dignam ueſtra uocatione duceretis, qua uos* Deus *uocauit per fidem, ad retributionem regni & gloriæ ſuæ, ſi permanſeritis in uocatione ueſtra:* Atq; *ob hæc tanta uobis, partim præſtita, partim promiſſa beneficia, non ceſſamus à gratiarum actione: quoniam cum audiſſetis, ex noſtra prædicatione ſermonem in quo auditur & diſcitur myſterium* Dei, *accepiſtis illud credentes, non ut ab hominibus, ſed ut uerbum à* Deo *procedens, ſicut eſt uere uerbũ* Dei, *& tanquam* Deo *uobis loquente, ſic fidem habuiſtis noſtræ prædicationi. Qui* Deus, *ĩ uobis qui credidiſtis operatur, ut credatis, ſicuti & in nobis operatur, ut illud digne prædicemus.* Vos *enim fratres, facti eſtis imitatores* Eccleſiarum *fidelium, quæ ſunt in* Iudæa *in* Chriſto Ieſu *congregatæ: quia pro*

amore nominis Chriſti,ſimilem uos perſecutionem ſuſtinuiſtis à ueſtris conciuibus,qualem & illi ſuſtinuerunt priores à fratribus ſuis Iudæis ſecũdum carnem. Qui quidem Iudæi(*ne nouum aliquid iam uideantur aduerſum ſanctos agere*) & Dominum Ieſum,*ſuum* Meßiam *occiderunt & qui hunc prænunciabant ad ſe miſſos* Prophetas: *& nos* (*qui eundem prædicamus*) Apoſtolos *eius,perſequi non deſinunt,&* Deo *non placent,& uniuerſorũ ſaluti propter inuidiam obſiſtunt, quærentes impedire nos ne* Gentibus *ſalutem prædicemus*. Ita *ſanè ut impleant menſuram patrum ſuorum ſemper, patrum ſuorum delictis ſua adijciẽtes grauiora.*Nam *ſub ira* Dei *ſunt, propter ſuam obſtinationem, & perſeuerabunt uſque in finem ſeculi, quãdo reliquiæ* Iſrael *ſaluæ fient.*Nos *autem(fratres) priuati, ad tempus modicum,aſpectu ac conſolatione corporalis præſentiæ ueſtræ,amplius laborauimus cum multo deſiderio,ad uidendum præſentiam ueſtram.*Ne *uero nos putetis hæc urbanitatis tãtum gratia dicere,ſcitote,quòd uoluimus uenire ad uos, peculiariter quidem ego* Paulus, *iam altera uice ſed impedimẽtum nobis ſuſcitauit inuidus diabolus.*Nam *quid eſt aliud unde remunerationem ſperem,aut de quo gaudeam ante dominum, aut propter qđ coronam immortalitatis æternam expecto:niſi uos qui per meam prædicationem crediſtis?*Vtiq; *uos coràm iuſto iudicio domini noſtri* Ieſu Chriſti *in die aduentus eius, eritis gloria noſtra & gaudium.*Hoc *eſt,ij de quibus & pro quibus tunc gloriabor & gaudebo,pro laboribus, quos in nobis inſtituendis exhibui,remunerationem ſuſcipiens.*

CAPVT TERTIVM.

Ob *nimium ergo deſiderij noſtri feruorem,cum amplius non ſuſtineremus ueſtrarum rerum eſſe ignari,complacuit nobis* Timotheum *fratrem noſtrum & miniſtrum* Dei, *in* Chriſti *prædi-*

cando Euangelio, nobis interim ſine eo Athenis remanētibus, ad uos mittere, ad confirmandum corda ueſtra, atq; ſuis exhortationibus conſolandum pro ſtabilitate atq; incremēto fidei ueſtræ, ut nemo tribulationibus iſtis, quas uobis ueſtri contribules infrunt: deuictus, recedat à fide ſuſcepta. Iam enim edocti eſtis & ſcitis, quod in hoc nos Deus uocauit, dum fideles fecit: ut per uarias tribulationes ad regnum pertingamus. Nam & de nobiſipſis, cum præſentes eſſemus apud uos prædicabamus uobis, perſecutiones nobis imminere, ſicut et factum eſt, & iā auditu cognouiſtis. Propter hoc, inquam, quoniam in tribulationibus agitis, miſi Timotheum ut cognoſcerem certo de cōſtātia fidei ueſtræ: Ne forte nobis abſentibus tentator diabolus uos tentauerit, & deuicerit, noſtrosq; labores (quantum ad ueſtram ſalutem) irritos fecerit. At uero nunc, poſtaquam à uobis ad nos rediens Timotheus, ſignificauit nobis de ſtabilitate fidei ueſtræ, & charitatis uigore & quia noſtri ac noſtræ doctrinæ memores eſtis in bonum, ita nobis affecti, ut deſideretis etiam plurimum noſtri præſentiam, quemadmodum & nos ueſtram: In his, non modicum conſolati ſumus, de uobis hæc audientes, licet in multis neceſſitatibus atq; tribulationibus uerſaremur propter certitudinem ueſtræ fidei, quā ex hiſce ſignis, aperte adhuc integram cognoſcimus. Quoniā illud nos quaſi uitam, & quaſi in humanis omnibus reputamus præcipuum, ſi uos firmi ſtatis in fide Dei. Et nunc quomodo condignam poſſimus Deo gratiarum actionem retribuere, pro omnibus uobis, propter uniuerſum gaudiū quo gaudemus de uobis, corā Deo noſtro. Quem aſſiduis precibus oramus, ut opportunitatem nobis faciat ueniendi ad uos, ut abundantius inſtruamini & cōpleamini doctrina prædicationis noſtræ, in eo quòd adhuc docendum ſupereſt utq; plenius uos edoceamus myſteria

fidei ueſtræ. Ipſum autem precor Deum *qui eſt pater, & dominum* Ieſum Chriſtum, *ut dignetur iter noſtrum dirigere ad uos.* Interim *autem uos dominus creſcere & abundare faciat charitate, erga ſanctos, ad inuicem, atq; etiam in omnes, quemadmodum & nos abundamus erga uos charitate, ut confirmetur ſpiritus ueſter, ſitq; irreprehenſibilis in ſanctificatione perfecta coram* Deo *& patre noſtro, in die quando adueniet dominus noſter* Ieſus Chriſtus, *cum omnibus ſanctis ſuis in gloria ſua.* Amen.

CAPVT QVARTVM.

Cæterum fratres, rogamus uos et obſecrantes exhortamur, in domino Ieſu: *ut ſic conuerſemini, quemadmodum à nobis audiuiſtis, quomodo oporteat uos uitam omnem inſtituere, &* Deo *placere, ut in bonis amplius proficiatis. Scitis enim, quæ præcepta uobis tradiderim per dominum* Ieſum, *à quo ea accepi, et in cuius uirtute ea tradidi uobis obſeruanda.* Nam Dei *beneplacitum eſt, ut uos ſanctificemini et ſancti ſitis, abſtinendo ab ijs, quæ uos poſſent reddere coinquinatos: ut ſciat unuſquiſque ſuũ corpus cuſtodire, in ſanctitate & honore, impollutum, non permittendo ipſum paßionibus malæ concupiſcentiæ inhonorari atq; corrumpi, quemadmodũ gentes faciunt,* Deum *neſcientes.* Et *nemo per uim opprimat, aut in negocio uel tractatu fallaciter decipiat fratrem ſuum: quoniam hæc omnia* Deus *iudicabit in iudicio, ſicut cum eſſemus apud uos prædiximus uobis, & in uerbo domini teſtificati ſumus.* Non *enim uocauit nos* Deus *ad fidem ſuam, ut in immunditia peccatorum noſipſos polluamus, ſed ut in ſanctitate uitam ducamus.* Itaq; *qui hæc præcepta tranſgredi non ueretur, ſciat ille, non me hominem tantum ſe contemnere, ſed magis* Deum, *cuius ſunt præcepta, ego uero tantum denunciator ac præco eorundem.* Qui Deus, *etiam ſpi*

ritum ſuum ſanctum dedit in cordibus noſtris, qui nobis præbet adiutorium, ad obſeruationem præceptorum eius. De charitate uero fraterna, non eſt neceſſe, ut quicquam ſcribã uobis. Iam enim à Deo edocti eſtis, ut inuicem ueritate & opere diligatis: quemadmodum ipſa ueſtra opera monſtrant, quæ in omnes fratres per uniuerſam Macedoniam miſericorditer in charitate exhibetis. Rogamus inſuper uos fratres, ut ad profectum quotidianum in ſpiritualibus bonis diligenter laboretis, ac ut ſtudeatis quieti eſſe, ſuum quiſque negocium agentes, & operemini manibus ueſtris, ſicut præcepimus uobis: ut honeſta appareat, & decens conuerſatio ueſtra, etiam erga infideles, & ne cogamini aliena, uel deſiderare, dum proprijs laboribus ſuſtentamini. Nam ocioſos, penuria fures facit. Præterea, de mortuis ſcire uos uolo rei plenam ueritatem: ut non ſic inconſolabiliter triſtitia deijciamini, quomodo illi qui ſpem futuræ reſurrectionis nullam habent. Nam quia credimus (ut uerum eſt) Chriſtũ à mortuis ſurrexiſſe: ſic & de reliquis qui in domino mortui ſunt credere debemus, quòd Deus pater adducet eos per Chriſtum unà cum eo, in nouiſſimo die. Hoc enim uobis ut certum & firma fide tenendum dicimus, tanquam uerbum domini: q̃d illi qui uiui tunc relicti erunt, quosq; dies illa ſuperſtites inuenerit (de quorum numero poſſibile eſt ut nos quoque futuri ſimus, propter quod me illis quoq; connumero) in aduentu domini ad iudicium, nullo modo priores erunt in reſurgendo, ijs qui multo ante mortui ſunt. Quoniam ipſe dominus, tanquam imperator habens poteſtatem iudicium faciendi, per imperium iuſſionis ſuæ, per miniſterium uocis archangeli, & angelorum ſub eo conſtitutorum, ac tubæ quæ perſonabit ad reſurrectionẽ mortuorum, deſcendet à patris dextera in qua nunc reſidet glorioſus, ad inferiora aeris huius loca, & qui in Chriſto mortui

ſunt, reſurgent dignitate priuilegioq́; eximio priores obuiam procedentes iudici in aſſumptis corporibus glorificatis. Qui uero ſine Deo *mortui ſunt, reſurgent quidem & ipſi, ſed propter miſeriam poſteriores: quoniam in terra remanebunt, ſententiam horribilem cum formidine expectantes.* Item etiam *& illi qui tunc uiui reperientur atq; ſuperſtites fideles, ſimul cum illis qui multo ante mortui fuerant, diuina uirtute ſubleuabuntur, ut procedant obuiam* Chriſto *in aeris ſuperiorem locum, & ſic ſemper omnes pariter fideles, ex tunc cum domino erimus.* In *his itaq; uerbis uerißimis & certißimis, inuicem uos conſolari debetis, ne ſupra modum, gentilium more, ſuper mortuis contriſtemini.*

CAPVT QVINTVM.

De *temporibus autem uenturis, & temporum articulis (fratres) non fuit neceſſe uobis multa ſcribere curioſius.* Ipſi *enim, quantum hac de re ſcire conuenit, iam ſcitis.* Nempe *quod dies illa aduentus domini, ſic ueniet, cum non putatur, quomodo fur ſolet in nocte, ea potißimum hora qua neſcitur, aduenire.* Cum *enim exiſtimauerint ſe ſecuros & ſine periculo, tunc ſubito eos opprimet mors, & perditio, & ueniet is dolor inæſtimabilis, cuiuſmodi eſt dolor parturientis (quem cũ certo expectet mulier, horam tamen neſcit, ſed plerunq; opprimit etiam nihil cogitantem) & non euadent.* Hæc *autem non dicta ſint ad terrorem ueſtrum.* Vos *enim non eſtis increduli, in nocte uerſantes, ut uos dies illa deprehendere ualeat, tanquam fur, imparatos atq; dormientes.* Omnes *enim uos in luce eſtis atq; in die, propter fidem ueſtram.* Non *autem ſumus in nocte incredulitatis, neq; in peccatorum tenebris.* Propter *quod neq; dormiendum eſt nobis, aut ceſſandum ab operibus bonis, quemadmodum faciunt cæteri qui non credunt: ſed uigilantes expectemus aduen=*

tum domini, & ſimus ſobrij, in omnibus noſtram concupiſcentiam frænantes. Tempus enim dormitionis et dormientiũ, nox eſt, et inebriari ſolent potiſsimum nocte homines. Atq; ob hoc nos qui in nocte non ſumus, ſed in die, nequaquam conuenit eiuſmodi noctis actionibus inuolui, ſed ſobrij eſſe debemus: aſſumentes pro indumento atque defenſione fidem & charitatem, uelut loricam: quæ ex bonis actionibus componitur, quas fides per dilectionem operatur: aſſumentes item ſpem æternæ ſalutis in galeã; quæ id quod in homine ſummũ eſt, tutatur atque defendit. Idq; omnino conuenit, quoniã non uocauit nos Deus, ut iræ ſuæ redderet obnoxios, aut iram ſuã in nobis manifeſtaret: ſed ut acquiramus ſalutem æternam, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis ſaluandis, ad hoc ut ſiue uiuẽtes corporaliter, ſiue morientes, ſemper cum illo uita ſpiritus uiuamus. Ob hoc conſolantes exhortemini inuicem, et ad ſpiritalem profectum adiuuate, ſicut & confido uos recte facere. Rogamus autem uos fratres, ut obſeruantes agnoſcatis eos qui laborant inter uos, & qui præſunt uobis in domino, et monent uos atq; etiam corripiunt, ut illos non ſolum non odio habeatis, ſed etiam abundantiori dilectione proſequamini, propter opus adminiſtrationis eorũ. Rogamus igitur uos fratres, ut eos qui inter uos inordinate atque uagabunde obambulant etiam acrius admoneatis: eos qui ſunt parui atq; puſilli animi, conſolemini: infirmiores & imperfectos, ſuſtineatis: & in uniuerſum erga omnes ſitis patientes. Cauete nequis malum reddat pro malo cui uis hominum, ſed ſemper ſtudete benefacere, non ſolum inuicem, ſed etiã omnibus hominibus. Semper gaudete in domino, nunquam intermittite orationem, de omnibus ſemper Deo gratias agite. Hoc enim eſt beneplacitum Deo per Chriſtum Ieſum, de omnibus uobis: nimirum ut ſemper gauden

tes atque orantes, perſtetis in gratiarum actione. Nolite impedimentũ præbere habitanti in uobis ſpiritui ſancto, neq; ullum ſpiritus donum uelitis delere: peculiariter uero prophetiæ donum ne ſpreueritis, quod eſt donum inter cætera magis Eccleſiam ædificans. Omnia autem probate, & examinando dijudicate. Quod uero fuerit, iudicio eorum quorum intereſt iudicare, bonũ comprobatum, id teneatur: quod ſecus, reijciatur. Ab omni non tantũ malitia, ſed etiam eo quod ſpeciem habet mali, cauete uobis: ut omnem tollatis occaſionem ſcandali, quantum eſt in uobis. Ipſum autem Deum, à quo eſt pax omnis, qui pacem diligit, eamq; inhabitat precor: ut per omnia plene uos ſanctos efficiat, ut ſpiritus ueſter integer atque incorruptus uitio, cuſtodiatur. Itemq; anima & corpus (id eſt, portio rationis ſuperior & inferior) atque corporis ſenſus infimus, & in uniuerſum omnes corporis & animæ uires, in diem aduentus domini noſtri Ieſu Chriſti. De Dei quidem adiutorio, nihil eſt diffidendum. Fidelis eſt enim, qui etiam perficiet quod cœpit, ſi nos nõ deſimus gratiæ eius. Fratres, orate pro nobis. Salutate fratres omnes, p̃ ſanctæ pacis oſculum. Diſtricte uobis præcipio, atq; per dominum iuramento uos conſtringo: ut liceat epiſtolam hanc omnibus fratribus legere, qui id requiſierint, & nemo fidelium expoſcens prohibeatur. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, ſit & maneat cum omnibus uobis. Amen.

Finit Elucidatio in Epiſtolam priorem ad Theſſalonicenſes, beati Pauli Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM ĩ Epiſtolã ad Theſſalonicẽſes ſecũdã btĩ Pauli Apoſtoli.

Quemadmodũ ſolent peruerſi homines aliorum benedicta facile peruertere, ita uidentur fuiſſe apud iſtos Theſſalonicenſes, qui

ex uerbis Apoſtoli perterre faciebant ſimpliciũ animos, quaſi iam in proximo eſſet dies iudicij extremus. Cuius dicti occaſio uideri poteſt ex eo ſumpta quod dicitur priori epiſtola: quoniã dies domini ſicut fur in nocte, ita ueniet. Apoſtolus igitur de hac re plenius eos inſtruere, & perturbatos quorundam animos conſolari uolens, hanc ſcribit eis ſecundam Epiſtolam. In qua primum gratias agens Deo, eorum & charitatem & patientiam collaudat: eorum quidem qui nunc perſecutionem patiuntur, felicem retributionem, eorum autem qui ſanctos perſequuntur, uindictam in nouißimo die, & pœnam uenturam proponens: ſimul & orans Deum, ut eos faciat ſua uocatione ſemper digne uiuere, ad gloriam Chriſti. Poſt hoc ſecundo capite, ad principale propoſitum accedẽs, rogat eos, ut nulla ratione ſe terreri aut perturbari permittãt falſis cõfictis'que rumoribus, de nouißimi diei aduentu in proximo imminenti: de quo conſequenter eos ueritatem edocet, dicens primum diſceßionem debere fieri, & filium perditionis Antichriſtum reuelari: de cuius aduentu qualis ſit futurus, & eorũ qui ei ſunt credituri, deceptione, eiusq; per Chriſti ſententiam & uirtutẽ interemptione & condemnatione, plura diſſerit: gratiarum actionem, de bona eorum electione, exhortationem ad Apoſtolicarum traditionum obſeruantiam, & deprecationem pro confirmatione in bono, ſimul ſubnectens. Tertio deinde capitulo, pro ſe & profectu prædicationis ſuæ, diſcipulorum orationem poſtulat, bene confidens de eis. Denunciat autem cum ſeueritate, ut intendant correctioni eorum qui uagabundi et ocioſi obambulant, nihil operis agentes, ſed paraſitorũ more alienum panẽ in ocio manducantes, quales audiuit nonnullos inter eos ſuſtineri: & ſic eos uult puniri, ut cæteri ab eorum conſortio ſe ſeparent, quo confuſi emendent delictum: ſic tamen, ut non odio

habeantur quaſi inimici, ſed ut in charitate fraterna hæc eis punitio & correctio adhibeatur. Poſt quæ, pace eis optata & ſalutatione in ſignum appoſita, ita terminat epiſtolam.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD Theſſalonicenſes poſteriorem beati Pauli Apoſtoli.

CAPVT PRIMVM.

PAulus Syluanus & Timotheus ſcribunt Eccleſiæ Theſſalonicenſi in Deo patre & Chriſto Ieſu cōgregatæ. Sit uobis gratia et pax à Deo, patre omnium credentiū, & domino Ieſu Chriſto. Debemus ſine intermiſſione Deo gratias agere pro uobis, ratione beneficiorum in uos collatorum, quēadmodum iuſtum eſt: quoniam creſcit indies fides, & augmentū ſumit charitas ueſtra, qua uos mutua proſequimini dilectione: Ita ut noſipſi cum gloria & gaudio prædicemus in cæteris fidelium eccleſijs, ad earum ædificationem exemplum patiētiæ ueſtræ, & fidei conſtantiam quam demonſtratis in tolerantia omnium perſecutionum atque tribulationum, quas uos Deus permittit ſuſtinere, ut ex hoc demōſtret ſuum iuſtum iudicium: Nempe ut uos: ex patientia digni inueniamini, ſecundum iuſtū illud Dei iudicium, regno Dei æterno atque corona gloriæ, pro cuius fide & cōſecutione nūc patimini tribulationes iſtas: qui uero uos affligunt, digni inueniantur perditione æterna. Si tamen iuſtum eſt hoc coràm Deo iudice (ſicut omnino conſtat iuſtiſſimum eſſe) ut retribuat eis ipſe tribulationem in illo die qui uobis nunc tribulationes ſine cauſa inſtrūt, propter nomen eius: uobis autem qui tribulamini nunc in præſenti tempore, ut tunc reddat requiem ſempiternam unà nobiſcum ut quo

modo ſocij eſtis paßionum, ita ſitis in futuro & conſolationis. Tunc (inquam) quando reuelabitur in gloria maieſtatis ſuæ dominus Ieſus, de cœlo ueniens, cum angelis miniſtris ſuis, de executoribus uoluntatis ſuæ perditurus impios per flammã ignis, qui Ieſus uindictam faciet per ignis huius miniſterialem executionem, aduerſus eos qui noluerunt agnoſcere Deum dum uiuerent, fide & operibus bonis, & qui noluerunt obedire Euangelio domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui æternas exoluẽt pœnas, mortem æternam ſuſtinentes, iudicio & definitione domini, iudicantis in gloria uirtutis ſuæ, quando ueniet glorioſus fieri in ſanctis ſeruis ſuis, eis gloriam communicando, & admirabilis apparebit in glorificatione fidelium ſuorum, quoniam teſtimonio prædicationis noſtræ uos credidiſtis, in diem illum, ut tunc ſalui ſitis. Pro quo etiam orare non ceſſamus de uobis, ut Deus uos habeat et faciat dignos hac uocatione qua iam uocati eſtis, faciẽdo uos dignam ſibi uitam ducere, & complere uos faciat atq; perficiat in uobis omne ſuũ beneplacitum, quod eſt in omni bonitate atq; in omni uirtute, & impleat in uobis operationem fidei ueſtræ congruam per uirtutem ſpiritus ſui, ad eum finem, ut nomen domini noſtri Ieſu Chriſti in uobis credentibus glorificetur: & uos glorificemini per illum, ſecundum gratiam & miſericordiam Dei patris & Domini Ieſu Chriſti, quam nobis pater per filium exhibuit.

CAPVT SECVNDVM.

R*ogamus autem uos fratres per aduentũ Domini noſtri Ieſu Chriſti ad iudicium, & per congregationem qua nos omnes in illo aduentu ad ipſum cõgregabimur, ut nõ facile à ueſtro iudicio, in quo per nos inſtructi eſtis, recedatis, neq; terreamini, ſiqui ſe fingunt per ſpiritum prædicere quòd inſtet dies Domini: ſiue ſermone hoc præſentes prædicent, ſiue abſentes per Epiſtolam*

ipſum

pſum agant ,noſtro nomine falſo ſcriptam, uel aliter quàm uolebamus intellectam. Hoc, inquã, rogo, ut non ſinatis in huiuſmodi erroneas perſuaſiones induci. Quoniam iuxta rei ueritatem dies domini non ueniet, niſi ante uenerit defectio Romani imperij, atq; etiam fidei et charitatis penè in uniuerſis: & niſi prius manifeſtatus fuerit ille homo ſceleratus atq; impius , quẽ poßidebit æterna perditio: qui aduerſabitur (blaſphemãdo, & alios blaſphemare cogendo) immo ſuperbe efferet ſe, ſupra omnem Deum: nõ ſolum uerum, ſed etiam aduerſus & ſuper eos, qui ſolo nomine dij appellantur. Adeo ut in templo quod Deo erat ſacratum, thronum ſit ſibi collocaturus, exhibiturusq; ſeipſum ut Deum, uolens omnibus dijs relictis ſolus adorari. Nõ tenetis memoria, quod hæc dicebamus uobis, cum eſſemus præſentes apud uos ? Et nũc ex his noſtris uerbis facile poteſtis intelligere, quid demoretur aduentum eius (id eſt , uel Chriſti ad iudicium, uel Antichriſti ad regnum ſuum) nimirum hoc, quod in ſuo tempore debet reuelari Antichriſtus, quod quidem tempus nondum uidetur impletum. Nam nunc quidẽ interim uſque dum ille ueniat, figura quidem illius iniqui & peßimi forſitan regnat, aut dominatur. Nam Antichriſti multi ſunt , & omnis perſecutor aut hæreticus, myſterium & figura Antichriſti eſt. Illud tantum curandum eſt , ut quiſquis nunc tenet rectam fidẽ atq; charitatem Dei, pergat tenere, ac perſeueret, nec dimittat, donec deficiat Romanum imperium, atque fides Chriſtiana penè in uniuerſis . Et tunc ille iniquus reuelabitur , & iniquitas eius patefiet per Chriſtum dominum, qui illum interficiet palàm omnibus, per ſententiam oris ſui , adueniens contra ipſum (ſiue per ſe, ſiue per angelos executores) ut deſtruat per fulgurationem ſuam in magna gloria, illum impium qui aduenit ad perſuadendum hominibus, non uirtute diuina armatus, ſed ad-

iutorio diaboli innixus, cuius miniſterio, miras uirtutes uidebi= tur edere: ſigna magna & prodigia faciens, ſed mēdacia (quæ etiam ſi uera fuerint nonnulla in re, tamen ad mendacium ſua= debunt) ut ſeducat homines ad iniquitatem à uirtute, homines (inquam) perditos, & filios damnationis, eo quòd Chriſti cha ritatem atq; ueritatem noluerunt fide recipere, ad ſuam ſalutē. Propter quod, permiſit uenire illis operationē huiuſmodi, quæ in errorem eos induceret, ut crederent falſitati: ut condemnen= tur omnes qui maluerūt iniquitati credere, quàm ueritati. Nos *uero ſciētes uos ab hoc periculo* Dei *gratia liberatos, debemus ſemper gratias agere* Deo *pro uobis, ò fratres mei, quos* Deus *in ueritate dilexit atq; etiā diligit: debemus (inquā) agere gr̄as* Deo, *eo* ꝙ *ipſe uos ab æterno elegerit: ut eſſetis ĩter Chriſto cre dētes, uelut primitiui (& tēporis primitate, & fidei præcellē tia) ad ueſtram æternam ſalutē.* Elegit *(inquā) uos ſanctifican= do per ſpiritum ſuū, in hoc quòd ueritati credidiſtis ſancti* Euā *gelij, ad quam uos* Deus *uocauit, per miniſterium prædicatio= nis noſtræ, ut acquiratur gloria* Domino *noſtro* Ieſu *Chriſto: hoc eſt, ut nomen eius glorificetur per fidem credentium.* Itaq; *fratres, quando ſic uocati eſtis, permanete uiriliter in fide ac uocatione ueſtra, obſeruate præcepta atq; ordinatiões quas uo bis tradidimus, ſiue per uerba præſentes, ſiue per epiſtolam ab ſentes.* Ipſe *autem dominus noſter* Ieſus *Chriſtus, &* Deus *pa= ter noſter, qui dilexit nos, & dedit nobis in ſpe conſolationem, non utiq; temporalem, ſed æternam atq; cœleſtem, & ſpem ue= re bonam, per gratiam quā interim tenemus donec ueniat glo= ria quam expectamus:* Ipſe *(inquam) ueſtra corda, exhortatio= nibus ſuis internis conſoletur, atq; corroboret in omnibus ope ribus, atq; ſermonibus bonis: ut nec* ꝑpter *tribulationes inſtan= tes, nec propter operū ſigna, nec propter uerba miranda* Chri

ſtianæ fidei anittatis confeßionem.

CAPVT TERTIVM.

Cæterum fratres, petimus ut oretis Deum *pro nobis, ut liceat nobis iniunctum prædicationis munus debite peragere, ut uerbũ* Dei *ueociter proficiat, atque late diffuſum clarificetur, ſicut apud uos iam habitat, & prædicatum eſt: & ut expediamur* Dei *adiutorio ab ijs qui nos impediunt, moleſtis ſiue abſurdis hominibus, atq; auerſis à* Deo *cuiuſmodi ſunt carnales* Iudæi, & Idololatræ Gentiles. Non *enim omnes credunt* Euangelio, *ſed ij tantum quibus datum eſt.* Fidelis *eſt autem* Deus *qui uos quos elegit & iam olim uocauit, in futuro etiam confirmabit in bono, & ne in malum cadatis ſeruabit. Cõfidimus autem fratres, opinionem habentes bonam de uobis, quòd omnia præcepta noſtra & traditiones, obſeruatis & obſeruabitis.* Precor *autem* Deum *ut ſpiritus ueſtros inter tãta ſeculi mala, in recta charitatis diuinæ ſemita, inq; patienti expectatione aduentus* Chriſti *deducat & regat ne declinetis à uia huius rectitudinis.* Præcipientes *autem denunciamus hoc uobis omnibus, in nomine & uirtute* Domini *noſtri* Ieſu Chriſti, *ut non habeatis commercium cum illis nomine ſolo* Chriſtianis *qui inquiete & uagabunde circumuagantur contra traditionem à nobis præſcriptam.* Illud *enim ipſi uos ſcitis, quomodo debeatis noſtrum in hoc exemplum imitari: quoniam cũ apud uos eſſemus, non eramus inordinate uagãtes per ocium, neq; in ocio panẽ cuiuſquã manducauimus: ſed in labore & fatigatione multa, ſemper & nocte & die aliquid boni operis agentes, nunc prædicando, nunc manibus laborando, nunc orando, nunc priuatis admonitionibus exhortando, ne uobis eſſemus oneri, panem ocioſe manducantes.* Neq; *uero ſic aßidue laborauimus, etiam uſque ad labores manuum, quaſi non licuiſſet nobis ſine manuum la-*

bore uictum accipere, ſed ut exemplum uobis daremus in no=
biſmetipſis, quod uobis ſit imitandũ. Nã & olim præſentes de
nunciabamus uobis, de eiuſmodi hominibus quibus neceſſe eſt
ſibi uictum quærere, neceſſarium eſſe, ut qui uellet manducare
laboribus uictum quæreret, non autem adulationibus paraſi=
ticis, atq; circumuagationibus. Nam tales quoſdam relatum eſt
nobis inter uos exiſtere, qui ſine ordine prorſus incompoſiti
& uagabundi nihil quidem operis ipſi facientes, ſed curioſe
aliorum omnia perſcrutantes circumeunt. Et quidem tolerabi
le, immo laudabile extitiſſet, ſi ob orationis aſſiduæ inſiſtentiã,
à laboribus manuum abſtinuiſſent. Huiuſcemodi uero uagabun
dis præcipimus, immo ut uel ſic acquieſcant, eos obſecramus
per Dominum Ieſum Chriſtum ut in ſilentio & quiete aliquid
operis facientes, ſuis laboribus paſcantur. Vos autem fratres
in uniuerſum omnes, nolite à benefaciendo aliquando ceſſare,
aut remiſsius agere, ob aliorum huiuſmodi praua exempla. Si
quis uero ne nunc quidem denuntiationi huic noſtræ per hanc
epiſtolam factæ uoluerit acquieſcere, hunc obſeruantes notate,
& cõmuni iudicio uniuerſi eius defugiatis ſodalitium, quo ſic
tandem confuſus emendetur. Nolim tamen ut inimicum odio
proſequendum, aut prorſus abijciendum, ſed admonendum ab
ijs qui gratiam habent, atq; etiam conſolandum & corripien=
dum magna cura, prout expediens uidebitur, tanquam fratrem
eodem baptiſmate regeneratum. Ipſe autem Deus pacis, det uo
bis pacem ueram & ſempiternam per omnia in omni loco. Sit
autem dominus cum omnibus uobis per ſuam gratiam in uo=
bis inhabitans, uosq; adiuuans in bonis agendis, & à malis cu=
ſtodiẽs. Salutationem ego Paulus propria manu ſubſcribo, quæ
eſt ſignum & teſtimonium in omni epiſtola à nobis miſſa, quo
& à confictis Pſeudoapoſtolorum epiſtolis, noſtræ diſcernan=

tur. Ita *ſolitus ſum ſcribere, Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum omnibus uobis. Amen.*

Finit Elucidatio in Epiſtolã ad Theſſalonicenſes *poſteriorem, beati* Pauli Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM *in* Epiſtolã *ad* Timotheũ *priorẽ beati* Pauli Apoſtoli.

Timotheum *ætate quidem iuniorem, ſed morum maturitate, fidei præclaritate, & ſcripturarum eruditione præcellentem,* Paulus Apoſtolus Epheſijs Epiſcopum *abſcedens reliquerat, ad quem nunc ſcribit nondum uinculis alligatus, priorem hanc* Epiſtolam *in qua, poſt ſalutationẽ, ſtatim eum falſis iubet prædicatoribus ſe opponere: qui uaria & fabuloſa ſiue ſecularis ſapientiæ, ſiue* Iudaicæ *obſeruationis figmenta prædicabant, charitatem & bonam conſciẽtiam (quæ finis eſt omnis præcepti) negligẽtes: legẽ tamen bonã eſſe nõ negans ſiquis ea ut oportet recte utatur, quoniam lex non niſi propter iniuſtos poſita eſt, ad compeſcendum atq; ad ulciſcendum.* Ipſe autẽ Deo *gratias agit magnifice, qui ſe prius blaſphemum & peccatorũ primũ, dignatus eſt, non ſolum ad fidei gratiam uocare, uerum etiam in apoſtolatus miniſterio conſtituere, ad exemplum & conſolationem omnium peccatorum, ut prorſus nemo deſperet propter peccatorum magnitudinem:* Timotheum *ſimul cõmonefaciens, ut* Chriſti *militiam egregie militet, in fide recta & bona conſcientia, à quibus dum aberrarunt* Hymenæus & Alexander, *ſatanæ ſunt traditi.* Atq; *iſta quidẽ, capite primo.* Poſt *hæc, orari iubet peculiariter pro iis qui ſunt in poteſtate qualibet conſtituti, à quibus pendet bonum plurimorum, potiſſimũ autem pax & tranquillitas temporis: & in uniuerſum pro omnibus hominibus, eo quòd* Deus *omnes uelit (quantũ in ſe eſt)*

fieri ſaluos, qui ſeipſum dedit pro omnibus, in pretium redemptionis. Dehinc uiros, ad orandum patrem in ſpiritu, in omni loco, in cordis puritate, hortatur. Mulieribus autem, ornatum & cultum ueſtium ſuperfluum, & docẽdi in Eccleſia, atq; in uirum dominandi, interdicit officium, uolens eas cultu decẽti incedere, in ſilentio diſcere, atq; in ſubiectione uiro obedire. Tum quòd de uiro primum facta ſit mulier, & propter uirum in auxilium formata. Tum quòd ab ipſa fuerit præuaricationis initium. Saluandam autem dicit mulierem per liberorum generationem, ſi eos in timore Dei educauerit. Poſt hæc tertio capitulo, Epiſcoporum & ſacerdotum atq; etiã diaconorum cõditiones, quales eſſe debeant, dilucide & prolixe demonſtrat, quæ ob hoc ſcribit Timotheo, ut ſciat ex hac Apoſtolica præſcriptione quemadmodũ in Eccleſia debeat conuerſari, & quales debeat ſuper populum Dei conſtituere, cui magnum pietatis ſacramentum de incarnatione filij Dei eſt creditum ad ſalutem. Dehinc capite quarto, per ſpiritum, de ſeductoribus uenturis in nouiſsimis temporibus prædicit, qui ab ijs quæ Deus permiſit licita, ſunt homines prohibituri: cũ tamen omnis creatura bona ſit, per uerbum Dei ſanctificata. De his autem præinſtruere eum & præmonere iubet populum Dei, ut ueræ pietati ſuper omnia intendant, quæ eſt ſperare in Deum, omnium hominum, & maxime fidelium ſaluatorem. Timotheum uero ipſum exhortatur, talem ſe exibere in conuerſatione, ut gregi ſuo luceat in exemplum, nec iuuentutis occaſione eis ueniat in contemptum. Inſtare autem eum iubet lectioni, exhortationi, & doctrinæ, & munus ſibi iniunctum non negligere, ut ſe pariter & gregem ſibi commiſſum ſaluet. Poſt hæc quinto capite, docens eum ſolerter cuiq; iuxta ſuam conditionem, ætatem & ſexum intendere ſeniores (ſiquando ueniant arguendi) mo=

net obſecrando magis quaſi patres, quàm acriter obiurgando. corrigendos, ubi id commode fieri poterit. Iuuenes autē ut fratres, adoleſcentulas ut ſorores, in charitate & lenitate, ſalua tamē omnimoda caſtitate, & omni ſuſpitione remota. De uiduis autem, quæ deſolatæ ſunt humano adiutorio, quomodo ipſe in Deū ſpem ſuam proijcere, & Eccleſia eas enutrire debeat, conſequenter ordinat, & quales iſtæ ſint futuræ uiduæ, quæ ad Eccleſiaſticam ſuſtentationem recipiantur, ex operibus præſcribit excludens eos quæ per adoleſcentiæ ardorem ſunt minus probatæ & de quibus propter ardorem concupiſcentiæ, & conuerſationis inſtabilitatem aut imperfectionem, periculū foret, uel in luxuriam cadendi uel à Chriſto ſe auertendi: quas mauult Apoſtolus iungi matrimonio, & ſic in familia ſua regenda, ac liberis educandis occupari, quàm in ocio laſciuire, uagabundasq; aut curioſas circumire, in ſcandalum aliorum, aut etiam à ſuo propoſito poſt Satanæ ſuggeſtiones recedere. Et ne grauetur Eccleſia, illas quæ filios habent, aut tales à quibus poßint & debeant ſuſtentari, uult ab ijs ad quos pertinet, priuatim ſuſtentari. Poſt hæc de preſbyteris bene ſuo officio fungentibus, duplici obſequio (nempe honoris & ſuſtentationis) honorandis, & de accuſatione aduerſus illos niſi ſub duobus aut tribus teſtibus non facile recipienda, edicit. Timotheum uero obteſtatur, ut inuiolatam ſemper iuſtitiam cuſtodiat, in alterā partem non declinando, neque manus cuiquam cito imponat. Modicū etiam uini propter ſtomachi debilitatem, et malam ualetudinē, eidem indulget. Atq; in fine capitis diſcretionem ponit operū, tam bonorum quàm malorum, quorum quædam modo manifeſta ſunt, quædam latent, donec tempus ueniat quo abſcōdi nihil poterit. Vltimo autem capitulo, ſeruis præcipit obedientiam et reuerentiam præſtare dominis, ſiue infideles illi fuerint, ſiue fi-

deles eos qui diuerſa docent redarguens, uelut nihil ſcientes, ſuperbia & inuidia excæcatos quorum omnis ſimulata pietas ad quæſtum refertur. Dicit autem ſecundum ueritatem, in pietate maximum quæſtum ineſſe, ijs qui tegumentis & alimentis norunt eſſe cōtenti, ſine auaritiæ cupiditatibus, periculis uero plurimis illos eſſe expoſitos, quibus diuitiarum ineſt inordinata cupiditas, quam etiam radicem nominat omnis mali. Timotheum uero iſta fugere, & contraria monet ſectari, bonumq́; certamē ſecundū Deum cōuerſando certare: coràm Deo ei præcipiens, ut mandatum Dei inuiolatum, bene conuerſando cuſtodiat, uſq; in aduentum Chriſti glorioſum. Poſtremo, de ijs docens qui diuitias ſeculi habent, quomodo ſuis bene uti ad ſalutem poſsint, ipſumq́; Timotheum deuitando abſurdas nouitates, ſecularis ſapientiæ depoſitum cuſtodire iubens, ita claudit Epiſtolam.

Finit Argumentum.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD Timotheum priorem beati Pauli Apoſtoli.

CAPVT PRIMVM.

PAulus Apoſtolus Ieſu Chriſti iuxta quod iniunctum eſt ei à Deo ſaluatore noſtro, et Chriſto Ieſu qui eſt ſpes noſtra, per quem omnia nobis bona ſperamus, prouentura, & quo ipſo frui in futuro expectamus: ſcribit Timotheo, uere germano, atq; proinde merito dilecto filio: ſecundum fidem, non ſecundum carnem. Sit tibi gratia & miſericordia, & pax à Deo patre, & Chriſto Ieſu domino noſtro. Ita facito diligenter, ſicut te rogaui ut faceres, cum in Macedoniam concederem (nimirum ut Epheſi remaneres Epiſcopus) ad denunciandum cum terrore atq; imperio Pſeudoapoſtolis

quibuſdam ne præſumat aliter quàm nos prædicauimus, doceare. Cæteris uero rudioribus, ne aures auditumq́; præbeant fabuloſis illorum & cõmentitijs ſermonibus, aut genealogiarum ſuarũ narrationibus curioſis, quarum nullus eſt finis, quibus ſolent Iudæi *carnales plurimum inſiſtere in docendo. Quæ quidem, tam fabuloſæ hiſtoriæ quàm genealogiæ curioſius ſcrutatæ, contentiones quidem nonnunquam gignunt, & diſceptationes: nihil uero profectus aut ſpiritualis ædificationis, quæ ex ſimplicitate fidei magis cõparatur. Nam finis uniuerſus totius legis, & nouæ & ueteris, eſt dilectio* Dei *atq; proximi de mundo corde procedens, & mente ſibi bene conſcia, & fide nõ ſimulata. Quidam autem ab his quæ ueræ pietatis ſunt aberrãtes, ad deuia declinantes, conuerterunt ſe ad loquendum uana: id eſt, fabuloſa falſa, aut ad nihil utilia.* Volentes *quidem eſſe et haberi doctores legis, cum non intelligant, ſecundum ueritatẽ, nec ipſam quã loqui uolunt legem, neq; ipſa de quibus loquuntur legis præcepta.* Nam *qui neſcit legẽ umbrã eſſe, & ad* Chri*ſtum referendam, non intelligit ille legem, neq; quæ lex præcipit.* Illud *autẽ certum habemus quod bona eſt lex, utpote à bono* Deo *data, ſi modo ſic ea utamur, quemadmodum uti conuenit & ipſamet docet:* Hoc *eſt, ut ad* Chriſtum *omnia referãtur, & eo adueniente omnia negligantur, ut finem conſecuta.* Illud *ſcientes, quod lex non eſt propter iuſtos poſita, nec iuſti (qui ex libertate quæ legis ſunt faciunt, non propter legis coactionem, ſed ob uirtutis amorem) ſub lege ſeruiunt: ſed propter coercendos homines iuſtitiam contemnentes, & uirtuti atq; legi naturæ per amorem parere recuſantes, impios in* Deum, *& quouis modo in proximum peccantes, propter grauibus flagitijs oneratos & prophanos, propter patrum atq; matrum cæſores, propter homicidas, fornicarios, maſculorum concubito-*

res,plagiarios mancipia aliena furto ſub ducentes,propter mē-daces & periuros, & cæteris obnoxios uitijs ſanæ doctrinæ contrarijs:quæ ſana doctrina conſona eſſe debet,& eſt, Euan-*gelio quo prædicamus gloriam* Dei,*ſolius beati,quod mihi eſt commiſſum ut prædicem in gentibus*. Et *ego quidem gratias ago* Deo,*qui me robuſtum atq; ualidum ad id officij effecit, in fide* Ieſu *Chriſti domini noſtri: quia me fidelē duxit atq; dignū & ex ſua bona gratia idoneum,cui tantum munus cōmitteret, conſtituens in* Apoſtolatus *huius miniſterio me,qui ante aduer ſus nomen Chriſti blaſphemabam,maledictis illud inſectans et conuitijs,perſequebarq; & palàm contumelioſe expugnabam. Cum uero talis eſſem, et omnibus modis potius morte dignus: miſericordiam tamen ſum conſecutus à* Deo *in eo quòd me ab errore uocauit ad ueritatē,eo quòd per ignorantiam illa admi-ſiſſem, propter incredulitatem meam*. Non *enim ſciebam eſſe* Deū,*Chriſtum quē perſequebar, & obſequium putabam me præſtare* Deo. *Copioſe autem ſuper me gratia* Dei *effuſa eſt, & claruit in mea conuerſione,cum fide & charitate, quæ eſt in Chriſto* Ieſu. *Sermo quem nunc loquor tibi,certus eſt & in-dubitatus,& dignus qui ab omnibus credatur atq; acceptetur. Chriſtus uenit in mundum hunc,ad ſaluandos peccatores:quo-rum ego me præcipuum omnium fateor, quantum quidem ex me eſt,ſi non me* Deus *ſuo benigno aſpectu adiuuiſſet*. Verum *ideo miſericordiam fecit mecum dominus,ut in me uelut primo & præcipuo exemplo,demōſtraret Chriſtus omnimodā per-fectamq; ſuam patientiam:in me tolerando,tam miſericorditer conuertendo,& tanto beneficio afficiendo,quē uiderat ſui no-minis tam ſæuum perſecutorem: ut in me formam daret omni-bus,& ad ſpem animaret noſtro exēplo eos,qui credituri erāt in nomine ipſius, ut ſalui fiant in uita æterna.* Regi *autem &*

creatori omnium ſeculorum, & omnium quæ in ipſis ſunt, qui eſt immortalis, & uideri humanis non poteſt aſpectibus, qui eſt ſolus Deus *uerus, & præter quem non eſt alius, ipſi reddamus omnem honorem, & cum claritate omnẽ gloriam in æternum.* Amen. *Cõmendo tibi obſeruandum ô* Timothee *fili, hoc præceptum unicum, ut iuxta teſtimonia* Prophetarum *quæ ſuper te prolata ſunt, priuſquam à me ordinareris in* Epiſcopatus *miniſterio, uiriliter agas, uerbo & exemplo illis optimis de te datis teſtimonijs, reſpondendo ac ſatisfaciendo: ut milites bonam militiam, uiuasq; uitam bonam, fidem tenendo rectam, & conſcientiam ſynceram atq; immaculatam.* Q*uam, ſiue fidem rectam, ſiue conſcientiam bonam, dum quidam repulerunt, in fide periclitati ſunt, & à fide exciderunt.* Ex *quorum numero ſunt* Alexander & Hymenæus, *quos ego excommunicatos ab* Eccleſia, Satanæ *poteſtati tradidi, in afflictionẽ carnis, ut doceantur non blaſphemare, & fidei ſanæ non aduerſari.*

CAPVT SECVNDVM.

O*bſecro igitur atq; exhortor ante omnia ut fiant deprecationes ꝓ liberatione à malis, orationes pro conſecutione bonorum, interceßiones pro aliorum conuerſione & ſalute, & gratiarũ actiones pro acceptis bonis, idq; pro omnibus hominibus.* Peculiariter *tamen pro regibus & principibus, & q in regminis qualibet poteſtate ſunt conſtituti: quoniam ab his, pendet bonum plurimorum.* Futurum *eſt enim, ſi illi orationibus noſtris conuertantur, ut quietam in pace, et tranquillam à perſecutionibus uitam agamus in hoc mundo, ſine impedimento pietati uacantes, & uitæ puritati.* Hoc *enim (nempe ut pro omnibus hominibus oremus) non ſolum malum non eſt, neq;* Deo *contrariũ: ſed etiam* Deo *beneplacitum & gratum, qui deſiderat quidẽ, quantum in ſe eſt omnium ſalutem, & gratiam dat ſufficientem*

uniuerſis hominibus, qua ualeant ſalutem conſequi ſi ipſi ſibi non deſint, nolentes Deo *cooperari.* Et *neminem excludit à ueritatis cognitione, ſed deſiderat magis ut eũ omnes agnoſcant, et in eum credant: quoniam omnes illuminat, uenientes in hunc mundum.* Vnus *eſt enim* Deus*, et unus eſt mediator inter* Deũ *& hoĩes, homo* Chriſtus Ieſus*: qui ut pacem faceret inter* Deũ *& homines, tradidit ſemetipſum in redemptionis pretium pro omnibus hominibus in uniuerſum, nullo excluſo.* Cuius *Chriſti mediatoris, ueritatis teſtimonium, confirmatum eſt et comprobatum ſuis temporibus:* Nimirum *& ante* Chriſti *aduentum, per umbras legis, &* Prophetarum *oracula, & poſt* Chriſti *mortem per prædicationem* Apoſtolorum*, ſignaq́; ac prodigia ſpirituſſancti, ſermonem confirmantia.* Ad *cuius teſtimonij &* Euangelij *publicationem, ego conſtitutus ſum & ordinatus à* Deo*, præco atq;* Apoſtolus*.* Veritatem*, hoc dicens, loquor puram ſine mendacio ego, qui ſum doctor* Gentium *à* Deo *deputatus, ut illas inſtruam in fide & ueritate non in umbra aut obſeruantijs carnalibus.* Itaque*, ut cœpi dicere in genere de oratione, ita ſpeciatim præſcribens, uolo quantum ad uiros ut ſine loci reſpectu, ubicunque fuerit opportunum, orare ſtudeant in ſpiritu & ueritate, extendentes ad* Deum *puram mentem & puram uoluntatem, in pace, ſine ira aut diſceptationibus, quæ orationis exauditionẽ impediunt.* Item *et mulieres uolo orare, decenti atq; modeſto amictu ueſtitas, componentes ſe honeſte atq; decenter ſalua uerecundia & caſtitate: ne uel nimia nuditate in uerecundiam, uel nimio ornatu oſtentent prouocentq́; laſciuiam.* Non *in tortura crinium artificioſa, aut auro ſuperfluo aut gemmis pretioſis, aut ueſtitu ſupra ſuum ſtatum nimiũ pretioſo, aut aliàs quomodocunq; curioſo & ſuperfluo ornatu: ſed faciant quod ſuum ſtatum et bonas mulieres decet, præſe*

ferentes pietatem per bona opera, quemadmodum hæ curioſæ laſciuiam promittunt, atq; oſtentant, per ſuum ornatum ſuperfluum. Mulier in ſilentio & quiete diſcat, agnoſcendo ſe ſubditam eſſe uiro. Docere autem, non ei permitto in eccleſia, uel præſentia uirorum fidelium, neque authoritatem ſibi dominij, uendicare in uirum: ſed eas ſilere uolo, & uiris ſuis ſubiectas eſſe. Nam & natura hoc ipſum docet, Adam enim formatus eſt, anteq̃ eſſet ſexus muliebris, deinde uero Eua de latere Adæ formata eſt, propter eum in adiutorium. Neq; prior fuit Adã ſeductus in tranſgreßione, ſed ab Eua, ſeductio radicitus atque primitus orta fuit. Neq; ſic fuit ſeductus Adã, ut crederet uerum eſſe ſerpentis mendacium: Mulier autem à ſerpente perſuaſa, credidit ipſum uera loqui. Habet autem, tametſi non doceat, nec dominetur, etiam ipſa, quomodo ſaluari poßit: nempe ſi filios generet eóſque educare curet, in timore Dei: ſi modo ipſa permanſerit, atq; eruditione bona (quantũ poteſt) curauerit, ut & filij permaneant, in fide Chriſti, & dilectione, et ſanctitate, & puritate uitæ, atque ab omni luxu omnimoda continentia.

CAPVT TERTIVM.

Sermo fide dignus eſt quem loquimur, & indubitatus. Siquis officium Epiſcopatus deſiderat, bonum ille haud dubie opus deſiderat: quoniam ſuperintendere dominico gregi cum diligentia (quod eſt Epiſcopi officium) bonum opus eſt ualde. Oportet enim Epiſcopum aut quemlibet ſacerdotem, eſſe talis uitæ: ut nihil grande aut infamatorium, aduerſus ipſum iure ac merito poßit obijci: qui non niſi unam habuerit à baptiſmo uxorem, ſobrium, morum grauitate ornatum, prudentem in agendis, cõuerſatione et aſpectu pudicum, hoſpitum ac peregrinorum ſuſceptorem, & pauperum prouiſorem, de bonis quæ habet ab Eccleſia, ad hoſpitium atque pauperum uſum, aptum qui do-

cere poßit. Nō *ſit autem uino multo deditus, neque percuſſor, ſiue lingua, ſiue uerbere, non contentionum amator, non turpe ſectans lucrum, aut auarus. Sit autem familiæ ſuæ (ſi quam habet) bonus rector. Si ſint ei filij, ut illos habeat ſuo regmini & imperio bene ſubditos, cum omni uitæ puritate. Qui enim neſcit familiæ uni bene præeſſe, quomodo* Eccleſiæ *curandæ ſufficiat, in qua tot ſunt tam diuerſarū conditionū homines?* Neq; *ſit recens baptizatus, ut mox à baptiſmo euehatur ad* Epiſcopatum, *ſed uolo moram interuenire inter baptiſmum & ordinationem in* Epiſcopum: *ne forte ex hoc ſumens occaſionē ſuperbiendi, qui ſic ſubito promouetur, incidat in iudicium impiorum, partem cū ſuperbo dæmone accepturus.* Oportet *inſuper, ut bonam opinionem de eius conuerſatione habeant etiam extranei & gentiles: ne ſi eius uita minus probata fuerit, per ſtatus ſublimitatem, in laqueum et tentationem incidat diaboli.* Diaconos *iiſdem oportet moribus eſſe ornatos, ut ſint & ipſi non plurium uxorum uiri à baptiſmo, qui regant bene filios ſuos in bona ſubiectione, nō duplices ſermone aut inſtabiles, nō uini potatores, non lucrum quærentes turpe: id eſt, unde non oportet, aut quomodo non oportet, plene ſcientes ſacramentū fidei ſuæ, illudque tenentes ac cuſtodientes, cum uita bona & bona conſcientia.* Et *hi priuſquàm ordinentur, probentur: tam ſuper doctrina fidei quàm uitæ integritate, & ſi probati inueniantur, tum demū ordinentur, cum nihil aduerſus ipſos poßit ullius momenti iuſte obijci, quod ipſos ab ordinatione prohibeat.* Mulieres *item oportet eſſe pudicas aſpectu, & conuerſatione, nō detrahentes, neque aliorum mores paßim carpentes: ſed ſobrias atque uigilantes, & in omnibus quæ audiunt uel quæ acceperūt peragenda fideles.* In Diaconis *(ut cœpi dicere) illud præcipue conſideretur, ut non bigami ſint: propter mini-*

ſterij ſui dignitatem, quod ſingularē requirit ſanctificationem. Deinde illud etiam ut filios ſua negligentia non ſinant inobedientes fieri, & propriam familiam debite regant. Alioqui nō apti erunt miniſterio ſuo. Qui enim commiſſa ſibi miniſteria fideliter adimpleuerint, bonū locum apud Deum in magno merito ſibi comparabunt, & de ordinationis ſuæ gradu, bonum fructum referent: & magnā merito fiduciam tales habere poſſunt, propterea quòd in fide Chriſti Ieſu, ſuum miniſterium ſibi ab illo commiſſum, fideliter adimpleuerint. Hæc ita ſcribo ô fili Timothee, non quòd deſperem ad te uenire: ſed ſi quomodocunq; contingat me differre aduentum, ut ſcias interim quomodo ſit tibi conuerſandum in domo Dei: hoc eſt in Eccleſia Dei uiui, quæ eſt columna & firmamentum, cui omnis ueritas, & credendorum & agendorum innititur. Nam nec Euangelicæ ueritati crederetur, ſi non eccleſia tradidiſſet ut Euangelium credendum. Et omnium confeßione fideliumq; concordi iudicio, mirabile eſt myſterium maximæ charitatis Dei erga nos, ipſa Chriſti incarnatio: quod myſterium ſecundum carnem factum eſt manifeſtum, & per ſpiritus aduentum atque uirtutem iuſtificatum, quod prius fuit ut ſtultitia reputatum, angelis uiſum eſt, gentibus prædicatum, mundus credidit, & ad patris gloriam aſſumptum eſt, quando Chriſtus modo mirabili aſcendit in dexteram patris.

CAPVT QVARTVM.

Spiritus uero prophetiæ illud certo & firmiter denunciat futurū, ut in poſterioribus temporibus derelinquant fidem rectam quidam ex ijs qui crediderant, qui fidē habebunt ſpiritus erroris, id eſt, erroneorum dogmatum ſibilatoribus ſiue prædicatoribus, & falſis doctrinis, quarum eſt Diabolus author, qui eſt pater omnis mendacij, quidam (inquam) eorum qui in ſua ficta

& ſimulata ſanctitate prædicaturi ſunt falſorum dogmatum mendacia: qui conſcientiam ſuam habebunt cauterio, hoc eſt Diaboli charactere notatam: quod eſt ſignum mẽtis obſtinatæ atque reprobæ, quo à filijs infidelitatis, & perditionis, diſtinguuntur filij ſalutis: qui prohibebunt nuptias ut prorſus illicitas, ſub ſpecie eximiæ religionis, itémque abſtinere à quibuſdã cibis, tanquam immundis per ſe & illicitis ſuapte natura uſui humano, quos tamen Deus in hunc uſum creauit, ut uere fidelibus, & qui ueritatem Euangelicæ libertatis, plena fide cognouerint, liceat ſine peccato eos ſumere, eiſq; uti cũ gratiarũ actione. Omnis ſiquidem creatura Dei bona eſt per ſe, nec de ſe quicquam eſt immundum. Et nullus cibus, quaſi ſua natura immundus, eſt abijciendus aut fugiẽdus, modo cum gratiarum actione condigna ſumatur. Sanctificatur enim omnis cibus (ut non polluatur eum manducans) per orationem, & benedictionem, quæ eſt per uerbũ Dei, quod ſanctificat omnia. Qui enim ſine oratione, benedictione, & gratiarum actione percipiunt dona Dei: polluunt iſti ſuo abuſu ſeipſos, eo q; donis Dei, modis non debitis, male utuntur. Cibus autem, per ſeſe neminem, polluit. Hæc atque huiuſmodi, quæ ſolidam habent ueritatem fidelibus ſi propoſueris, per uerbum prædicationis atque doctrinæ, comprobaberis bonus & fidelis miniſter Chriſti Ieſu: qui ab infantia inſtitutus es in ſacris literis, ueram fidem cõtinẽtibus, atq; doctrinam ueram, quam tu ſemper, ſicuti ſectatus es auide, ita & uere aſſecutus es. Impias autem atque prophanas infidelium ſiue etiam ſuperfluas, & ridiculas fabuloſaſq; doctrinas, ne ſecteris. Exercitare autem ſedulos in ſtudijs atque operibus pietatis, ut illam perfecte conſequaris. Nam corporalis exercitatio, licet ſimul etiam bona ſit, tamen ad modicum cõducit: id eſt, ad corporis edomationem, ut ſpiritui non fiat repugnans.

gnans. Pietas uero, qua interius Deus colitur et poſsidetur, mo dis omnibus omnem habet utilitatem: pro qua re promittitur, & in præſenti uita gratia, Dei animam uiuificans, & in futuro uita gloriæ ſempiterna. Fide dignus eſt ſermo ille quem de pietate modo diximus, & omni acceptione digniſsimus. Nam & noſipſi propter pietatis amorem, & labores perpetimur, & hominum conuicia: propterea quòd ſperemus & credamus in Deum uiuum, quem ſcimus eſſe omnium hominum, quantum quidem ex ipſo eſt, ſaluatorem: cuius paſsionis uirtus, ſufficiens foret ad omnium peccata tollenda, omnesq; uita donandos. Tamen peculiariter eſt fidelium ſaluator, ad quos ſaluationis eius effectus deueniat, à quo erunt increduli alieni. Hæc atq; huiuſmodi ſunt, quæ te oportet cum imperio & authoritate denunciare, atq; docere. Vide autem, ut ſic probata ſit conuerſatio tua, & doctrina tam efficax, ut nemo te propter ætatem adoleſcentiæ contemnendum ducat. Debes enim te exhibere alijs, in exemplum & formam bene uiuendi, tam in uerbo quàm in conuerſatione, in charitatis operibus, in ſpiritus uirtute, in fidei ſynceritate, atq; in omni uitæ puritate: ut ſuppleat perfectio uitæ, quod deeſt ætati. Donec ad te ueniam, uacabis, partim lectioni ſcripturarum ſanctarum, partim exhortationi, & doctrinæ. Ne permittas ocioſum eſſe talentum tuum, & donum quod à Deo accepiſti, per impoſitionem manuum Epiſcopalium, quas tibi authoritate Epiſcopali impoſui, ad cõſecrationem atteſtantibus ijs quibus prophetiæ donum inerat in Eccleſia, te ordinatione dignum, & fidelem fore miniſtrum. Hæc tibi ſunt meditanda, ut in illis exerciteris: his tibi eſt inſiſtendum, ut tuus profectus fiat oĩbus manifeſtus, quoniã in exemplum poſitus es. Attende enim primum tibi, ut teipſum in uita bene cõponas deinde, ut & cæteros doceas. Atq; in his diligenter permaneto.

Hoc enim faciens, & tibiipſi, & auditoribus ſalutē cōparabis.

CAPVT V.

Seniores: ſi admonendi erunt aut corrigendi, non feries acrioribus obiurgationibus ſed propter ætatis reuerentiam, magis ut patres cum manſuetudine obſecrabis: niſi aliud forte mereatur eorum inueterata nequitia, aut obſtinata peruerſitas. Iuniores, *ut fratres adhortaberis.* Et *mulieres quidē grandæuas, ut matres:* A*doleſcentiores autem, ut ſorores, cum omni puritate, ut abſit procul omnis mala ſuſpitio.* V*iduas, quæ ſunt ueræ uiduæ, tam ætate quàm moribus, habe in honore.* Q*uòd ſiqua uidua filios habet, aut de ſuo genere nepotes, quorū cura ſpectat ad ipſam: huiuſmodi, ne prætextu uiduitatis uelit familiam ſuam derelinquere: ſed ſtudeat cum omni diligentia familiam ſuam colere, piéque adminiſtrare, & parētibus ſuis reddere uiciſsitudinem: ſic alendo ſuos liberos, quomodo ipſa à ſuis eſt enutrita progenitoribus.* Nam *hoc naturalis honeſtas dictat, & eſt placitum* Deo *magis, quàm ſi prætextu uiduitatis curam deſereret familiæ, cui ipſa eſt neceſſaria. Illa autem quæ eſt penitus uidua, & ſolitaria prorſus, omniq; etiam liberorum & familiæ ſolatio carens, nec habēs in hoc mundo ſubſidium, iactet illa ſpem ſuā in* Dominum, *& omni cura depoſita, ſtudeat aſsidue* Deo *ſeruire nocte atq; die orationi inuigilando.* Atque *huic de uictu neceſſario prouidebitur, per* Eccleſiam, *& epiſcopum eius diſpenſatorem.* Nam *quæ prætextu uiduitatis ocio uacant, et delitias ſectantur, etiam uiuentes mortuæ ſunt.* Carne *enim mundo uiuunt, & ſpiritu mortuæ ſunt* Deo. Atque *hoc illis denuntia fideliter, ut ſe exhibeant irreprēhenſibiles, ne tale quid poſſit aduerſus ipſas obijci.* Alioquin, *indignæ fuerint beneficio eccleſiaſticæ ſuſtentationis.* Nequaquam *uero uidua, occaſione uidualis huius profeſsionis, debet curam abijcere familiæ, aut do-*

mus ſuæ, donec ei eſt neceſſaria. Siquis enim eorum quæ ad cu ram ſuam ſpectant, & præcipue qui de domo & familia ſua ſunt, curam habere recuſat, fidem ille facto huiuſcemodi abne= gat, & hac parte etiam infidelibus deterior eſt. Nam Ethnici, *naturali edocti pietate ſuorum curam non ſolent deſerere.* Vt *autem uidua eligatur digna* Eccleſiaſtica *ſuſtentatione: primum proſpiciatur, ne ſit infra annum ſexageſimum, deinde per qui= ratur diligenter, an conuerſatio eius digna ſit beneficio* Eccle= *ſiæ.* Id *autem poterit cognoſci ex conuerſatione priſtina:* Nem= *pe ſi uxor fuerit unius tantum uiri, ut amore continentiæ ſecun das nuptias reſpuerit, ſi teſtimonium habeat de bona conuerſa= tione, ab ijs cum quibus ipſa eſt conuerſata, ſi filios ſuos com= probatur recte educaſſe, in timore & diſciplina domini, ſi ſoli ta eſt hoſpitio ſanctos et fideles recipere, ſi ſanctorum pedes la uare aduentantium, aut alia id genus hoſpitalitatis ac benigni= tatis obſequia, ſtuduit exercere: ſi pro uirili tribulatis ſtuduit, uel re uel miniſterio, ſuccurrere, ſi deniq; omni operi bono fue rit aſſidue intenta:* Viduas *autem quæ & ætate fuerint, & mo rum inconſtantia, leuitateq; animi adoleſcentiores, deuitabis, renuens huiuſmodi ad eccleſiaſticam ſuſtentationem, & uidua lem profeſſionem, recipere.* In *nonnullis enim iam expertū eſt, non expedire, ut illæ in quibus iuuenilis adhuc feruor ineſt libi dinis, & morum leuitas, ad ocium recipiantur* Eccleſiæ. Nam *poſtquàm cœperint, præ delitijs & ocio, aduerſus* Chriſtum *la ſciuire: hoc eſt, profeſſionis ſuæ pœnitentiam habere, & ſponſi* Chriſti *tædere: tum rurſum deſiderant nuptias, quas prius per profeſſionem uiduitatis deuouerant, obnoxie hac de cauſa dam nationi æternæ: quoniam primam fidem qua* Chriſto *ſe ſponſo deuouerant, ruperunt, quærentes ſecūdas nuptias.* Inſuper *et iā in ocio uiuentes, eo quòd* Eccleſiæ *opibus enutriantur, cū ora=*

tioni deberent inſiſtere, ſtudent circumire per domos aliorum: non ſolum ocioſæ, ſed uerbis etiam ſuperfluis abundantes, & curioſæ omnia perquirentes: loquentes ſæpius quæ loqui non decet: utputa uel detractoria, uel ſecularia, quæ illarum conditio non patitur. Ob hæc deuitanda, permitto quidem & magis uolo, ut nubant iuniores, in quibus uiget uis iſta libidinis, & morum leuitas, utq; filios procreent, & familiam curent, cum diligentia, ut ſic ocio excluſo, ſuis rebus uacantes auferant aduerſarijs omnem occaſionem maledicendi ſiue male loquendi. Iſtud autem permitto & magis uolo, propter euitandum grande malum, quod in aliquibus perſenſi. Iam enim quædam auerſæ à Chriſto, hac de cauſa, ſequuntur diaboli conſilia, ut ſuis deſiderijs ſatisfaciant. Et quanquam ſupra diximus, uiduas uere uiduas Eccleſiæ opibus ſuſtentandas: tamen fideles habentes uiduas in domo uel familia ſua, ad quas obligentur & ſufficiant ſuſtentandas, ſubminiſtrent earum neceſsitati, ut non oneretur nimium Eccleſia, in alendis ijs quæ merito deberent & poſſent aliunde ſuſtentari: ut ſatis ſit, unde prouideatur ijs quæ ſunt penitus uiduæ, & prorſus relictæ, omni adiutorio humano carentes. Preſbyteros, qui ſuæ prælationis officium adminiſtrant ut debent, oportet duplici honore afficere: non modo reuerentiæ ſigna prætendendo, ſed etiam præbendo neceſſaria. Peculiarius autem hoc illi promerentur, qui laborant in uerbo Dei, alios docendo iuxta ueteris ſcripturæ ſententiam, quæ laboranti boui iubet non denegari uictus neceſſaria. Et iuxta Chriſti uerbum Dignus eſt omnis operarius mercede ſua. Aduerſus preſbyterum, noli facile accuſationem recipere, niſi duobus aut tribus teſtibus accuſatio confirmetur, Peccãtes obſtinate in malitia ſua, qui priuatam correctionem parui æſtimant, aut publicis maculatos peccatis, per quos ſcandalizari poſſunt alij, ar=

gue in conſpectu omnium, ut cæteri timeant, & qui in iiſdem ſunt peccatis, ut pœniteant, & qui in iiſdem non ſunt, ut caueant diligentius, ne in ea incidant. Præcipio tibi, *teſtem inuocans* Deum *patrem, & Chriſtum filium eius, & ſanctos* Angelos *eius: ut hæc quæ præcepi tibi cuſtodias, ſine debita & diligenti dijudicatione præuia nihil faciendo, aut definiendo, ſic ut in alteram partem, omiſſa iuſtitia deflectas, propter partiales ſolicitationes.* Nemini *cito manus impoſueris, uel ad ordinandum, uel ad abſoluendum, uel ad condemnandum, antequã idoneitas aut cauſa fuerit bene perſpecta.* Alioqui *facile particeps eris alienorum peccatorum.* Te *ipſum ſtude in omnibus purum ſeruare, & immaculatum.* Noli *amplius aquam bibere, ſed modico uino utere, propter ſtomachi tui debilitatem, & continuã malam ualetudinem tuam quam pateris. Quorundam hominũ peccata, per ſe præmanifeſta ſunt, ut ſecundum ea facile poßit iudicari, digni ſint an indigni, rei aut innocentes, abſoluẽdi aut puniendi. Quorundam uero peccata, latent quidem nunc, ſed in futuro patebunt: de quibus licet non poßit humanum iudiciũ iudicare,* Dei *tamen iudicium illa iudicabit. Similiter eſt in bonis operibus. Quorundam enim bona opera, ſunt etiam nunc manifeſta hominibus, & quæ aliter ſe habent (id eſt) quæ nunc latent) nihilominus ſuo tempore, in iudicio* Dei *erunt manifeſta, & latere non poterunt.*

CAPVT SEXTVM.

Serui qui ſeruitutis iugo ſunt aſtricti, temporales ſuos dominos, tametſi infideles, habeant ex animo in omni honore, ne nomen domini & doctrina Chriſtiana ſuſtineat calumniam, ſi uiderint domini, prætextu Chriſtianitatis, à ſeruis ſuis ſe cõtemni. Qui autem habent dominos ſimiliter Chriſtianos: ne ideo putent cõtemnendos, minusq; reuerendos: quia fratres ſunt in Chriſto:

ſed eo magis ſeruiant eis, quo fideles ſunt, & merito diligendi quoniam ſerui dominorum ſuorum beneficia percipiunt, à quibus neceſſaria ſuſcipiunt. Hæc facienda & obſeruanda doce, atq; ut faciant opere, exhortare. Siquis contrarium docet, & ſanis uerisq; ſermonibus, quos ego tanquam à domino noſtro Ieſu Chriſto ſum elocutus, & doctrinæ Chriſtianæ quæ eſt doctrina ſecundum pietatem (fidei innitens non rationibus) neq; credit neq; obtẽperat: hic ſuperbia inflatus eſt, nihil uere ſciẽs, quoniam modum ſciendi ignorat: ſed totus languidus, hæret circa quæſtiones malas, de omnibus dubitans, & circa uerboſas lites, & cõtentioſas diſputationes. Ex quibus exoriũtur inuidiæ aduerſum defenſores pietatis, & in ore contentio, nõnunquam & aperta conuitia, & frequẽter ſuſpitiones malæ aduerſus bonos, & prauæ conflictationes infructuæ auditorũ: quibus agunt homines illi mente penitus corrupti, qui ueritatem perdiderũt, qui pietatem reputant quæſtum eſſe, ex pietatis ſimulatione, quæſtui & lucro, uel pecuniæ uel uanæ gloriæ uacantes. Atq; illud (nempe quæſtum) eſſe pietatem utcunq; uerum eſt. ſed nõ quomodo ipſi exiſtimant. Eſt enim magnum lucrum & pro maximis diuitijs, uera pietas, contenta ijs quæ ſufficiant neceſſitati. Nam de ſuperfluis quid curandum eſt? Nibil in hunc mundum intulimus: ſine dubio neque aliquid inde nobiſcum auferemus. Vnde patet, nobis niſi uſum eorum quæ ſunt in hoc mundo, non eſſe conceſſum, nullum autem ſtabile dominium. Habentes autem alimenta & tegumenta, nihil ultra requirimus, ſed contenti eſſe uolumus. Qui uero laxantes habenas cupiditati, quærunt quomodocunq; diuites fieri, plurimis ſe periculis exponunt, inciduntq; in tentationes plurimas, quibus ad peccata uaria ſolicitantur, & in laqueũ diaboli, ut in peccatis irretiantur, & in multa deſideria ſuperflua atque etiam ſaluti noxia,

quæ homines deducunt in mortem & damnationem æternam, Eſt enim cupiditas diuitiarum, radix quædam, unde ſolent omnis generis peccata pullulare. Cui cupiditati quidam obſequi uolentes, eamq; inſequentes aberrarunt à fide, & ſeipſos multis intricauerunt doloribus, propter auaritiam. Te autem oportet ô ſerue Dei, ab huiuſcemodi elongari, atq; omni ſtudio contraria perſequi, nempe iuſtitiam, pietatem, fidem rectam, charitatem, patientiam, manſuetudinem. Viriliter agendum eſt certandumq; tibi, in negotio fidei: & ſpem tene firmam uitæ æternæ, ut tandem eam comprehẽdas: ad quam te haud dubie Deus uocauit, & propter quam conſequendam audacter prædicaſti ueram Chriſtianæ fidei confeßionem: non in angulo, ſed coràm plurimis aſtantibus auditoribus, qui poßint teſtificari de ueritate confeßionis tuæ. Vt uero creſcat tibi ſalutaris obedientiæ meritum, & magis habeas impreſſum animo quod tui eſt officij, præcipio tibi, teſtem inuocans Deum, qui omnibus dat uitam, & Chriſtum Ieſum, qui coràm Pilato iudice aßiſtens, confeſſus eſt bonam ueritatis confeßionem, & non negauit, dicens ſe eſſe & regem & uerum filium Dei, ut erat, nihil mortis periculo à ueritate deuians. Præcipio, inquam, tibi, ut cuſtodias mãdatum omne quod accepiſti per me à domino, ſic ut eius tranſgreßione nec maculatus inueniaris in nouißimo, nec merito reprehenſibilis, uſque ad aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti. Quem Chriſtum ſiue quem Chriſti aduentum, ſuo tempore manifeſte demõſtrabit Deus, ſua eſſentia æternaliter beatus, & ſolus per ſe potens, rex ſuper omnes reges, & ſuper omnes dominantes ipſe præcellẽtior, uniuerſalis omnium dominus: qui ſolus habet ex ſua natura, ut ſit immortalis, qui eſt in maieſtate ſua ſic abſconditus, ut nemo poßit ad ipſum perfecte comprehendendũ accedere, quem nemo hominum uidit unquam: immo nec uide-

re poteſt in uita manens, oculis carnis, neq; oculis mentis comprehendere poterit. Cui eſt honor & imperialis poteſtas in ſempiternum. Amen. Iis autem qui ſunt in hoc mundo diuites, ut poßint ſine peccato, & cum fructu animæ uti diuitijs, præcipe ut non exaltentur, neq; ſuperbiant propter diuitias, neque ſpem aut cor apponant inſtabilitati diuitiarum: ſed ut ſpem & cor apponant Deo *uiuo, qui largitur generi humano cuncta neceſſaria copioſe, ad reſtrictionem & conſolationem neceßitatis noſtræ.* Præcipe, *inquam, ut ex ſuis diuitijs ſumant ſibi materiam benefaciendi, ut ſtudeant magis operibus bonis abundare, ut faciles ſint in diſtribuendo egentibus, ſint communes atq; ſociales, pauperes non aſpernantes, congregantes ſibi cumulum bonorum operum, ut fundamentum, ſuper quo poßit ædificari à* Deo *plenitudo gloriæ, ut tandem aſſequantur uerã & æternam uitam.* O Timothee *(iterum te moneo) depoſitum omne quod tibi* Deus *commendauit & credidit, diligenter cuſtodi, fugiens prophanas uocum nouitates, quæ ſunt noua falſitatis dogmata conficta, & oppoſitiones atque obiectiones ſciẽtiæ mũdanæ, quæ falsò nomẽ ſibi uſurpant ſcientiæ, quã nõnulli ſequentes atq; profitentes à fide exciderunt.* Gratia *tecũ.* Amẽ.

Finit *Elucidatio in* Epiſtolam *ad* Timotheum *priorem beati* Pauli Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM
in Epiſtolã *ad* Timotheũ *poſteriorẽ btĩ* Pauli Apoſtoli.

Scripſit Apoſtolus *in carcere conſtitutus, imminente iam agone martyrij (ut uidetur ex capite quarto) ſecundam hanc ad* Timotheum *epiſtolam.* In *qua primum commendata fidei eius ſynceritate, quæ & in auia illius & in matre eadem fuerat, admonet eundem, gratiam per impoſitionem manuum* Epiſcopaliũ

acceptam non negligere, propter ſpiritum ſanctum amoris, qui datus eſt nobis: neq; teſtimonium erubeſcere confeßionis Chriſti & Dei, qui nos ex uera ſua liberalitate & gratia, nullis noſtris præeuntibus meritis, ſua ſancta uocatione dignatus eſt: quæ quidem gratia ab æterno fuit præordinata, ſed in tempore iſto nouißimo nunc primum fuit in opere exhibita, per Chriſti mortem deſtruentis, operationem, atq; manifeſtata per Euangelij prædicationem, pro quo (cum ſit à Deo gentium ordinatus Apoſtolus) nihil pati erubeſcit, ſciens potentem eſſe ad remunerationem, illum pro quo laborat & patitur. Ipſum quoq; Timotheum monet, depoſitum cuſtodire, & recti dogmatis Chriſtiani formam tenere, eoq́; attentius, quòd nunc in tribulationibus iſtis plurimi Aſianorū ſcandalizati, ab eo defeciſſent, quorum duos commemorat nominatim, Phygelum & Hermogenem. Oneſiphoro autem eiusq́; familiæ, pro beneficijs, & olim & etiam nunc in captiuitate ſibi exhibitis, bona precatur apud Deum. Capite uero ſecundo, confortari eum iubet in gratia Dei, & quaſi militem bonum Chriſti, atq; fidelem agricolam, ſtrenue agere, diligentemq́; eſſe iubet in negotio Chriſti, ſecularibus omnibus abiectis negotijs: ut ſic & legitime certando coronā, & pro agricolatione fideli fructum percipiat æternæ retributionis. Quo autem magis corroboretur in ſpiritu Chriſti eum memorem eſſe iubet: qui per paßionem ad reſurrectionis gloriam peruenire promeruit, iuxta Euangelium ſuum qđ prædicat, pro quo dura & grauia pati nihil formidat, propter electorum ſalutem: & quia ſi commorimur conregnabimus, eo quòd fidelis ſit dominus, qui ſeipſum negare nō poteſt. Atq; huiuſmodi, quæ ſunt utilia docere præcipit, fugiendo contentiones uerborum inutiles: utq́; ſeipſum exhibeat coràm Deo operatorem inconfuſibilem, hominem hæreticorum falſa dog=

mata deuitando, quæ ut cancer ſerpunt ad impietatem promouendam. Firmum tamen ſtare dicit fundamentum ſanctæ Chriſtianæ fidei, diuina prouidentia & liberi arbitrij cooperatione obſignatum: quanquam nonnulli reperiantur minus probati et minus integri in Eccleſia, quomodo in magna domo etiam uilia ſunt uaſcula, lignea & fictilia. Spem tamen dat etiam huiuſmodi, ut ſe emundando fieri poßint uaſa honoris, & domino ſanctificata. Iterumq; monet diſcipulum, ut quæ uirtutis ſunt ſtudioſe ſectetur, iuuenilia fugiens deſideria, ſtultasq; ac ineruditas quæſtiones, ex quibus non niſi lites oriuntur: quæ ſeruo Dei non competunt, ſed magis manſuetudo, & erga errantes bona instructio, & patiens correptio, ſi forte ad pœnitentiam eos queat ex diaboli laqueis educere. Capite autem tertio de iiſdem de quibus in priori epiſtola dixerat, uenturis ſeductoribus, ſermonem replicat, eorum hyprocriſim & malitiam egregie deſcribens: quos, eo quòd ueritati reſiſtent, aſſerit confundendos, quomodo olim magi Pharaonis ueritati reſiſtentes, cõfuſi ſunt. Ipſum uero Timotheum, ſuam doctrinam et inſtitutionem morum aſſecutum, ad paßiones quales ipſe pro Chriſto pertulit Iconij & Lyſtris & plerisq; alijs in locis, hortatur: utq; obſtinatis in ſua obſtinatione relictis, ipſe in ijs quæ credidit permaneat, quorum ueritatem ex ſacris literis, quas à puero didicit, poßit habere compertam. Cuius occaſione, ſcripturæ ſanctæ multimodam utilitatem, cõmemorat. Quarto autem capitulo, coràm Deo illũ obteſtatur: ut opportune, importune, arguat, obſecret, & omni inſtet diligentia, dum tempus eſt priuſquàm illa nouißima tempora prædicta adueniant: quando non ueritatem, ſed placentia audire uolent ſeculi illius homines: ſuiq; agonis, curſus, & militiæ finem prædicens, hortatur ſuo exemplo diſcipulum, ut ad coronam feſtinet, quam iuſtus iudex om-

nibus diligentibus ſe eſt redditurus. Poſt hoc eũ ad ſe quãtocyus uenire iubens ante hyemen, & alia quædam familiaria de diuerſis diſcipulis, quos ad diuerſa loca dimiſit, ac de Alexandri ærarij malis machinationibus, & ſolius Dei in ſua defenſione aſsiſtentia, per quã ſe gloriatur liberatum ab omni opere malo, & ſaluãdum per corporis mortem, palma martyrij in regnum cœleſte, pertractat. Atque ita adiunctis familiaribus nonnullis ſalutationibus, terminat epiſtolam.

Finit Argumentum.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD Timotheum poſteriorem beati Pauli Apoſtoli.

CAPVT PRIMVM.

PAulus Apoſtolus Ieſu Chriſti ex diuina uoluntate, ad Euangelizandum uitam æternã, fidelibus repromiſſam in Chriſto Ieſu, ſcribit Timotheo filio uere dilecto. Sit tibi gratia, & miſericordia, & pax, à Deo patre, et Chriſto Ieſu domino noſtro. Gratias ago Deo meo, cui quẽadmodum progenitores mei ſeruierunt, ita & ego ſeruio in conſcientia pura: quod indeſinenter ſim tui memor in orationibus meis aſsidue, pariter deſiderans & te in carne uidere, dum in memoriam ueniunt mihi lachrymæ tuæ, quas à te abſcedens, propter nimiam mei dilectionem, te conſpexi effundere: ut neceſſe ſit me impleri gaudio, quoties ex iſtis tuis lachrymis recordor illan integram & non ſimulatam fidem, quam in Chriſto habes, quæ etiam prius in auia tua Loide, & matre Eunice firma fuit, Neque dubito, quin & in te nunc eadem ſic habitet. Propter quam cauſam, cõmonefaciens admoneo te, ut donum illud & munus Apoſtolicum, quod per impoſitionem manuum

mearum ſuſcepiſti, non ſinas extingui ocio aut negligentia: ſed per diligens exercitium & ſedulum, reſuſcita atque innoua, ut quotidianis creſcas profectibus. Spiritus enim ille quem nobis dedit Deus, *non eſt talis: ut timidos nos aut tardos, uel efficiat, uel eſſe ſinat: ſed ipſe eſt ſpiritus uirtutis, qui nos robuſtos faciat, ut nihil formidemus aduerſi: per quem & dilectionem conſequimur, & ſobrietatem, quæ eſt debita in omnibus temperantia.* Tali *igitur ſpiritus uirtute confortatus, ne erubeſcas ſanctæ fidei* Chriſtianæ *confeßionē, neque te pudeat captiuitatis meæ, quæ magis tibi eſt gloriæ ducenda.* Immo uero, *etiam uſq; ad malorum tolerantiam labora mecum aßiduus, in* Euangelij *negocio: ſecundum illam* Dei *uirtutem, qua te ſpiritus corroborauit.* Qui *ſanè* Deus *(ut ſciamus noś obligatos ad fideliter agendum pro nomine eius) liberauit nos à mortis imperio:* Deinde *& uocauit ſancta ſua uocatione, ad cognitionem fidei.* Neque *hæc ex merito operum noſtrorum, quaſi fuerit debitor nobis* Deus: *ſed iuxta beneplacitum uoluntatis ſuæ, & ſecundum gratiam ſuam: quæ quidem data eſt & promiſſa, atque præordinata nobis per* Chriſtum, *in æternitate ante ſecula: nunc uero tandem completa apparuit, & manifeſta facta eſt, per hoc qđ illuxit nobis ſaluator mundi* Chriſtus Ieſus: *qui et mortis deſtruxit imperium, & illuceſcere fecit, ſiue regnare, uitan & immortalitatem: atque id quidem per* Euangelium *ſuum, ad cuius miniſterium me* Deus *uocando conſtituit prædicatorē &* Apoſtolum, *& peculiariter gentium doctorem:* Ob *quam cauſam etiam has afflictiones & uincula patior tametſi de ijs non erubeſcam, quæ mihi ex hoc officio obueniūt.* Ego *enim noui, quis ille ſit cui crediderim, nec de eius aut potentia, aut fidelitate quicquam hæſito,* Et *hoc ſcio firmißime, quod is cui credidi uocanti, potens eſt, quicquid in manus eius cōmendauero, ſeruare*

in tuto, uſque in nouißimum iudicij diem. Sint tibi uelut forma ſiue exemplum, in docendo atque uiuendo, ſermones illi ueraces & recti, quos à me didiciſti, in fide recta, cum operãte charitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Illud bonum depoſitum, quod eſt tibi commiſſum, nempe munus Euangelicum, cuſtodi per ſpiritum ſanctum, qui in nobis inhabitat. Ille enim eſt, qui & apud nos dona deponit, & ad depoſita ſeruanda nobis auxiliatur. Credo enim ſcire te, quemadmodum Aſiani penè omnes, qui uidebantur mihi adhæſiſſe, à me abſceſſerint: ex quorum numero ſunt, Phygelus & Hermogenes. Quo magis te eniti oportet, ut fideliter agas, cum pauci ſint ueri fidelesq; operarij. Faciat Dominus miſericordiam cum Oneſiphori familia, quia ſæpius me cõſolationionibus ſuis recreauit, & captiuitatem meã non modo non erubuit, ſed Romæ exiſtens ſolicite me requiſiuit, egitq; diligenter, ut pateret ſibi ad me acceſſus, & inuenit quem quæſiuit. Reddat illi Dominus uiciſſitudinem ut inueniat apud ſe miſericordiam, in die retributionis. Neq; enim modo cœpit benefacere, qui multa mihi & magna miniſtria Epheſi ſæpius exhibuit, ut tu optime noſti.

CAPVT SECVNDVM.

Tu igitur fili mi quo pauciores uides fideles operarios, eo magis corroborare, ut fortiter agas, per gratiam Chriſti. Et quæ audiſti ex me, palàm coràm omnibus prædicante, hæc ipſa ueritatis dogmata doce alios fideles, & fide dignos, qui ea populo ualeant prædicare latiusq; diſſeminare: labora ac ſuſtine, tãquam miles ſtrenuus Chriſti Ieſu. Quiſquis ſectator bonus uult eſſe militiæ, potiſſimum Chriſtianæ, neceſſe eſt ut à curis atq; negotijs huius uitæ ſeſe expediat: ut illi totus placere ſtudeat, cuius ſe militiæ addixit, & à quo ad militandum eſt ſuſceptus. Item & qui in certamine publico decertat, non merebitur brauium

accipere, niſi ut oportet, iuxta certaminis leges, decertauerit, nihil ommittens eorum quæ ſunt requiſita, nulliſq; parcens laboribus. Et *agricolam laboraſſe oportet, priuſquã fructus percipiat, qui poſt labores ſolatiũ accipit fructum. Quæ tibi per ſimilitudines dico, ad intelligentiam debes moralem transferre.* Dabit *autem tibi, ut ſpero, dominus cui militas intellectum plenum in omnibus, quæ tibi ac tuis erunt neceſſaria.* Ne *autem te certamina laborum deterreant, in memoriam ſubinde reuoces uelim, quemadmodum dominus noſter* Ieſus *Chriſtus, deuicta mortis moleſtia, ad uitam glorioſus reſurrexit, qui erat ex progenie* Dauid, *iuxta* Euangelium *quod ego prædico: propter quod & laboro, grauia ſuſtinens, uſque ad uincula, quibus ſum alligatus, quaſi malefactor aut ſceleratus: quanquam uerbũ domini ligari nõ queat, manens liberũ, & pertranſiens in uniuerſum orbem terrarum. Cuius gratia, omnia quæcunq;* Deo *permittente obuenire poſſunt, paratus ſum ſufferre, ad utilitatem electorum: ut quos elegit ipſe, conſequantur ſalutem, quam Chriſtus peperit omnibus credentibus, cum gloria ſempiterna quæ reuelabitur in cœlis. Sermo hic, fide dignus eſt. Si enim in hac uita fuerimus cum Chriſto mortificati à deſiderijs concupiſcentiæ noſtræ, ſuo tempore pariter cum eo glorificabimur, atque regnabimus. Si nunc negauerimus eum infideli cogitatione, uerbo, aut peruerſo opere, & ille nos nolet agnoſcere in nouiſsimo. Si nos increduli & inobedientes fuerimus, permanet nihilominus ille firmus: & in ſe & in uerbis quæ ſemel definiuit, neq; contra id quod ſemel definiuit poterit facere, cum ſententiam protulit dicens: Qui non crediderit condẽnabitur, ut certus ſit de ſua damnatione, quiſquis modo in eum credere recuſat.* Hæc *atq; huiuſmodi ſunt, quæ te oportet admonere populum, atque cum authoritate proponere, uelut* Deo *teſte ac*

iudice. Caue autem contendas uerbis cũ infidelibus, & importunis hominibus. Hæc enim nihil adfert utilitatis: immo auditorum fidem ſubuertit nõnunquam. Omni autem cura *adnitere, ut teipſum exhibeas* Deo *probatum & beneplacentem, in operibus tuis inconfuſibilem, ut de nullo opere tuo poßis iure confundi, recte adminiſtrantem, atque pro cuiuſque captu diſtribuentem uerbum ueritatis.* Prophana *autem & uana conficta dogmata, repellas.* Nam *ſi admiſſa fuerint & non ſtatim repudientur, excreſcent quantocyus ad ampliorem impietatem, & ſermo huiuſcemodi uaniſsimorum hominum, ad modum morbi, qui cancer uulgo dicitur ſe ſpargens latius, etiam ſanos in fide inficit atque corrumpit, ſi non adhibetur debitæ redargutionis remedium.* De *quorum numero ſunt* Hymenæus *&* Philetus: *qui à ueritate deuiarunt, aſſerentes non expectandam eſſe ulteriorem ex mortuis reſurrectionem, præter eam quæ facta eſt in ijs qui cum* Chriſto *ſurrexerunt, aut præter ſpiritualem reſurrectionem, qua per fidẽ credentes in* Chriſtum *reſurgunt.* Atq; *his nouis uanitatibus, quorundam uanorum hominum fidem iam ſubuerterunt.* Qui *enim ſic à fide facile excidunt, firmi non fuerunt.* In *electis autem* Dei, *ſtat firma fides, uelut fundamentum* Eccleſiæ, *ſuper quam* Deus *ſuam* Eccleſiam *ædificauit, & uelut deſculptum habet in ſe fundamentũ illud, huiuſcemodi ſignaculum, quo & conſignatur & confirmatur.* Cognouit *ſuos* Dominus, *et reſpectum habet ad eos, ut impleat in eis prædeſtinationem ſuam, & ab iniquitate recedit, omnis qui cõfitetur & inuocat de puro corde & fide perfecta, nomen* Domini *reſpectus enim diuinæ bonitatis, et liberi arbitrij per gratiam cooperatio: quorum alterum in prima ſignaculi parte, alterum indicatur in poſteriori, confirmant atque ſtabiliunt ſemper electos: & uelut certificant, quod nunquam electi fideles*

deficient in finem, A quibus ſuſtinetur, tanquam à fundamēto, ſancta Eccleſia. *Nihil autem mirum, ſi permittat* Deus, *etiam inter ſuos eſſe, qui cadant à fide. Quemadmodum enim in magna domo, ut ſit perfecta in omnibus utenſilibus: non ſatis eſt eſſe uaſa decoris pretioſa, aurea ſiue argentea, ſed etiam uilia ſunt, lignea & fictilia, Et quædam quidem ad honorificos uſus aptata, alia ad uſus contemptibiles atque abiectos ita indubie, ſiue in hoc mundo magno ſiue etiam in* Chriſti Eccleſia *graduum & ordinis meritorumq; diuerſitas, ab optimo patrefamilias, ad gloriam domus ordinatur. Siquis itaque modo exiſtens fictile uas nullius pretij, ſtuduerit abiectis prophanis illis, propter quæ fictile uas & terreum nominatur, per ſanam fidē ſe expurgare, fiet uas ſanctificatum et honorabile, &* Domino *placite deſeruiēs, aptum in omne opus bonum, & ſic uſum habebit honorificum.* Deſideria *autem immoderata, quæ rationis fræno non reguntur, cuiuſmodi ſolent eſſe iuuenū, in quibus uiget carnis concupiſcentia; fuge modis omnibus. Contra uero, omni ſtudio conare, ut illis contraria bona conſequaris:* Nempe *iuſtitiam, fidem, ſpem, charitatem, & pacem cum ijs qui confitentur* Dominum *de corde puro. Stultas autem & quæ nihil erudiunt uanas quæſtiones, abijce, ut non occuperis in illis: ſciens, quòd præter contentiones nihil generant.* Non *eſt autem congruum ſeruis* Dei, *ut contentionibus deſeruiant: ſed oportet ſeruum* Dei *erga omnes manſuetudinem gerere, ut nō concitetur paßionibus inordinatis, iracundiæ aut impatientiæ, paratum eſſe & beneuolum ad docendum infirmos atque ignorantes, malos & improbos patienter ſuſtinentem, cum modeſtia mature corripientem eos qui ueritati contradicunt: aut non acquieſcunt qui nondum in erroribus creduntur obdurati: ſi forte aliquando illuminati à* Deo *pœniteant de errore, & re-*

uertantur ad agnitionem ueritatis, & eripiantur è diaboli laqueis: hoc eſt erroribus infidelitatis, quibus obſtricti detinebantur, iuxta eius uoluntatem, agentis illos & impellentis, pro ſuo nequiſsimo placito.

CAPVT TERTIVM.

Hoc *autem ſcire te uolo, quod ſpiritu prædicēte, cognouimus, uentura eſſe circa mundi conſūmationem periculoſa tempora plena iniquitatibus.* Erunt *enim tunc homines magna ex parte ſui amatores, quod eſt omnis mali origo, auaritiæ cupiditate exæſtuantes ad iniuſtitiam, per elationem magna quærentes, et per ſuperbiam de ſeipſis plus quàm æquum eſt ſentientes, ad conuicia prompti, parentibus ac ſuperioribus rebelles,* Deo *atque hominibus ingrati, ſcelerati, atque prophani, qui nec naturalis affectum pietatis habent, neq; pacta ſeruare curant, aut fœdera pacis, calumniatores, neſcientes continere, immites, bonitatem non amantes, proditores, proterui, inflatione tumidi, cæci, & uoluptatum magis quàm* Dei *amatores, ſanctitatem exteriori apparentia præ ſe ferentes atq; ſimulantes, cuius tamen uim atque ueritatem factis abnegant.* Hos *autem, omnibus modis, cuilibet* Chriſtiano *cenſeo deuitandos.* Tales *enim iam eſſe cœperunt quidam, qui clanculum ſubintrantes in domos (ut in tenebris doctrinam doceant tenebrarum) errorum uinculis irretiunt credulas atque inſtabiles mulierculas (& ſiqui illis ſimiles ſunt uirilis ſexus) peccatis onuſtas, ſequentes uarias ſuas quibus ſolicitantur concupiſcentias, perſuaſæ blandientium* Pſeudoapoſtolorum *falſis doctrinis, quæ cum ſemper diſcant, nunq̃ ſunt tamen ad ueritatis notitiam peruenturæ, donec falſis iſtis doctoribus aures præbuerint.* Quemadmodum *autem* Iannes & Mambres *magi* Pharaonis *regis,* Moyſi *ſeruo* Dei *reſiſtebant, ut non haberetur eius ſermonibus fides: ita & hi ueritati*

obſiſtunt, ut alios à fide recta auertant, homines mentis iudicio penitus corrupti, & circa fidei ueritati reprobi, ac deſperati. Sed non in finem uſque ſemper proficient. Futurum eſt enim ſuo tempore, ut eorum uanitas atque falſitas manifeſtetur omnibus, ſicut & illorum inſipientia tandem conuicta fuit, quando Pharao cum uniuerſo ſuo exercitu, ex illorum conſilio malo, fuit demerſus in profundum. Tu uero me recte & diligenter inſecutus, mihi ſimilis factus es in omnibus. Nempe in doctrina ueritatis, in morum recta inſtitutione, in uirtutis firmo propoſito, in fide ſyncera, in longanimitate, in uera charitate, in forti patientia, in perſecutionibus quoque & afflictionibus uarijs, quales mihi illatæ ſunt Anthiochiæ, Iconij, & Lyſtris. In talibus, inquam, perſecutionibus, quales ego in his & alijs compluribus locis ſuſtinui, & gratia Dei nullæ mihi præualuerunt. Et omnes qui uitam piam atque Chriſtianam ducere uolunt, animo oportet eſſe forti & præparato ad tolerantiam perſecutionum, quas ſolent impij melioribus inferre, atque etiam caro cũ dæmonijs. Peruerſi aũt hoĩes quorũ eſt ſtudium ſimpliciores ſeducere, pergent in malitia ſua, à Deo derelicti: ipſi miſere errantes, & (quod intolerabile eſt) alios ſecũ in errorem trahentes. Tu aũt perſta firmus, in his quæ me docente didiciſti, & tibi ſunt cõmiſſa ut alios doceas. Sta, inquã, firmus nihil hæſitans, quoniã noſti me, qui te ut à Chriſto accepi, edocui: & quis ſim, quæ'ue conuerſatio mea, optime noſti. Accedit, quod ab annis teneris ſanctæ ſcripturæ eruditionẽ accepiſti, quæ te ſatis poteſt erudire ad cõſequẽdam ſalutẽ, per mediũ fidei Chriſtianæ quam habes, ſine qua legis doctrina à Chriſto magis alienat. Omnis enim ſcriptura quã ex inſpiratione diuina locuti ſunt ſancti homines, utilis eſt: ad docẽdũ & demõſtrãdũ ueritatis dogmata, et ad cõtradicentes reuincẽdũ. Itẽ ad cor=

ripiendum errantes, & ad erudiendum inſtituendumq́; in re=ctam uiam uirtutis, ut perfectus fiat qui inſtruitur fidelis, ad uacandum omnibus operibus bonis.

CAPVT QVARTVM.

Denuncio igitur ego tibi, omnibusq́; poſt te futuris gregis Domi=*nici paſtoribus teſtem inuocans* Deũ, *qui iudicaturus eſt ſuo tpe uniuerſos, ſiue uiuos, ſiue iã olim morte ſolutos: & p̄ reuerẽdũ eius aduentũ, ac ſuperuenturũ regnũ, obteſtor ut nõ torpeas in* Euangelij *prædicatione.* Immo *uero aſsiduus inſiſte, quoties & ubicunq́; opportunitatẽ captare, fructumq́; ſperare potueris:* Nũc *demõſtrando docens fidei ueritatẽ, nunc obſecrãdo exhortans, nũc acrius increpando uitia inſectans.* Idq́;, *ſalua ſemper patientia, erga malos homines atq́; inobedientes, & erga infirmos minusq́; pfectos, inſtructione diligenti.* Hæc *aũt age, dum tẽpus habes.* Venturũ *eſt enim aliqñ tẽpus, in quo ſalutarem et ueram doctrinã nolent audire hoĩes: ſed iuxta ſua carnalia deſideria, ipſi prurientes auribus (hoc eſt, titilari blandiriq́; ſibi à falſis doctoribus deſiderantes) cõquirent ſibi prædicatores plurimos, q eis loquantur placẽtia, & pruriẽtes titillent mollibus carnis ſermonibus: & ueritatẽ qdẽ pungentẽ ac mordẽtẽ nolẽt audire, ſed fabuloſas et confictas hoĩum doctrinas quærent, q=bus in ſuis uitijs ac cõcupiſcentijs foueãtur.* Tu *uero aduerſum hos ſolicitus eſto ac uigilans p̄ oĩa, labora ac ſuſtine, ne fatige=ris: fac qd'* Dei *Euangeliſtã atq́;* Euangelij *prædicatorẽ decet: adminiſtrationem tibi cõmiſſam perfecte impleas, & ſobrius eſto in oĩbus.* Hæc *enim tibi in hæreditatẽ relinquo.* Ego *enim iam pro* Chriſti *cõfeßione breui ſum immolandus, & in proximo imminet tẽpus depoſitionis ac mortis meæ.* Donec *placuit domino in huius corporis me uita ſeruare, maxime poſt eius fidem ſemel ſuſceptam, militiam iſtam bonã ſolicite ac laborioſe*

peregi, curſum uitæ meæ, cum omni diligentia, uſque ad finem perduxi. Quod ſupereſt, expecto illud æternæ gloriæ præmiũ: Coronam inquã, ex iuſtitia pollicitantis iudicis uictoribus debitam. quã (non dubito) reddet mihi pro labore certaminis ac curſus mei, ſecundũ fidelitatem promiſsionis ſuæ, iuſtus iudex, Chriſtus Dñs, in nouiſsimo die. Neq; uero mihi ſoli, ſed & omnibus quicunq; in cõſcientia pura & in dilectione ſyncera præſtolantur aduentum eius, cũ operibus bonis ei obuiam pergentes, donec ueniat. Cura, ut quantocyus ad me uenias. Demas enim à noſtro ſodalitio ſe ſeparauit, fractus tribulationibus, amore huius ſeculi pertractus, & abijt Theſſalonicã. Creſcens in Galatiã eſt à me deſtinatus, & Titus in Dalmatiã. Solus Lucas adeſt mihi, hoc tẽpore. Marcum ueniens aſſume, & adduc tibi comitem. Eſt enim in quo utilis erit mihi, in miniſterium Chriſti. Tychicum autem miſi Epheſum. Penulam quã reliqui Troadæ apud Carpum, cũ ueneris, adfer tecum, & libros qui apud eundẽ ſeruantur, maxime autẽ membranas. Alexander faber ærarius, mala plurima eſt aduerſum me conatus. Iuſtus dñs reddet illi quẽadmodum & oĩbus, pro operibus mercedẽ cõdignam. Nolo enim grauius aliquid aduerſum ipſum dicere, nec pro malefactis maledictum reddere. Tantũ, tu illum ac ſimiles deuita. Valde enim obſtitit prædicationi noſtræ, et modis omnibus conatus eſt illã impedire. In prima mea examinatione ac reſponſione, cũ iam ante Neronem ſiſterer, nemo mihi fuit hominum adiutor, ſed timore ducti oẽs, ſe occultauerũt, ita ut nemo pro me auderet palàm agere. Deũ precor, ut nõ illis imputet, quod timore potius q̃ malitia factũ conſtat. Hoc aũt non cõquerendo recito, ſed ad gloriam Chriſti: qui mihi, oĩbus recedentibus, ſolus affuit, meq; adiuuit ſpirituali cõfortatione ſua, ut per me Euangelica prædicatio ad perfectum perducatur, ita ut in

ea ad mortem uſque perſeuerem: & audiāt oēs gentes per meā prædicationem edoctæ, cōſtantiā fidei meæ, quia liberatus ſum de ore leonis rugientis, ſiue inuiſibilis diaboli, ſiue Neronis uiſibilis hoīs dum nullis terroribus, nec ipſa quidem morte, à fidei firmitate auellere me potuerint. Chriſtus dñs confortando me, liberauit ab omni opere malo, ut nomē eius nec uerbo, nec opere, propter terrores negauerim, & faciet ſaluū in ſuum regnum cœleſtè, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Saluta meo noīe Priſcam & Aquilam, & Oneſiphori familiam. Eraſtus remanſit Corinthi. Trophimū aūt reliqui infirmū Mileti. Feſtina ut ante hyemem ad me uenias. Salutant te Eubolus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes qui nobiſcum ſunt. Dominus Ieſus Chriſtus, ſit cum ſpiritu tuo, Amen. Sit gratia Dei uobiſcum. Amen.

Finit Elucidatio in Epiſtolam ad Timotheum poſteriorem beati Pauli Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM
in Epiſtolam ad Titum, beati Pauli Apoſtoli.

Titum & ipſum probatum diſcipulum reliquerat Apoſtolus Cretenſi inſulæ præfectum Epiſcopū, quomodo Timotheū Epheſijs præfecerat. Et hunc ergo, de ijs quæ ad ipſius ſpectabant officium, per epiſtolam inſtruit. Et primū quidē, de Epiſcoporum & preſbiterorum per ciuitates ſingulas ordinatione, mandatum replicat. Et ut ſciat quales ordinare debeat, eorum conditiones late ſimul & clare, quomodo & apud Timotheū deſcribit. Atq; poſt oīa illud peculiariter exigit in Epiſcopo, ut potens ſit per ſanam doctrinam, & exhortari fideles, & contradictores redarguere, ſuæ fidei rationem reddendo. Ait enim eſſe multos, qui egeant redargutione: potiſſimū ex Iudæis ſuas

uanitates docentibus. Teſtimonio uero Epymenidis poetæ cuiuſdam Cretenſium fallaciam, malitiam, atq; duriciem, pigritiamq́; & guloſitatem deſignans, eos uult dure & incircunciſe increpari, iuxta gentis conditionem: ut in fide recta permaneant, fabulisq́; nō intendant. Per occaſionem aūt breuiter determinat, per ſe nihil eſſe immundū, ſed infidelibus eſſe immunda omnia: qui licet ore cōfitentur Deū, factis tamē pernegant. Secundo de hinc capitulo diſcipulum præceptor inſtruit, quomodo unamquanq; ætatem & ſexum, ſenes uidelicet atq; iuuenes, uiros ac mulieres, debeat iuxta cuiuſq; conditionem inſtituere, ſic tamen, ut in oībus uirtutibus, ſe proponat alijs in exēplum. Et quaſi per ſuppletionem, de ſeruis, quales ſe erga dños gerere debent peculiariter præſcribit. Vt aūt oēs ad bene uiuendum, in ſuo quenq; ſtatu alliciat, gratiā Chriſti Ieſu, quæ apparuit in humani generis redemptione, proponit ante oculos, qui ad hoc ipſum dedit pro nobis: ut ab oībus peccatis emundati, tanq̃ populus peculiaris eius & acceptabilis, ſectatores facti bonorū operum, iuſte, pie, ac ſobrie uiueremus in hoc ſeculo. Tertio aūt capitulo admoneri uult Chriſtianos, ut ſuis principibus debitam præſtent obediētiā, neq; ad cōuicia, aut lites ſint prompti: ſed ut erga oēs omnino homines, etiam infideles, manſuetudinem oſtendant, eis, per cōpaßionē, de ſua infidelitate cōpatiendo. Recordantes, quēadmodum & olim patres noſtri in in eiuſmodi infidelitate ac reliquis cōſequentibus peccatis, uiuebant ſub ira Dei, à qua per Dei clementiā & benignitatē ſalui facti ſumus: nō ex noſtrorū operum debito, ſed per Dei liberalitatem, qui nobis gratis filium ſuum ſaluatorem miſit, baptiſmum in regenerationis lauacrum inſtituit, & ſpiritum ſanctum in nos effudit, ut ex ſolo Dei gratuito munere hæreditatem expectemus uitæ æternæ. Atq; huiuſmodi Chriſtianis utilia, de-

uitatis inanibus & contentioſis quæſtionibus, ad ædificationē, eum ſuis uult ſubditis ſedulo proponere. De *hæretico quoque poſt primam & alteram correptionem incorrigibili comperto, quod debeat uitari, decernit.* D*emum familiaria quædam et ſalutationes pauculas adiungens, ita concludit* Epi*ſtolam.*

Finit Argumentum.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD *Titum beati Pauli Apoſtoli.*

CAPVT PRIMVM.

PAulus *ſeruus* Dei *&* Apo*ſtolus* Ie*ſu* Chri*ſti, ad prædicandum fidē* Chri*ſti quam oēs electi à* Deo *credunt, illamq; ueritatis doctrinam quā* Chri*ſto reuelāte cognouimus, ad pie ſancteq; uiuendū, in hoc ſeculo, atq; ita ſecure expectandum uitā æternam, quā* Deus *natura & eſſentia ſua uerax, præfiniuit, & immutabiliter præordinauit in æternitate, ante oīa tempora quæ præceſſerunt ab initio ſeculi: manifeſtum autē fecit, tēpore ad hoc deputato: hoc eſt nunc primum in diebus iſtis nouiſſimis, uerbū* Euangelij *ſui, in quo eſt uitæ huius promiſſio, per prædicationem quæ mihi eſt credita et cōmiſſa, ut fideliter eam exerceam, iuxta quod iniunxit mihi dñs:* Ille, *inquā,* P*aulus, ſalutem precatur ſcribitq;* Tito, *ob morum fideiq; ingenuitatē uere dilecto filio, nō carnis autē ſed fidei, quæ eſt utriq; ex* Dei *munere cōmunis.* Gratia *tibi ſit & pax à* Deo *patre noſtro, & dño* Ie*ſu* Chri*ſto.* Ob *huius rei gratiam te* Creten*ſi inſulæ reliqui præfectum, ut ea quæ adhuc ordinanda diſponendaq; ſuperſunt, paulatim diſponas, & cōſtituas ſingulis ciuitatibus ſuos* Epi*ſcopos, quēadmodum ordinaui, cū apud te præſens eſſem.* In *ordinandis autē* Epi *copis cō=*

ſiderandum eſt, ut tales ſint ordinandi, qui de nullo crimine poſ ſint merito infamari, neque duas habuerint poſt baptiſmum uxores: quorum filij (ſiquos habent) fideles ſint, ac bonis pro batisq; moribus, ut nec de luxuria qualibet, nec de inobedientia poſſint iure accuſari. Oportet enim ſic eminere in ſua conuerſatione, eum qui in Epiſcopum uenit cõſecrandus, ut de nullo crimine ſuſpectus habeatur, aut infamari poſſit: ſecũdum ueritatem, aut probabilem æſtimationẽ, ſicut decet diſpenſatorem atq; præpoſitum domus Dei, quæ eſt Eccleſia. Neq; enim homines potentes ſerunt hominem malæ famæ habere ſuæ domus diſpenſatorẽ. Oportet etiã eum eſſe nõ ſuperbũ aut pertinacẽ, proprijs placitis nimis inhærentem, nulliusq; cõſilia admittentem: Non facilẽ ad iram, nõ uino deditum, neq; lingua, neq; manu percuſſorem, nõ turpia lucra quærentẽ: ſed econtrario oportet, ut propter hoſpitalitatem ſectandam etiam ſua libenter impertiatur, ut ſit benignus & oĩum amator bonorũ, ſobrius in oĩbus, iuſtus, ſanctus, continens, cum amore ac diligentia inhærens fidelibus & ueracibus ſermonibus, qui ad docendum ſunt accõmodi, ut his inſtructus, potens ſit exhortari ſubditos, per doctrinam ueritatis, & cõtradictores cũ authoritate reuincere atq; cõfutare. Sunt enim multi nõ ſubditi, uaniloqui, qui & mẽtes hoĩum ſeducũt in errores, de quorũ numero præcipui ſunt carnales Iudæi, quos neceſſe eſt ſeuera correptione redargui, qui magna diligentia per domos circumeuntes, quærunt à libertate & ueritate Euangelica hoĩes paſſim abducere: inq; ſuum Iudaiſmũ pertrahere, docẽtes quæ docẽda nõ ſunt, quæſtus gratia. Dixit Epymenides poeta quidã, ex ipſis: Cretenſes ſemper mendaces, mali, irrationabiles, & duri beſtiarũ more, homines inertes, ac pigri, uentri dediti. Hoc teſtimonium (quantum ad plurimos, & loci peruerſam cõſuetudinem) nõ abhorret à ue-

ro. Cum igitur aptandi ſint ſermones iuxta auditorum qualitatem increpa illos dure et incircũciſe, nullis utens ambagibus. Sic enim eorum expedit ruditati, ut in fide recta firmi & integri permaneant, neque auditum, uel animum Iudæorum fabuloſis narrationibus accommodent, aut humanis traditionibus: quibus ſolent occupari homines illi, qui ueritate repulſa ad uanitates ſe cõfrunt: quemadmodũ (exempli gratia) de ciborũ diſcretione multa ſolent præcipere, quæ tamẽ uana pro hoc tempore prorſus exiſtunt. Cum ſecundum ueritatem ſint mundis & fidelibus hoĩbus omnia munda, ita ut nullus cibus fidelem poßit cũ bona cõſcientia & grãrũ actione manducantẽ, coinquinare. Cõtra uero, infidelibus quos ſua infidelitas coinquinat, nihil eſt mundũ: ſed eorũ & ratio & cõſcientia polluta eſt, ex quibus infidelitatis maculis oĩs eſt eorũ pollutio, non ex cibo aut potu quem ſumunt. Fatentur ore & exterioribus obſeruantijs. Deum ſe noſſe & colere: factis autẽ contrarium demonſtrant, dum eius filij gratiam nõ recipiunt. Cum ſint hac de cauſa execrabiles Deo, & increduli, & ab omni opere uero bono deſperati. Nam qui gratiam Chriſti & fidem ſanam non recipit, nihil uere boni operis poteſt exercere.

CAPVT SECVNDVM.

Tu autem econtrario loquere quæ ad ſalutarem doctrinam pertinent, ſingulos quomodo in ſuo ſtatu recte cõuerſentur inſtruẽs. Doce ſenes eſſe ſobrios, grauitate uenerabiles, in conſilijs atq; agendis circunſpectos, ſynceros, atque integros in fide, in charitate, et ſuſtinentia, ut non fatigentur ſenectutis laboribus, aut diuturna expectatione futurorũ bonorum. Anus ſimiliter doce ut tali utantur habitu qui religioni ſit congruus, ut non ſint calumniatrices detractionibus uacantes, neque ebrietatibus deditæ. Sint autem & uerbo & exemplo bono egregie docentes,

ut liceat ex ipſis prudentiam atque uirtutes iunioribibus addiſcere. Cū enim publice eis docere non permittatur, hac potiſſimum ratione curandū eſt, ut prudentiam uel moribus doceant: Adoleſcentiores etiam doce amare uiros ſuos filios diligere: hoc eſt, educare, & erudire, prudentes eſſe in regenda familia, caſtas eſſe ac puras, ſobrias, domeſticam adminiſtrationē cordi habentes, benignas, & uiris ſuis bene ſubditas: ut uerbum Dei & fides Chriſtiana non ueniat in calumniam, quod futurum eſſet, ſi prætextu Chriſtianitatis mulier, uiro cui cohabitat minus in licitis uelit obtemperare. Adoleſcentulos, præter hæc peculiariter admone, ut ſint in omnibus ſobrij: Nam ſolent huiuſmodi, luxui et gulæ amplius eſſe dediti. Et ut habeant authoritatem quæ tu alios doces, in omnibus te præbe in exemplum & formam, in operibus bonis: in ueritatis doctrina, in integritate morū, atq; in ueneranda grauitate. Verbum quod loqueris ſit uerum, ſalutare atque proficuū, & tale quod reprehendi aut calumniari rationaliter non poſſit: ut aduerſarij (ſiqui ſunt) confundantur intra ſe, cum ſe uiderint nihil habere quod poſſint aduerſum te rationabiliter obijcere. Seruos doce dominis temporalibus ſubijci, & ſtudere ut eiſdem in omnibus propter Deum placeant, quantum in ipſis eſſe poteſt: non contra murmuratores eſſe, non ſubtrahentes aliquid, ſed in oībus fideles ſe oſtendentes & exhibentes: ut doctrinā Euangelicam, quam nos Deus ſaluator noſter edocuit, honeſtent per omnia, operibus eā bonis implendo. Profecto eſt neceſſarium, ut ſic ſinguli hominum ordines, diligenter iuxta profeſſionē ſuā uiuant, ſiue ſenes, ſiue iuuenes, ſerui atque dñi. Palàm enim manifeſtata eſt gratia & miſericordia Dei in incarnatione uerbi diuini, ad omnium hominum ſine exceptione (modo credere uelint) utilitatē atq; ſalutem: quæ nos pariter inſtruxit, quemadmodū huius in com-

mune propoſitæ ſalutis participes eſſe ualeamus: Nimirũ, *ut ab omni impietate falſitatis declinantes, & mundanas concupiſcentias calcantes, uitam in operibus bonis degamus, in ſobrietate omnimoda noſmetipſos continentes, iuſte erga omnes conuerſantes, & in pietate ueri cultus* Deo *ſeruientes, in hoc tempore quod nobis ad lucrum & meritũ conceſſum eſt: ut deinde ſecuri expectemus beatiſsimum illud præmium, quod ſecundũ opera bona ſperamus conſequi, & aduentum illum glorioſum, in quo apparebit magnus ille* Deus *tanq̃ omnium iudex, & electorum ſuorum ſaluator* Ieſus *Chriſtus: qui cum in hoc mundo eſſet ſeipſum obtulit patri, & in manus dedit inimicorum, pro noſtra ſalute: hoc eſt, ut nos pretio ſanguinis ſui ab omni peccato faceret ſaluos, & ſic emundatos ſibi adoptaret in populum pretioſum, peculiari charitate coniunctiſsimum, et quẽ ipſe in maxima haberet æſtimatione, qui deinceps emundatus à malis, bonis operibus cũ omni diligentia uacaret. Huiuſmodi ſunt quæ te oportet docere, & exhortando proponere, atque cum authoritate aduerſum contradicentes, reuincendo illos, demonſtrare. Cura ſic te in omnibus habere, ut non te merito quiſquam deſpiciat aut paruipendat.*

CAPVT TERTIVM.

A*dmonens doce illos bene ſubditos eſſe principibus tẽporalibus, et inferioribus ab eis in poteſtate conſtitutis ut iuſsionibus eorũ pareant, & ad omne quod iniungitur opus bonum, animo promptos eſſe, neminem conuicijs inſectari, neque litibus pugnare: ſed modeſtos potius ſeſe exhibere, ut nec læſi quærant reddere talionẽ, & omnino erga omnes homines, in omni conuerſatione, perfectam manſuetudinem demonſtrantes.* Quod *eo nos amplius nunc facere conuenit, quo nos* Dei *ſolius gratia ab eiuſmodi uitijs, q̃bus obnoxij olim fuimus: liberatos cogno=*

ſcimus. Eramus enim & nos qui in Chriſtum iã credimus olim quidem (hoc eſt, uos cum idola adhuc coleretis) inſenſati, nolentes acquieſcere ueritati, ac proinde errantes et ſequentes uarias carnis malas affectiones, & uoluptatibus dediti, uitam in prauitate cordis & in inuidia degentes, odibiles Deo *& hominibus, propter ueſtram malitiã, & inuicẽ odio habentes propter inuidiam.* At *uero ubi deſuper nobis ſe manifeſtauit illa* Dei *ſingularis benignitas, quæ fuit erga nos ab æterno affectus, et amabilis illa erga humanũ genus clementia ꝑ quam nos ab æterno ſaluare ꝓpoſuerat, ſaluos nos ab omni peccato & damnatione ipſe effecit: non ex merito operum iuſtitiæ, quæ per nos facta fuiſſent aut patres noſtros, ſed propter infinitam miſericordiã ſuã:* Fecit *(inquam) nos ſaluos ab ira* Dei, *à peccato, et damnatione per baptiſmi lauacrum, per quod credentes renati ſumus ex filijs iræ filij* Dei *effecti, & renouati, exuto ueteri homine, in gratia* Dei: *quæ quidem, & regeneratio & renouatio, tota ꝑ ſpiritũ ſanctum interius operantẽ perfecta eſt, quem in corda noſtra copioſe ac diuiter effudit, de plenitudine filij* Ieſu Chriſti *ſaluatoris noſtri: ut per eius gratiam iuſtificati à peccatis, ſecuri expectemus hæreditatẽ uitæ æternæ. Dignus fide eſt ſermo iſte, atque huiuſmodi ſalutaria fidei ueritatisq; dogmata te uolo audacter aſſeuerare, & conſtanter proloqui, ut qui fidem habent, curent & operibus bonis inſiſtere, ita ut etiam præueniendo occaſionem captare ſtudeant bene operandi. Hæc enim ſalutaria ſunt dogmata, & hominibus utilia. Stultas autẽ quæſtiones, & fabuloſas illas* Iudæorũ *genealogias, contentionesq; ac pugnas, quæ ex legis litera à legis ſolẽt ſectatoribus moueri, reijce, neque teipſum illis occupes: cũ ſint inutiles, & nihil ſoliditatis habentes.* Hominẽ *in ſua hæreſi obſtinatum, poſtq̃ ſemel atque iterũ corripiendo admonueris, nec profectum ullum ſen-*

ſeris,reijce,ut non ultra cum illo fruſtra agas: ſciens quòd fun=
ditus ac deſperate ſubuerſus ſit talis, & in delecto ſuo ꝑmanet,
cum ſit ſuo ꝓprio iudicio damnationi obnoxius. Eo ipſo enim
quòd falſitati deliberata electione uult adhærere, in ſeipſum
damnationis profert iudicium. Cum ad te miſero Arthemam et
Tychicum(ne prorſus orbentur Cretenſes, Epiſcopi ſolatio)
feſtinato ad me uenire Nicopolim, ubi hyemem tranſigere ſta=
tui, Zenam uirum peritũ in lege, et Apollo in ſanctis ſcripturis
apprime inſtructum, uiros utiq; honorabiles ſolicite deducens
cura,ne quicquam illis deſit neceſſariũ. Diſcant autẽ, tuis moni
tis & exẽplis,qui iſtic crediderunt,bonis operibus uel præue=
niendo inſiſtere, ut neceßitatibus ſanctorũ prouideant,ne ſint
uacantes bonorũ operũ fructu. Salutant te oẽs fratres, qui hic
mecum ſunt. Tu uicißim ſaluta meo nomine eos, qui apud te
ſunt noſtri amantes in fide, dilectione ſpirituali. Gratia Dei,
cum omnibus uobis, Amen.

Finit Elucidatio in Epiſtolam ad Titum
beati Pauli Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM
in Epiſtolã ad Philemonem beati Pauli Apoſtoli.

Ex familiaribus epiſtolis(quas nõ eſt dubiũ plurimas, pro diuerſi
tate cauſarũ,diuerſis ſcripſiſſe Apoſtolũ oĩum ſalutis cupidũ)
una hæc remanſit,quæ ad Philemonem ſcripta fuit. Philemon
autẽ hic,ad quẽ nunc ſcribit Apoſtolus,Coloßis morabatur, ſi
mulq; hæc cũ illa quã ad Coloſſenſes ſcripſerat, & per eoſdem
nuncios miſſa fuit,quemadmodum facile uideri poteſt, ſiquis fi
nem huius cũ illius fine conferat. Ac de argumento quidem epi
ſtolæ,in ſummo illud eſt manifeſtum,qđ pro ſerui fugitiui rece
ptione(cui nomẽ erat Oneſimus)ad Philemonẽ dñm à quo au
fugerat,ſcribit Apoſtolus amice admodũ & familiariter poſtu

lans, pro ſuo nomine illũ in amorem recipi, in quo tam ſibi fuit placitum, ut etiã detinere ſecum eũ libẽter uoluiſſet. Cæterum, de cauſa fugæ huius, poſteaq̃ nihil ſcripſit Apoſtolus, certũ habetur nihil, neq; ita multũ ad rem pertinet, quid cauſæ fuerit, ut aufugeret. Sunt qui dicunt illũ tanq̃ furem aufugiſſe ꝑ malitiã, & furto ſubduxiſſe nõnulla de ſubſtantia Dñi, ad qd' illud putant referendũ quod dicit Apoſtolus: Siquid debet aut nocuit tibi, mihi imputa, ego reddam. Quorum authoritati nec obſiſtimus, neq; ſententiæ tamen accedimus. Præſertim cũ in ea quam ad Coloſſenſiũ Eccleſiã ſcribit epiſtola, honorificã admodũ faciat Apoſtolus huius Oneſimi mentionẽ. Mihi ſanè mitius uidetur, ut illi quẽ Paulus chariſſimũ & fidelẽ fratrẽ apud totam Coloſſenſiũ Eccleſiam nominat, ſine cauſa & authoritate, crimen furti, & tantæ malitiæ, perfidiæq; fugæ infamiã, nõ aſcribamus. Fieri enim potuit (id quod non raro ſeruis ſolet accidere) ut ꝑ eum quoquomodo damnũ rerũ ſuarũ perpeſſus fuiſſet Dñs Philemon, idq; ſiue ꝑ negligentiã quãlibet ſiue ꝑ inſufficientem rerũ dñi ſui cuſtodiã, ſiue ꝑ aliã quãcunq; fortunæ aduerſitatẽ, ob quod iram heri metuens, nec uidens quo pacto dominum placare poſſet cõſilium habuit ad Paulũ cõfugere, quẽ ſciebat apud dñm ſuũ plurimũ authoritate ualere, ut ꝑ eum redire poſſet in gratiã dñi ſui eiusq; aĩum ſibi ſic recõciliare, atq; horſum optime referri poteſt, quod dicitur in epiſtola: Qui tibi aliquando inutilis fuit. Et iterum: ſiquid debet tibi aut nocuit, mihi imputa, ego reddam. Apoſtolus igitur ſerui illius ad ſuum auxilium confugientis miſertus, quàm poteſt fideliſſime agit apud dominum, ut in gratiam illum ſicuti fratrem chariſſimum immo ſicuti uiſcera ſua, ſuſcipiat, confidens in obedientia charitatis eius, quoniam etiam ſupra quod poſtulat libenter efficiet. Sperans autem libertate donari, atq; ad eos inuiſendos redire,

hoſpitium ſibi ſuisq; commodum aptari iubet:atq; ita, additis familiaribus ſalutationibus,terminat epiſtolam.

Finit Argumentum.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM AD Philemonem beati Pauli Apoſtoli.

CAPVT PRIMVM.

P *Aulus pro Chriſti nomine uinculis captiuitatis aſtrictus & Timotheus frater Philemoni, in re fidei & Chriſti negotio, cooperario, & Aphiæ mulieri bene fideli atq; Archippo in Chriſti nomine ſtrenue nobiſcum agenti, et uniuerſæ illi fidelium congregationi,quæ eſt in domo Philemonis ſalutem. Gratia ſit uobis & pax à Deo patre noſtro,& Domino Ieſu Chriſto. Gratias agere nō deſino Deo meo,frequētiſſimam tui faciens memoriā in orationibus meis:dum audio charitatis tuæ fraternæ,& fidei cōmendationē, quā fidē atq; charitatē habes erga Dominū Ieſum,atq; etiā oſtēdis erga omnes ſanctos:Ita ut in iſta tua miſericordia & liberalitas qua cōmunicas ſanctorū neceßitatibus,fiat per diuulgationem manifiſta, in agnitione bonorū operū quæ tu palàm exhibes, omnibus in in exemplū,pro amore noīs Chriſti Ieſu. Magnum enim mihi gaudium,& conſolationē adfert nō mediocrem, qđ per te (ut audio)refocillantur ſancti in neceßitatis ſubleuatione. Et quia tam fidelē te Dei miniſtrū cōſpicio,confido tā promptæ te eſſe erga me obedientiæ,ut fiducialiter mihi liceat tibi etiā cū imperio iniungere,quicquid mihi fuerit uiſum expediens. Veruntamen malo impræſentiarū ꝓpter charitatis fomētū atq; augmētum obſecrare,q̄ imperare:præcipue cū ſis ſenex æta'e, qualis ſum ego,qui præter hoc etiā nunc uinctus ſum Chriſti Ieſu: ut*

tam ex ratione tuæ ſenectutis, q̃ ex cõditione meæ humiliatio-nis malim nunc ſupplicare, q̃ imperare. Obſecro (inquã) te pro meo filio: quẽ in captiuitate Romæ hic poſitus, in Chriſto erudiui, ſiue fidelẽ aut meliorem feci Oneſimo noĩe, qui tibi aliqñ inutilis fuit: & p quẽ rerũ tuarum forſitan damnũ aliquod paſſus fuiſti. Erit autẽ de cætero meis monitis bene inſtructus, & tibi utilis, & mihi. Quem cum ad me familiari cognitione, recuperandi tui fauoris gratia acceßiſſet, remittere ad te uolui meis literis cõmendatũ. Te aũt precor, ut ſic illũ benigne ſuſcipias, quaſi quẽ habeam charißimũ. Et ſanè percupiebam illum apud me detinere, ut tui loco mihi uincto miniſtraret ĩ negotijs Euangelij, pro quibus mihi per uincula impedito, legatis pluribus ad diuerſas Eccleſias eſt opus. Nolui autẽ ſine tuo cõſenſu tale quid attentare, ne bonũ tuũ iſtud quod in ſeruo exhiberes, eſſet quaſi extortum atq; coactũ, ſi te nõ requiſito ſeruum tuum detinuiſſem: ſed malo ſit uoluntariũ bonum tuũ, ut mihi illũ, ſi uelis libere remittas, aut ſi placet amice retineas. Forſitan enim ſic diuina prouidentia diſpoſuit ut illa tẽporaria ab inuicem ſeparatio qua nunc ad tẽpus à te abfuit, cauſa eſſet æternæ in dño & firmißimæ cõiunctionis, modo in amore plus ſolito, & in futuro ſine termino: eſſetq; tibi amodo, nõ ut ſeruus timore ſubiectus, ſed magis ut frater charißimus ĩ Dño. Talis enim indubie eſt mihi, qui tamẽ nulla ſpeciali ſocietate illi fuerã iunctus: quanto magis erit & tibi, qui naturali dictamine, quaſi familiæ tuæ, tuiq; partẽ aliquã, diligere illũ debes: etiã citra Chriſtianitatis titulũ, atq; meã cõmendationẽ. Si ergo me tibi reputes ſocium aut amicum, peto ut illum ſicut meipſum benigne in gratiã recipias. Si autẽ in ulla re tibi dãnum intulit, ſiue per nequitiam, ſiue p incuriam ſiue quomodolibet aliter, ego me ſponſorem pro illo facio, mihi totũ imputa ego perſoluã oĩa. Ecce

autem

autem (ne quicquam dubites) chirographum tibi trado. Ego *Paulus ſcripſi manu propria. Vt taceam interim, quod tamen cũ ueritate dicere, poſſum, & audeo, & tu debes agnoſcere: quòd nõ ſolum oĩa tua, ſed & teipſum mihi debeas, eo q̃ te ad Chriſtum adduxerim. Ita frater mi, ita ſanè, fac in te oblecter ſancte in* Dño. *Cõſolare hac in re modo ſpiritũ meũ.* Liberius *aliquãto ſcripſi tibi, eo q̃ optime confidam de promptitudine obedientiæ tuæ, firmiter ſciens quoniã ampliora etiam ſis factu- rus, q̃ ego præceperim. Simul autè & para mihi cõmodum lo- cum, in quo hoſpitio me recipias, cũ cæteris qui fuerint in meo comitatu. Spero enim adiutorio precum ueſtrarũ me libertate donandum, atq; uos inuiſurum. Salutat te* Epaphras *ille qui ex* Colloſſenſibus *ad me miſſus fuerat, tam ſingulariter mihi com patiens atq; aßiſtens, ut quaſi ſimul uinctus uideretur pro no- mine* Chriſti. *Salutãt uos* Marcus, *Ariſtarchus,* Demas, & Lu *cas, cooperatores mei in negotio* Euãgelij. Gratia Domini *no ſtri* Ieſu Chriſti, *cum ſpiritu ueſtro.* Amen.

Finit Elucidatio *in* Epiſtolam *ad* Philemonem
beati Pauli Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM
in Epiſtolam *ad* Hebræos, *beati* Pauli Apoſtoli.

Propter *nimiam charitatis latitudinem, non contentus* Apoſtolus *ſuis* Eccleſijs *gentium diuerſas ſcripſiſſe epiſtolas, etiam hanc ad eos qui ex* Iudæis *ad* Chriſtum *fuerant conuerſi, ſententiarũ profunditate & rerum ſoliditate non infimam, ſcribere cura- uit, in qua hoc tanquam caput & præcipuũ quærit declarare, quemadmodum* Chriſtus Ieſus *uerus et ſummus ſacerdos, finis ſit uniuerſæ legis, quæ tantũ figuras habuit ueritatis in* Chriſto *adimplendæ:* Atque *ita, ut per* Chriſtum *peccatorũ remißione,*

cœleſtisq́; regni apertione perfecta, non ultra carnalibus inſi-ſtant obſeruantijs, ſed ex fide Chriſti ſalutē quærant, neq; fran-gat eos tribulatio aut perſecutio, quam ꝑ Chriſti nomine ſuſti-nent. Et *quoniam iuxta adiutorum qualitatem ſermo aptandus uenit, iccirco apud* Iudæos *loquens, ex ipſorū hiſtorijs & anti-quis legalibus ritibus, plurima demōſtrat.* In *ipſo itaq; epiſtolæ huius exordio, mox illud proponit* Apoſtolus, *quemadmodum* Deus *pater olim per* Prophetas *patribus loqui & apparere ſolitus, in hac temporis plenitudine per filiū nobis ſit elocutus, ſibi, coæternū et ꝑ omnia coæqualem. Cuius gloriā longe ſuper angelorum dignitatem eminere, ex teſtimonijs diuerſis demon-ſtrat, quæ partim de angelis miniſtris* Dei, *partim de* Chriſto Dei *filio faciunt mentionē, ſemper tamen de filio honorificen-tiorem, q̄ de angelis adminiſtratorijs ſpiritibus.* Propter *quod ſecundo capitulo, ex* Chriſti *præcellenti dignitate, arguit multū nobis eſſe obſeruanda, quæ modo ſunt ꝑ* Chriſtū *primū, deinde & ꝑ* Apoſtolos *prædicata, ſignisq́; & ꝓdigijs confirmata.* Et *nequis propter carnis fragilitatē illum paruipendat, cui* Deus *futurum ſeculum & omnia ſubiecit: conſequenter declarat, quomodo ſecundū diſpenſationē, aſſumpta humanæ naturæ in-firmitas (iuxta quā etiā angelis ad tēpus minor uiſus, nobisq́; fratribus ſuis per omnia fuit aſsimilatus) illi ad maximā exalta tionē, nobisq́; ad ſummā prouenerit utilitatem: quoniā propter paſsionē mortis, & ipſe gloria fuit coronatus, & nobis omni-bus qui credimus in eum, author ſalutis eſt effectus: dum per mortē deſtructo mortis imperio, nobis factus eſt pontifex fide-lis, potens in eo ꝙ tētatus fuit noſtræ quoq; infirmitati auxilia ri.* In *tertio aūt capite, uelut ad ſequētia, quæ de legis imperfe-ctione dicturus eſt, uiā faciens, primū utriuſq; legis miniſtros atq; latores cōfert ad inuicem,* Chriſtū *tanq̄ filiū,* Moyſi *ſeruo*

longe præponens. Propter quod Pſalmiſtæ *uerbis utens, exhortatur eos: ut hodie, id eſt, in hoc tpe nouæ gratiæ, p infidelitatẽ corda nõ obfirment, uideantq; ne cor malũ incredulitatis aut apoſtaſiæ à* Chriſto, *in eis inueniatur, ſed ad perſeuerãtiam mutuis ſeſe corroborent exhortationibus, uetus exẽplũ adducens increduli populi* Iſraelitici, *qui propter ſuam infidelitatẽ occidi in deſerto, & à promiſſa requie prohiberi, apud* Deũ *promeruit.* Quorũ *exẽplo, capite quarto, nos quoq; ſolicitos iubet timere, ne quẽadmodũ illis audiſſe legẽ ſine fine nõ profuit, ſic & nobis ſola fidei annunciatio nõ proficiat, niſi fide quæ p dilectionẽ operatur, ijs quæ ſunt euangelizata inhæreamus.* Declarat *autẽ cõſequenter, quẽadmodum exhortatio illa* Pſalmiſtæ: Hodie *ſi uocem eius audieritis &c. hoc potiſsimũ tẽpus reſpiciat, quãdo adhuc introitus in requiem cœleſtem & ſabbatiſmus perfectus fideles manet, quomodo olim ueteres illi ingreſſum in requiem terræ ꝑmiſsionis corporalẽ expectabant.* Ad *hãc autẽ optatiſsimã requiem cœleſtem, & perfectũ ſabbatiſmũ (quẽ* Deus *initio creationis rerũ, in die ſeptimo, in quo requieuit ab omni ope, p hoc ſignificans futuram ſanctorũ poſt labores requiem præſignauit, quã requiem* Iudæis Ioſue *nõ præſtitit, qui in requiem tantum terrenã ſuos inducere potuit) per fidem nos monet uiriliter feſtinere: ne quomodo illi, à ſua ſunt requie corporali p incredulitatem priuati, ſic & nobis de noſtra contingat promiſsione cœleſti, quoniã* Deus *iudex eſt diſcernẽs oĩa, et cuius cõſpectui nihil eſt occultũ, qui iudicabit de oĩbus.* Iterumq; *monet, ut pontificẽ talem habentes qui cœlos penetrauit, in ipſius cõfeſsione & fide permaneamus.* Et *quoniã nobis aſsimilatus p oĩa tẽtatus eſt, abſque tamen peccato: ut ad ipſius thronum pro impetranda gratia, fiducialiter accedamus.* Capite *uero quinto, ſacerdotis officium (qđ eſt offerre dona &*

ſacrificia pro peccatis populi) quomodo erga nos impleuerit Chriſtus ſacerdos noſter, declarat. Qui nõ à ſemetipſo, ſed à patre miſſus & clarificatus in diebus carnis ſuæ preces & ſupplicationes pro nobis obtulit patri, ac ꝑ obediētiã quã patri uſque ad mortẽ exhibuit, oĩbus nobis cauſa extitit noſtræ ſalutis. De quo ſe dicit grandẽ ſermonem inſtituere, ſed illis quibus ſcribit (ꝓpter umbrarũ in quibus Iudæi uerſantur cõſuetudinẽ) nõ ita facilem, nec ita paucis explicabilem. Propter qd', de Chriſti põtificatu ex ueteribus ritibus prolixe in ſequẽtibus capitulis proſecuturus, primũ ſe capite ſexto quædam dicit omittere, quæ ad inſtitutionẽ faciant ſanæ fidei, ut de ueritate poßit ſacerdotij Chriſti (quod præcipue aperire intendit) latius pertractare. Illud tantũ præmonens bonis ad cautelam, & incredulis ad terrorem: q̃ ſit periculoſa res, ac penè deſperata, eum qui ſemel cœleſtiũ particeps factus eſt bñficiorũ, ꝑ fidei ſpũs ſancti acceptionẽ, poſtmodũ ꝑ apoſtaſiã corde ĩcredulo ea cõtẽnere. Cuiuſmodi hoĩes ſub cõparatiõe terræ ſterilis igni æterno tradẽdos aſſerit, nõ quaſi male de quoq̃ eorũ ſuſpicans, ſed ad cautelã & ut in bene cœptis charitatis opibus ĩ finẽ uſq; nõ ſegnes ꝑſeuerẽt, quo ſic diuinarũ ꝓmißionũ ſecundũ patrum exẽpla ꝑ patiẽtiã fiant participes. Vbi ꝑ occaſionẽ Abrahæ factã promißionẽ, iuramẽto cõfirmatam cõmemorat, ut de cœleſtibus bonis nulla nobis (illius ꝓmißionis ueris ſecundum ſpiritum hæredibus) relinqueretur poſt promißionẽ & iuramentum de eius adimpletione hæſitatio. Septimo dehinc capitulo, de Chriſti ſacerdotio ꝓpoſitum proſequens, Chriſtum cum Melchiſedech, tanq̃ ueritatem cõfert cum figura. Illudq; poſt alia multa ponderandum ducit, q̧ ꝑ Melchiſedech Abrahã decimatus fuit, atq; ita quodãmodo uniuerſum Iudæorum genus, ipſa etiã progenies tota Leuitica, quæ erat ſecundum legẽ ſacerdotalis, quæ tum erat in

lumbis Abrahæ, cum obuiaret ei Melchiſedech decimas acci-piens, et tanq̃ maior benedicẽs. Vnde maiorẽ dicit hũc ſacerdotem (qui in Abrahã totum Iſraeliticum populum decimauit) ſacerdotibus legis, qui nõ niſi à reliquis tribubus Iſrael, decimas accipiunt dehinc & de cõſummatione perfectioneq; ſacerdotij Chriſti, qđ nõ ſecundum ordinẽ Aaron dici poteſt, eo ꝙ de tribu Iuda ortus fuerit Dñs Ieſus, quæ ſecundum legẽ ſacerdotalis nõ erat, pluribus agit rationibus. Tum ꝙ ꝑ ipſum lex uetus euacuetur cũ ſacrificijs ſuis propter infirmitatẽ. Tum ꝙ cũ iureiurando in ſcripturis, filio legitur traditum ſuum ſacerdotiũ. Tum q̃a eſt ſempiternum, neq; ꝑ mortẽ (quomodo ſacerdotes ueteres) accipit ſucceſſorẽ, propter qđ etiã perpetuo uiuit ad interpellandũ pro nobis, nõ habens neceſſe quotidie aliàs offerre hoſtias, neq; primum pro ſeipſo offerre: cum ipſe talẽ infirmitatẽ nõ habeat, quæ egeat expiari, et ſemel oblata pro nobis hoſtia in ſempiternum ſufficiat pro dimittendis peccatis nr̃is. Octauo uero capitulo, quẽadmodum nõ ſecundũ legẽ ſacerdotium Chriſti eſt accipiẽdum iuxta corporale in tabernaculo miniſterium, ſed quomodo ſecundũ ſpiritualẽ intelligentiã uerorũ ſanctorum & illius tabernaculi quod ꝑ mortem ſuã nobis patefecit (hoc eſt templi & regni cœleſtis) ſit miniſter, declarat, eiuſq; ſacerdotium, ex legis nouæ Euangelicæ inſtitutione commendat, quã Prophetarum teſtimonia multo ante, tanq̃ præcellentiorem uenturã in plenitudine tp̃is prædixerunt, legem antiquando ueterem. In eo autẽ quod cõſequitur nono capitulo, tabernaculi prioris ſtatum ac diſpoſitionem deſcribens, ſimulq; ſummi ſacerdotis ĩgreſſum ꝑ corporalis hoſtiæ ſanguinem, oĩa ad myſticã refert intelligentiã. Chriſti autem tabernaculum, in quod ꝑ ſanguinem ſuum introijt, ubi & modo pro nobis patri aſſiſtit ex aduerſo uelut præcellentius comparat. Et quomodo

mediator ſit noui teſtamenti, quod in ſanguine ſuo dedicauit, et in morte cõfirmauit, ex ueteris legis typica p ſanguinem aĩaliũ ĩmolatorum dedicatione, declarat, ſimulq; & de hoſtiæ ſuæ ſemel facta ad oĩum ſeculorũ peccata delenda: oblatione: qñ tanq̃ peccator oĩbus apparuit, uenturus iterum in tpe ſuo in gloria patris ſui. Capite uero decimo legis infirmitatẽ declarans, quæ p ſuas figuras et hoſtias corporales, ſufficiens nõ erat ad emundationem à peccato, ſacrificium uerum placitum Deo*, ex Pſalmi teſtimonio adducit, nẽpe ſanctũ corpus agni immaculati, in quo ſemel pro nobis mortuus* Dei *filius, & hoſtia factus, iã reſidet in dextera patris, accepturus plenũ ſup oẽs inimicos ſuos imperiũ atq; dominiũ.* Ita *ut iã ultra poſt nouæ legis acceptam hoſtiã, ueteribus illis oblationibus, pro peccatis expiãdis, nihil ſit opus, cũ una iſta ſemel oblata, ppetuo nobis ſufficiat.* A *quo loco ad exhortationẽ trãſiens* Apoſtolus *ad uerã & ſynceram in fide recta pſeuerantiã cũ dilectione hortatur fideles factos: iudicij et ignis æterni pœnã (quæ manet oẽs à fide apoſtatãtes) in terrorẽ proponens: ex ueteris legis trãſgreſſæ pœna illius ultionẽ æſtimans, qui ſpiritui ſancto p ſuã apoſtaſiã in iniuriã & cõtemptũ intulerit.* Ad *cõſolationẽ aũt bonorũ terribilia illa dimittens, ppoſitis illorũ bonis initijs, in eo q & uinctis cõpaßi fuiſſent, & ſuorum bonorũ rapinã cũ gaudio in ſpe futurorum ſuſcepiſſent, eos hortatur, ut in patientia pſeuerent & cõfidentiã nõ perdant, ne ſubtractionis filij effecti à retributione cœleſti excidẽtes, incidant in damnationẽ.* Q*uoniã uero de fide multa præclara dixerat, Capite undecimo fidem primũ deſcribens, longe deinde ac late p fideliũ patrum exempla pertranſiens eã cõmendat: quæ nõ eſt neceſſe explicare modo p ſingula.* Q*uorum exempla, fideles iubet ſequenti capite, ſolicite quoq; ac diligenter imitari: ſic tñ ut ante oĩa* Chriſti *aſpiciamus exemplũ,*

quem dum recogitamus cõfuſione cõtempta p̃ mortem (quam uoluntarie ſuſtinuit) ad patris gloriã aſcendiſſe, corroboramur animo, ut nõ deficiamus in tribulationibus. Et quoniam in tribulationibus ſatis grauibus agebãt conuerſi ad Chriſtũ Iudæi, *dulciſsimã ei cõſolationem ex uerbis ſapientiæ proponit, declarans quẽadmodum correctio & diſciplina utilis admodum ſit, & teſtimoniũ qd' ſimus filij* Dei, *quodq; fructum multũ ſit eis allatura, ea quã nunc uidetur hr̃e acrimonia.* Poſt hæc *pacem eos cum oĩbus ſequi iubet, & diligenter contueri, nequa inter eos mala peſtis ſurſum germinãs cæterorum infectrix exurgat, proponens* Eſau *in exemplum, qui uenditũ ius primogenituræ poſtq̃ ſemel perdidit, ampl ius recuperare nõ potuit, ne ſic etiã nobis cõtingat, ſi oblatã* Dei *gratiã reſpuamus.* Ad qd', *noui teſtamenti (qd' p̃ fidẽ acceptamus) & nouæ* Eccleſiæ, *cui p̃ fidẽ incorporamur, dignitatem explicat: præmiſſoq; terrore in quo lex uetus data fuerat, multo magis nos qui de cœlo demiſſum* Dei *filium nobis nouæ legis* Euangelium *loquentẽ, audiuimus, ne recuſemus loquentẽ cõmonefacit, ſed ut cum metu & reuerentia ſeruiamus* Deo. *Vltimo tandẽ capitulo fraternæ charitatis & hoſpitalitatis quæ* Deo *uero placet, & miſerorum qui in uinculis pro Chriſti noĩe detinentur, eos cõmonefacit. Coniugum legitimum, honorabile: adulterium, deteſtabile prædicat* Auaritiã *deteſtatur.* In Deo *cõfidẽtiã ſuadet.* Ad *præpoſitorũ obedientiã & imitationem ſubditos inducit.* A *doctrinis peregrinis & ueritati diſſonis iubet attendere et ſe in* Dei *gratia ſtabilire, potius q̃ in eſcarum obſeruantijs carnalibus.* Poſt *hæc de altari noſtro, qd' eſt Chriſtus & de ĩmolata extra portã hoſtia noſtra, facit ſermonem, morali intelligentia fideles ad imitationem inuitans.* Demum *beneficentiæ & cõionis et obedientiæ uoluntariæ iterum cõmonefaciens, eorumq; pro ſe oratio-*

nes poſtulans, bona illis precatus, & excuſatione familiariter poſita, ita nouiſſimam hanc & egregiam terminat Epiſtolam.

Finit Argumentum.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM *ad Hebræos beati Pauli Apoſtoli.*

CAPVT PRIMVM.

DEus pater omnipotens qui in ſeculis præteritis diuerſimode, id eſt, uarijs modis, maioribus noſtris loqui conſueuerat per Prophetas præcones ſuos: idem ipſe tandem diebus iſtis nouiſſimis, quãdo uenit plenitudo temporis loqui nobis dignatus eſt per unigenitum filium ſuum, quẽ conſtituit Dominũ omnis creaturæ, dans ei ſuper omnia poteſtatem, per quem creauit & ſecula: id eſt, omnia ſecularia, ſiue quæ in cœlo, ſiue quæ in terra. Qui filius cum ſit ſplendor paternæ gloriæ, & lumen de patris gloria æternaliter procedens, & imago patri conſubſtantialis, patriſq; ſubſtantiam perfecte repræſentans, regenſq;, mouens, gubernans, atque ſuſtentans oĩa creata, ſola ſua potenti iuſſione, peracta peccatorum mundi expiatione per uirtutẽ mortis & paſſionis ſuæ, iam requieſcit glorioſus, et reſidet accepta iudiciaria poteſtate ad dexterã paternæ maieſtatis, in altiſſimis: id eſt, in æqualitate patris, & ſublimitate gloriæ eius: tanto angelis declaratus atque demonſtratus præcellentior, quanto nomen illud qđ illi pater donauit, & quod ipſe ut hæreditatem ſibi propriam habet, differentius eſt nomine illorũ: hoc eſt quanto filij nomen antecellit nomen angelorum. Nuſquã enim in ſcripturis attribuitur angelis filij nomen, quod de Chriſto legitur in Pſalmo, ubi ex uoce patris ad Chriſtum dicitur: Filius meus es tu mihi coæternus, coæqualis,

& conſubſtantialis, ego te in hoc ipſo qui nunquã deficit æternitatis die, ab æterno genui. Et alibi: Ego ero illi pater, & ipſe erit mihi uerus filius. Et rurſum alio in loco, cũ pater filio tradit omnium quæ in mundo ſunt poteſtatẽ, ſic eum in orbẽ terrarum introducẽs, ita legitur ad angelos de filio dictum: Adorate eum omnes angeli eius. Quãtum uero ad angelos, multo aliter ſcriptura loquitur. Nã de angelis ĩ Pſalmis ſic dicitur: qd' Deus ſpiritus quos tã nobiles creauit natura, angelos ſuos ſiue nuncios facit, ad perferendum ſua nuncia: & ſupremos quoq; ſpirituum, ipſos etiam Seraphin qui ſunt ut flamma ignis, facit ſuos miniſtros, qui aſsiſtant coràm eo omni tempore, ſicut ſerui in conſpectu domini ſui. Ad filium autẽ iterum alibi ſcriptura ita loquitur dicẽs: Sedes tua regia, maieſtasq; et poteſtas tua Deus æterna eſt, & ſceptrum regni tui eſt in æquitate: id eſt, in iuſtitia & æquitate eſt tuum imperium. Dilexiſti iuſtitiam quærens ſemper quæ ſunt placita patri, & odio habuiſti ac fugiſti iniquitatẽ: atq; propterea Deus pater, Deus, inquam, tuus, ſecundum humanitatis infirmitatẽ, impleuit te ſpiritu ſancto & eius chariſmatibus pretioſis, uelut oleo lætitiæ ſpiritualis, pluſquã cæteros omnes homines, tuos cohæredes. Cæteris enim ad menſuram, de plenitudine Chriſti, datur ſpirituſſancti gratia: Filius autem non ad menſuram accepit, in quo ſecundum oẽm plenitudinem ſpirituſſanctus corporaliter inhabitauit: & de eius æternitate atq; immutabilitate alicubi ſic legimus: Tu in principio dñe terrã in ſua firmitate fundaſti, & cœli ſunt opera potentiæ atq; uirtutis tuæ quæ creaſti. Ipſi quidẽ à ſuo ſtatu in quo nunc exiſtunt, recedent: tu autem idem permanebis, & immutabilis: & omnes illi ueteraſcent, ad modum ueſtimenti, qd' cum uetuſtate ad extremum deuenerit ſtatum durationis ſuæ, innouari oportet. Sic enim & cœli cum uſq; in finem ſtatus huius decur

rerint, immutabuntur ad nouitatem gloriæ maioris. Et *ſicut mutari ſolet operimentum, pro ueteri nouum aſſumendo, ita mutabis eos & innouabis, & ipſi mutabuntur innouati.* Tu autem *idem prorſus permanes immutabilis, & durationis tuæ nõ erit finis.* Neq; *etiã ad ullum aliquando angelorum dictum legitur, qd' ad filium pater in Pſalmis dicit:* Sede à dextris meis, donec *ego ſubigam tibi inimicos tuos, quaſi ſcabellũ ſub pedibus tuis, perfecta & omnimoda ſubiectione.* Immo *uero omnes angeli adminiſtratorij ſpiritus ſunt, ad perficiendum uoluntatem* Dei, *aſſiſtentes illi iugiter: quorũ plurimi (nempe qui in inferioribus ordinibus ſunt) in miniſterium emittuntur, quoties* Deo *placuerit, ad peragendum quæcunq; ille mandauerit, propter ſalutem hominum, qui accepturi ſunt hæreditatem ſalutis æternæ, & ſecundum ſpem hæredes* Dei *modo exiſtunt.*

CAPVT SECVNDVM.

Quia uero tã ſublimis eſt ſuper angelorum ordines Chriſtus dominus, per quem nobis modo pater loqui dignatus eſt: ob hoc attentius atq; diligentius nobis cum omni obſeruatione cuſtodienda ſunt, quæ ab ipſo audiuimus, ne quo pacto cõtingat ea nobis ſine fructu excidere atq; diffluere. Nã *ſi uetus illa lex quæ p angelos perſonã* Dei *repræſentantes data fuit, rata facta fuit & firmæ obligationis: ita ut quiſquis illam præuaricaretur, faciendo quod illa uetabat, aut quiſquis inobediens exiſteret omittendo qd' illa iubebat, iuſtã & cõdignã acciperet punitionem: quæ ſpes erit euadendi ultionem* Dei, *nobis Chriſtianis hoĩbus, ſi tã tã ſalutẽ tã aperte & tã nouo modo propoſitã, negligentia noſtra præterire ſinamus, nec cõtendamus eius p finem rectã fieri participes.* Quã *ſalutem cum incepiſſet primus prædicare dñs* Ieſus *apud* Iudæos. *poſtmodum tñ ea p prædicationem* Apoſto*lorum atq; diſcipulorum qui à Chriſto didicerãt, ad nos uſque*

cum firma authoritate fideliter deducta eſt, Deo coõperãte, cõteſtante, & ſermonem Apoſtolorum cõfirmãte, uarijs ſignis in natura, atq; prodigijs monſtroſis, & uarijs uirtutum operationibus atq; ſpiritusſancti diuerſis donis, quæ ſecũdum ſuæ uoluntatis beneplacitum, qbus uult, & quãtum uult diſtribuit. Dico autem de Chriſti excellentia, qđ ſcriptura nuſquã dicit angelis eſſe ſubiectum orbem terrarum ſuturum, aut ſeculum ſuper uenturum, de quo nunc præcipue ſecundum myſticã intelligentiam ſermonem facimus: qđ tñ de Chriſto legimus. Nã in quodã loco bene noto, teſtimonium perhibet inſignis ille nonnulli nõ optime cognitus David, dicens: *Quid eſt uniuerſum genus humanũ, aut hoĩum qlibet, ut de nobis tu recogitare digneris? aut qđ eſt hõ natus de hoĩe, & caro de carne, ut dignũ ducas tuis ſingulariſsimis beneficijs & donis nos inuiſere? Chriſtum hoĩem factum, etiã infra angelos aliqua ex parte cõſtituiſti, carnis illum miſerijs pp hoĩem ſubijciens, quem poſtmodum p paſſionem cõſummmatum, reſuſcitãdo, gloria & honore triumphabiliter undequaq; decoraſti: et dediſti ei ptãtem in cõſpectu oĩum, ſup oĩa q̃ in cœlo ſunt et ĩ terra, eius ditioni cũcta pfecte ſubijciẽs.* Atq; ĩ hoc q, pr̃ filio ſubiecisse dr̃ oĩa, nihil excipitur ab eius ſubiectione: q̃q̃ nũc ante nouiſsimi tẽpus iudicij, nõ pfecte uideãtur adhuc oĩa ſubijci, qũo ſubijciẽtur peracto iudicio. *Illũ aũt ipſum Ieſum, qui aliquãtulum infra angelos fuerat humiliatus, pp corporis quas ſuſceperat miſerias: nũc uidemus* et *in fide cernimus, pp paſsiõis meritũ, magnifica gloria ut uictorem honoratum, etiã ſupra angelorum exercitus.* Per paſsionẽ *mortis, inquã, ut ex Dei munere & dono, pro oĩum ſalute operanda, ipſe ſolus mortem experiretur in ſe ſuſcipiens.* Sic enim *decebat Deum patrem, p quem ut primum efficiens, & pp quẽ ut finem ultimum oĩum facta fuerant, qui multos filios adoptio*

nis erat adducturus, & ab æterno ſe adducturum præordinauerat ad conſortium gloriæ filij ſui naturalis. Decens, *inquam, erat & cõſonum patris iuſtitiæ, ut ille qui author & cauſa ſalutis futurus erat filijs adoptionis, cõſummaretur & ad pfectum gloriæ adduceretur cum fratribus ſuis, p mortis paßionem: ſic nimirum peccata delens, quæ à ſalute huiuſcemodi nos excludebant.* Neq; *enim decens erat, ad ſalutem adduci genus humanum, donec paternæ iuſtitiæ & maieſtati eſſet pro delictis & inobedienia, à filio (qui ſolus potuit) ſatisfactum.* Hãc *autem reconciliationem cõueniens erat p filium cõpleri: quoniã & ipſe qui ſanctificat* Chriſtus Dei *filius, & qui ſanctificantur p eum fideles, pariter ex uno ſunt patre, ad quem cõgruo ordine filij adoptionis p filium naturæ habent adduci. Atq; ob hoc nõ erubeſcit, ſed dignatur ipſe* Dei *naturalis filius, fideles hoĩes fratres amicabili noĩe appellare, dicens in* P*ſalmis ad patrẽ.* Prædicabo *nomen tuum, & manifeſtabo hoĩbus fratribus meis in medio cõgregationis ſanctorum, uelut unus ex eis, & per eos tanq̃ membra mea laudabo te.* Et *rurſum in* E*ſaia ,ppheta.* Ego *ero cõfidens in* Deo: *qđ ſecundum ſimilitudinem noſtrã locutus eſt, ſecundum quã ſperare & cõfidere dici poteſt in patre, quemadmodum & nos in ipſo, ut inferiores & impotentes, cõfidimus atq; ſperamus.* Et *iterum.* Ecce *ego ſecundum uoluntatem patris factus homo, & pueri mei quos mihi dedit dñs, in fratres cõſimilis oĩno naturæ: dedit, inquã, tam redimendos q̃ poßidendos.* Q*uoniam ergo pueri* Chriſti *cæteri hoĩes, inter quos ipſe eſt primogenitus, carnem & ſanguinẽ habẽt ex quibus cõſtant, et ipſe in eiuſdẽ naturæ ſimilitudine carnẽ ſimiliter accepit & ſanguinẽ, eorũq; factus eſt particeps: ut ſic mortalis fieret nobiſcũ: atq; ita p mortem in ſuo corpore uoluntarie ſuſceptam, deuinceret mortis imperatorẽ, id eſt, diabolum, qui*

per mortem quã inuenerat ſua aſtutia dominabatur ſuper omne genus humanũ: & excuſſo iugo ſeruitutis atq; timore expulſo, liberos faceret eos qui ꝑ oẽm uitã ſub timore mortis anxij uelut ſeruiebant. Cuiuſmodi erant ante Chriſti paßionẽ, oẽs homines. Neq; uero in ullo ſcripturæ loco legitur, quòd ſpiritualẽ aut angelicam deus naturã aſſumpſerit: ſed ex ſemine Abrahæ natus, humanam naturam aſſumpſit. Vnde debuit in oĩbus quæ ad noſtram redemptionẽ erant accõmoda aßimulari fratribus ſuis ut eſſet miſericors et fidelis pontifex, in adiuuando miſeros apud patrem: et ut placaret in ſimilitudine carnis noſtræ patrẽ, pro delictis noſtris. Nam quatenus ipſe eadẽ paſſus eſt, eadẽq; nobiſcũ expertus, potens factus eſt, & potẽs eſſe cognoſcitur, ad ferẽdũ etiã nobis auxiliũ, qui adhuc iiſdẽ miſerijs uexamur.

CAPVT III.

Vnde fratres ſanctificati per Chriſtum, qui uocationẽ Dei ſupernã ad æterna bona ſuſcepiſtis facti fideles cõtemplemini diligenter. & intueamini dñm Ieſum, magnũ utiq; legatũ & pontificẽ nobis à Deo deſtinatũ, qui nos cõfeßionẽ rectæ fidei noſtræ edocuit, quẽq; ex fide cõfitemur. Cõſiderate, inquam, hunc fidelem exiſtentẽ in oĩbus patri ſuo qui ipſum fecit, & hoĩem eſſe, & legatũ, & pontificẽ noſtrũ, quemadmodum & Moyſes, olim in ueteris legis adminiſtratiõe legitur in tota Synagoga (quæ erat domus Dei) fuiſſe miniſter fidelis. Immo uero tãto maiori gloria noſter Chriſtus antecedit Moyſen, quanto ipſius domus uel ex ipſa domo, maiorẽ habet gloriã qui eã fabricauit & fecit ut ſuã, eo qui tantũ ut miniſter in aliena domo ad tempus inhabitat. Talis ſanè erat Moyſes ad Chriſtum. Nam hic ſibi populum illum propriũ fecerat: Moyſi uero, tantum Synagogæ ad tempus adminiſtratio fuerat conceſſa, in qua tanq̃ aliena, & à Deo nõ à ſe condita, uerſabatur, Chriſtus uero in Eccleſia ſua,

tanquam dñs in propria domo inhabitat. Omnis enim domus, ab aliquo tanquam ab efficiente, & ab aliquo tanquam à dño & poſsidente, conſtruitur. Deus uero eſt, *qui per ſeipſum creauit omnia ſiue ut dñs, ſiue ut efficiens, & ab ipſo fabricata ſunt uniuerſa.* Vnde conſtat, Chriſtum Dei filium in Eccleſia ut in ſua domo inhabitare. Et Moyſes quidem *in illa Synagoga legitur fidelis extitiſſe in miniſtrando & famulando, ad proponendum ea quæ dicenda eſſent à dño ad populum, uel reſpondenda à populo ad dñm.* Moyſes enim *uerba dñi deferebat ad populũ & populi uiciſsim reſponſa referebat ad dñm, utrorunq; miniſter & famulus, quemadmodũ ſolent nuncij hinc inde diſcurrere.* Chriſtus *uero tanquam filius & hæres (cuius ſunt omnia quæ patris exiſtunt) in propria domo tanquam dñs inhabitat in* Eccleſia, *non ſeruit ut famulus.* Ad quam domum *pertinemus nos fideles omnes, ex quibus conſtruitur unitas* Eccleſiæ, Si *modo ſpem noſtrã in qua confidimus, & gloriamur, ad finẽ uſq; perſeueranter teneamus, & nõ declinemus.* Alioqui *à domo eius alieni afficeremur, nec eſſet nobis pars ĩ eius* Eccleſia, Q*uapropter libet nunc mihi eiſdem uos ſermonibus compellare, quos olim per* Pſalmiſtam *locutus eſt ſpirituſſanctus.* Vos *(itaq;) ſi hodie, inq; hoc tempore quod eſt gratiæ & miſericordiæ, uocem audieritis dñi, ſiue exterius ſiue interius docentis: uidete ſolicite, ne obfirmetis affectum uoluntatis ueſtræ, ut non acquieſcatis uerbo dñi: quemadmodũ olim fecerunt patres ueſtri, quando me ad amaritudinem & iracundiam magnam prouocauerunt in illo tempore cum me tentarẽt in deſerto, ubi me tentauerunt, & experti ſunt magnalia operum meorum, per quadraginta annos illis manna de cœlo pluentẽ, & ueſtimenta illorum illæſa conſeruantem.* Et *quoniam ipſi me tentauerunt exacerbantes, faſtidio mihi fuit, & diſplicuit generatio illa ex=*

aſperans: & dixi intra me ipſum, atq; etiã ad Moyſen ſeruum meum: populus iſte non ceſſat ab errore cordis ſui, toties iam eadem repetens murmura. Ipſi *autem nõ intellexerunt conſilia mea, & ego firmiſſimo decreto ſtatui & iuraui, ex omnibus illis exacerbatoribus non ingreſſurũ nec unum in requiẽ terræ promiſſionis.* Ecce *fratres audiſtis duram comminationem, & grauem incredulorum punitionem.* Vos *illorũ admoniti exemplo diligenter cauete, ne forte ſit in ullo ueſtrum affectus incredulitatis ad apoſtatandum à Chriſto* Deo *uiuo, eius fidem deſerendo, in qua iã baptizati eſtis: ſed mutuis exhortationibus uos inuicem atq; etiam uoſipſos exhortemini atq; conſolemini, ut nullis tentationibus aut preſſuris, à fide recta iam ſuſcepta contingat abſcedere.* Idq; *facite nunc dum tempus eſt, quandiu hic gratiæ dies nobis nominatur & offertur, ne obduretur ullius affectus ex uobis qui iam credidiſtis, dæmonis fallacia in peccatum infidelitatis ſeductus.* Iam *enim Chriſto ꝑ fidẽ inſiti & uniti ſumus, eiq; ſecundum ſpem cohæredes facti, ſi tñ quod per regenerationẽ ſpirituală in eo eſſe cœpimus, nempe ꝑ fidẽ noua creatura, in finẽ uſque cõſtãter teneamus, hoc eſt, ſi in finẽ uſq; fideles permaneamus ut cœpimus, donec perdurat dies ille, de quo ꝑ ſpiritũ ſanctũ dicitur:* Hodie *ſi uocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra ſicut in illa exacerbatiõe.* In *tota enim multitudine filiorũ* Iſrael, *fuerũt qui audiẽtes ſermonẽ dñi, per incredulitatẽ murmurantes exacerbauerunt dñm.* Non *oẽs tñ eiuſmodi extiterũt exacerbatores, q fuerunt ab* Aegypto Moy*ſe duce ꝓfecti.* Neq; *uero ad uniuerſos referri hoc debet, qd' dicitur.* Quibus *offenſus fui quadragnta annis: ſed ad illos tantũ q murmurando peccauerũt, q et morte ꝑcuſſi ſunt, anteq̃ terrã promiſſionis ingrederentur, & ſunt ipſorũ cadauera in deſerto roſtrata, ſiue ſepulta.* Qui *uero nõ murmurauerunt cõtra do*

minum(ut Ioſue *& Caleph & filij præuaricatorũ q illius mur murationis nõ fuerãt cõſcij) nõ ſunt puniti,ſed acceperũt pro= mißionẽ.* Atq; *illud iuramẽtũ,quo iurauit in ira ſua,ut nõ intro irent in terrã ꝑmißionis,nõ niſi aduerſus illos factũ fuit q ino bediẽtes & increduli fuerãt murmuratores.* Et ꝑ oĩa *ex dictis euidens eſt,eos qui non introierunt,fuiſſe propter ſuam infide litatem & inobedientiam ſolam prohibitos.*

CAPVT QVARTVM.

T*imeamus ergo & præcaueamus,ne quomodo cõtingat, ut aliqs ex nobis q fidẽ ſuſcepimus,promißiõe cœleſtis ingreſſus (facta ꝑſeuerãtibus in fide) ꝑ apoſtaſiã abiecta atq; cõtẽpta, cõſpicia tur inueniaturq; ſua infidelitate fruſtratus,ab illo ingreſſu defi= cere.Nã & nobis annũciatæ ſunt pollicitatiões* Dei*, quẽadmo dũ et illis.Sed nõ profuit illorũ plurimis ſermo auditionis, quẽ audiebãt,nõ cõiunctus cũ fide,ſecũdũ ea q̃ audierũt,*N*ã ſermo nẽ cœleſtiũ promißionũ tantũ audire nõ prodeſt, niſi fidẽ adhi beas,cõiungas,& cõmiſceas ijs quæ audieris.* Sanè *enim intro grediemur in requiem* Dei,*quicunq; nũc fidẽ eius ſuſcepimus, et in ea permanemus,quẽadmodũ ꝑ cõtrariũ indicat ſcriptura, dicens:*Nolite *obdurare corda ueſtra ſicut in exacerbatione in deſerdo,ubi tentauerunt me pr̃es ueſtri, qbus iuraui, qd' nõ in= greſſuri eẽnt in requiem meã.*In *quo uerbo ꝑ cõtrariũ ſenſum, ſignificatur,eos fuiſſe in requiẽ admittẽdos, niſi fuiſſent incre= duli,et oẽs in requiẽ cœleſtẽ ingreſſuros,q uere fuerint fideles.* Et *quidẽ de hac requie,in ipſo ſtatim* Geneſis *principio fit ſer= mo,poſtq̃ opa ſex dierũ,in qbus cõſtitutus eſt mũdus eſſent cõ pleta.*Dr̃ *enim illo in loco de die ſeptima, quòd requieuerit in ea dñs ab oĩbus operibus ſuis q̃ patrauerat, uidelicet nihil no= uũ in ea creans ut fecerat ĩ prioribus.*In *quo uerbo ſignificatur electorũ requies beata,qua poſt huius mũdi finitos labores re= quieſcent*

quieſcēt in æternitate ad exēplū dei, qui die ſeptima ceſſauit ab ope. Et rurſum in iſto loco dicitur. Si introibunt in requiē meã. In quo ſignificatur ꝑ cōtrariū ſenſum, ueros fideles in hanc requiē ſuſcipiēdos. Quoniã ergo hoc reſtat ut ingrediantur nonnulli in illã requiē, & in illis prioribus qbus prius fuerat nunciatū nō uidetur impletū, qui nō introierunt ꝑꝑ ſuã incredulitatē, iterū poſt tantū tꝑis interuallū, quod ab illo exacerbationis die uſq; ad Dauid protenditur: Poſt tantū, inquã, tꝑis, iterū definit ſcriptura aliū quēdã diē, & aliud hodie per Dauid dicēdo (ſicut iam ſæpe prææallegatū eſt) Hodie ſi uocē eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra. Neq; uero dici ualet ꝑ Ioſue fuiſſe ingreſſum illū ꝑfectè impletū. Nã ſi Ioſue filius Nun, ſuis illis quos in terrã promiſſionis introduxit ꝑfectã & uerã requiē dediſſet, nullo modo ſcriptura ꝑpoſita de alia loqueretur poſt ipſam die, & alia requie, quæ poſtmodū in tꝑe gratiæ eſſet pro palanda. Nūc aūt (illo nihil obſtante) adhuc aliã quandã diem definit, ꝑ Dauid. Ergo ſabbatiſmus ꝑfectus, ĩ prioribus ſcripturæ locis utcunq; deſignatus (id eſt, requies æterna, & cœleſtis illa iugiſq; ab omni labore feriatio) adhuc reſtat, ꝑ Chriſtū donandus ſuis fidelibus. Quiſquis enim ingreſſus fuerit in requiē illã Dei, ſic ab oībus operibus laborioſis, qbus ad meritum ſolet uacare, ceſſabit, & perpetuo uelut feriabitur, quomodo ſupra de Deo dictū fuerat, quòd poſt ſex dies laboris accepiſſet ĩ ſabbato requiem ab oībus operibus ſuis. Omni itaq; ſtudio contendamus in illã tam beatã quæ nos manet, introire requiem: ne forte qs ex nobis, incidat in ſimilē incredulitatē, q̃ nobis debet eſſe in exēplū: ne quēadmodū illi ꝑꝑ ſuam infidelitatē non ſunt ingreſſi in requiem terræ promiſſionis, ita nos promiſſa requie cœleſti, fruſtremur cuius illa tantū ſignum erat & figura. Sermo enim Dei (id eſt, ſentētia comminationis, ſiue iudicij eius)

uiuus eſt, uigoreq; habens, & in agendo ſiue exequendo pluri-mũ efficax, cuius poteſtati nihil reſiſtit, ſed peruia ei ſunt oĩa. Cũ ſit oĩ gladio, etiã ex utraq; parte ſcindẽte, ad penetrãdũ ualentior: ita ut penetrare poßit etiam intima, nẽpe aĩam & ſpiritũ, ſup illa poteſtatẽ omnimodam habens. Neq; *obſiſtit illi cõpagum nodoſitas, neq; medullarũ intra oſſa fortißima incluſio, quin oĩa facillime poßit penetrare oĩpotens ſermo* Dei. Inſup *& diſcernit cogitationes humani cordis, bonas à malis, & ipſas mẽtis intentiones acutißime dijudicat, & nulla prorſus creatura eſt eius ſubtracta cognitioni: quoniam oĩa quantumuis hominibus tecta aut occulta, nuda, detecta & aperta ſunt eius cõſpectui, coràm quo nũc etiam loquimur, & coràm quo nobis erit ſingulorũ dictorũ ac factorũ ſuo tp̃e reddenda ratio. Cum ergo habeamus pontificẽ magnũ, nẽpe* Ieſum Dei *filiũ, qui cœlũ nobis ſuo ingreſſu patefecit, uiamq; parauit: nõ recedamus à ſemel iam cõcepta ſpe noſtra, ſed firmiter in cõfeßione rectæ fidei, in qua eſt ſpes noſtra, perſtemus.* Põtifex *enim iſte quem à* Deo *datũ habemus, nõ talis eſt ut neſciat cõpati, miſereri, & cõdeſcẽdere noſtris miſerijs atq; imperfectionibus:* Immo uero *expertus eſt in ſeſe omnia quæ ipſum cõueniebat ad noſtram ſalutem ſuſcipere ſecũdũ ſimilitudinẽ noſtri, excepta peccati miſeria, à qua illũ decuit ſemper eſſe alienißimũ.* Adeamus *ergo cũ plena cõfidẽtia, nihil hæſitantes, & corde fideli accedamus ad illũ (in quo nunc reſidet in dextera patris) gloriæ thronũ, unde pcõrũ remißio fluit & grã oĩbus petẽtibus, ut cõſequamur miſericordiã eius, in pcõrũ noſtrorũ dimißionẽ, & gratiam ad bene operandũ adiutricẽ, ad auxiliũ cõmodũ &* opportunum *dum tẽpus eſt miſericordiam cõſequendi &* bene operandi.

CAPVT QVINTVM.

Omnis *enim pontifex à medio populi quaſi unus ex eis, ſimilis*

eiuſdemq; naturæ exiſtens, aſſumitur, & pro cæteris hominibus (quorum eſt ſacerdos) in diuinis peragendis ordinatur, atq; deputatur: uidelicet ut ex delegato & commiſſo ſibi officio offerat oblationes et ſacrificia, pro repropiciandis apud dñm populi peccatis. Talis, *inquã, aſſumitur & conſtituitur, qui ſciat & uelit compati, & miſericordiam pœnitentiæ non negare ijs qui ſiue ex ignoramtia, ſiue ex errore & lapſu fragilitatis humanæ, propter infirmitatem à concupiſcentia ſeducti, peccauerint: quoniam et ipſe ijſdem eſt infirmitatibus, etiã quæ peccatũ concernunt, ex omni parte ſubiectus ſimilesq; in ſe pugnas peccatorũ, quales illi experitur. Atq; ideo neceſſe habet, quomodo pro populo orat, ita etiam pro ſemetipſo orare, & offerre hoſtias, aliasq; oblationes pro peccatorũ remiſsionibus perficere.* Neq; *quiſquam ſibi debet huiuſmodi honorificum ſacerdotij munus, ſua authoritate uſurpare, neq; ſemetipſum ingerere: ſed qui à* Deo *uocatur & ordinatur, quemadmodũ exemplum habemus in* Aaron, *quem per* Moyſen *dñs ad ſacerdotium deputauit. Sic ſanè & noſter iſte pontifex* Chriſtus, *non ſemetipſum glorificauit à ſemetipſo ſibi ſuum pontificatum uendicans, aut ſibiipſi de ſui pontificatus ueritate teſtimonium perhibens, ut ſuus pontificatus et dignitas quam habebat hominibus innoteſceret, ſed pater cœleſtis, qui in principio libri* Pſalmorũ *ipſum teſtatur eſſe conſubſtantialẽ filium ſuum, dicendo ad illũ.* Filius *meus es tu, ego in æternitate te mihi conſubſtantialem & coæqualem filium genui, idem ipſe uerum pontificem & ſacerdotẽ eundem in ſcripturis clarificat, & manifeſtat, quemadmodum alio in loco, ad filium loquitur, dicens. Sacerdos es tu mihi pro populo electorum, eriſq; in ſempiternum, ita ut ſempiternum tibi perpetuumq; maneat ſacerdotium non habiturus aliũ poſt te ſucceſſorẽ: eritq; ſacerdotiũ tuũ, non iuxta ueteris legis ritũ,*

id eſt,non Aaronicum,aut Leuiticum, ſed iuxta ordinem,atq; figuram & ſimilitudinem Melchiſedech, cuius præuium ſacerdotium,tui ſubſecuturi tantum erat figura, quemadmodũ poſterius latius explicabitur. Qui ſacerdos Chriſtus in diebus qbus uerſabatur in carne paßibili, ad patrẽ ſuum omnipotentẽ(qui potens erat illum & omnem populum eius à morte ſaluare, ipſum ſuo tempore reſuſcitando) deprecationes pro ſalute humani generis,& humiles ſuplicationes,idq; cum lachrymis & forti clamore,in teſtimoniũ ſummæ affectionis atq; dilectionis, effudit: patriq; has acceptißimas offerens hoſtias ſuper crucis altario, exauditus eſt(ut dignum erat) à patre, propter ſuam reuerentiam,qua ut filius conſubſtantialis & coæqualis, patri erat acceptus. Et quidẽ cum eſſet filius Dei,natura ſua impaßibilis:uoluit tamẽ ex ijs quæ paſſus eſt in aſſumpta hominis natura experimento diſcere, & exhibere obediẽtiam,in ſumma patiẽtia. Atq; ita ſine bono & cõgruo perfectus, oĩbus ĩ ſe credentibus & mandata ſua obſeruantibus, promeruit uitam atq; ſalutẽ æternam,& oĩbus ſaluandis factus eſt author ſiue cauſa ſalutis,qui à patre appellatur in ſcriptura põtifex, ſecũdũ ordinẽ Melchiſedech. De cuius põtificatu nimiũ præcellenti copioſum inſtituimus ſermonẽ, & multa ualde habemus dicenda, q̃ difficile fuerit uobis pfecte explicare:nõ tã pp dicẽdorũ magnitudinẽ, q̃ pp ueſtrã imbecillitatẽ, quoniã forſitan dura uobis eſſent ad audiendũ q magna ex parte Moſaicis adhuc inſtitutis addicti eſtis,& nõ ita æquis auribus noui teſtamẽti libertatẽ, ſacerdotiũ & ſacramẽta præferri auditis illis ueſtris ueteribus, qbus aſſueti eſtis. Etenim cũ deberetis merito eſſe pfecte edocti in myſterijs fidei Chriſtianæ, ita ut etiam alijs in ea erudiendis ſufficeretis:tũ quia uobis primũ prædicatũ eſt, tũ qa ab ipſius Chriſti ore ſermonẽ audiſtis, tũ quia legẽ et Prophetas optima

fidei præparamenta habuiſtis: ueſtro tamen uitio, & cordis duritia, & obſtinatiõe ceruicis duræ fit neſcio quo modo ut quaſi de integro indigeatis informari, & inſtrui, de ipſis fidei primis rudimẽtis, à quibus initiũ ſumi debet Chriſtianæ prædicationis & tales facti eſtis ueſtro uitio, quibus ſit opus lacte, & nõ cõgruat ſolidus cibus. Propter ueſtram enim duritiem, cogor nũc ex umbris ueteris legis & figuris diuerſis, per allegoriam oſtẽdere ueritatẽ, & præcellentiam ſacerdotij Chriſti, & euacuationẽ legaliũ ſacrificiorũ, & ceſſationẽ legis ueteris (quæ ego lac appello & minutiora quædam) propter ueſtram ĩ fide paruitatẽ uobis iſta exhibẽs, quæ ego opus nõ haberẽ tam late proſequi, & copioſe diſſerere tantis ſermonibus, ſi ſimplicis ueritatis ſolidũ cibũ, ex ore noſtro uelletis accipere, citra cõmiſtionẽ lactis: id eſt, allegoriam ueterũ figurarũ, quibus à principio educati eſtis. Omnis enim qui adhuc lacte in pabulũ utitur, & infirmioribus paſcitur legis umbris, nolens quicq̃ accipere, qđ nõ illis ſit cõditũ, capax nõ eſt, ut perfectionis uerbũ, & Euangelicæ libertatis prædicationẽ nude accipiat. In fide enim Euangelica paruulus eſt, qui adhuc in figuris hæret. At perfectorum, qui ſecundum ſpiritum oĩa dijudicant, ſolidus eſt cibus: & ſine umbris atq; figuris illis ſunt cœleſtis ſapientiæ proponenda myſteria, qui pro ipſo habitu & aßidua exercitatione diuinæ cõtẽplationis, & frequenti ſenſu illuminationũ atq; affectionum cœleſtiũ, diſcretionis iudicium habent perfectum, ut queant cœleſti ſpiritus luce irradiari, uera à falſis, & credenda à non credendis, ſimplici iudicio diſcernere.

CAPVT SEXTVM.

Itaq; nunc ſeponentes ſiue omittentes, de ijs loqui quæ ſunt fidei Chriſtianæ principia, quæq; edocti eſtis cũ primo in Chriſtum inciperetis credere, prius ea diſſeramus q̃ uobis ſunt potiora,

neceſſariora,& difficiliora ad capiendum. Cuiuſmodi ſunt ea quæ poſtmodũ ſequentur de æternitate ſacerdotij Chriſti, & euacuatiõe legalis ſacerdotij, unà cũ cæteris legis cæremonijs, & ueteribus offerendi ritibus. Neq; iam de integro uolumus quaſi à fundamẽtis uobis illa ꝓponere, q̃ ſunt fidei initia: quaſi modo primũ cœperitis eſſe Chriſtiani, qui iam in Chriſtianiſmo multum tẽpus habetis. Nõ, inquam, rurſum late diſſeremus de ijs q̃ ſunt fidei prima principia, & fundamẽta uitæ Chriſtianæ. Quæ (ut ſummatim perſtringam) ſex præcipua ſunt: Nẽpe, agere pœnitentiam à præteritis peccatis, quæ occidunt aĩam, et uita ante male acta. Deinde ad Deũ per fidẽ accedere. Deinde baptiſmatis ſiue baptizationũ doctrina, qua docti eſtis nõ ſufficere pœnitentiam, neq; fidẽ, niſi adſit baptiſmalis ablutio. Poſt quæ eſt impoſitio manuum per quam credimus iam baptizatis gratiam cõferri, in bono cõfirmantem, quinto loco eſt mortuorum reſurrectio, quam cõſequitur (id qđ eſt ſextum fidei principium) iudicium uenturum ſuper bonos & malos, Idq; nõ ad tẽpus, ſed ut fuerit ſemel definitum ſine fine duraturum. De his (inquam) non intendimus iterum copioſe ſic diſſerere, quaſi à fundamẽtis eſſetis in fide ædificandi. Spero enim uos iam in his ſatis ĩſtructos. Nihilominus tñ ubi de Chriſti ſacerdotio ſermonem abſoluerimus, tum ſi ſic Deus donabit, & opportunum erit, de his quoq; nõ nihil dicturi ſumus. Interim tamẽ breuiter pauca ꝑſtringamus. Hæc enim ſuper his eſt ueræ & catholicæ fidei ſumma. Quoniam uix fieri poteſt, & ſanè ꝑ quam difficile eſt, atq; rariſſimum, ut qui ſemel à Deo ſunt uocati: & ꝑ fidẽ illuminati, & perceperunt guſtum ſuauitatis gratiæ cœleſtis, et charitatis quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, & ſpiritum ſanctum acceperunt, qui eis gratiam, ſiue gratumfacientem, ſiue etiam alia dona ſua fuerit elargitus: guſtauerunt inſuper, & mẽ

te perceperunt eloquia Dñi, & uerbi eius bonitatem, atq; ſup oïa ſuauitatem: ſunt etiam ſæpius ardentiori afflati ſpiritus calore, uirtute induti ex alto, & quaſi ſuperuenturæ beatæ uitæ experti, in ſe uirtutem: & poſteaq̃ hæc oïa beneficia perceperunt (nihil his obſtantibus) denuo prolapſi ſunt, corde incredulitatis à Deo uiuo Chriſto (cui ſic fuerant familiares effecti) uoluntarie ſe ſeparantes, poſt acceptam rectæ fidei notitiam. Vix (inquam) poßibile eſt, & per q̃ rarum, ut tales rurſum reuerti cõtingat ad integram & ueram pœnitentiam. Qui enim ſemel à Deo uoluntarie apoſtatauerit, quo maiora prius dona pcepit gratiarum, eo magis in errore relinquitur, ut pœnitentia ei nõ concedatur, & in ingratitudine ſua pereat. Cum crucifigant hi rurſum (quantum in ſe eſt) Chriſtum Dei filium, nõ credentes uerum eſſe, quòd p mortẽ Chriſti ſint deleta mundi ſcelera, qđ ſi ita eſſet, rurſum oporteret mori Chriſtum, ad perficiendum quod illi perfectum negant: & oſtentui eum habent, cuius ſanguinem nihilo reputant amplius q̃ hoïum cæterorum, nec ſufficere credunt ad hoïum ſalutem. Sumi poteſt ex terris & agris cõparatio, quæ noſtro huic deſeruiat inſtituto. Cordis enim humani ager, qui multis ſacris & cœleſtibus fuerit uiſitationibus à Deo miſericorditer ſæpius cõplutus, bonorumq; operũ pluuia ſic irrigatus, fructum condignum & cõgruum in uitã æternam progignit ſuis cultoribus, accipit à Deo benedictionem: ut in bono confirmetur, & mereatur ampliora in futurum accipere, & beneplacitum eſt Deo in huiuſmodi terra. Si cuius autẽ cor poſt acceptas diuinas uiſitationes & imbrem cœleſtis gratiæ frequentius ſuperfuſum, nihil proferat præter errores & opera mala, quæ non cõgregari ualeant in horreum æternæ uitæ, cuiuſmodi ſunt in herbis ſpinæ & tribuli, illius cor Deus odio habet & reprobat: & niſi reſipiſcat dignum faciendo fru

ctum pœnitentiæ ueniet ſuper illum maledictio, & tãdem finis illi erit cõbuſtio ignis ſempiterni. Hæc aũt quæ uidentur durius dicta, nolim ſic accipiatis quaſi in uos torſerim, aut quenq̃ ueſtrum deſignauerim. Quanq̃ enim ita durius loquamur, nõ tñ id facimus quaſi de uobis male ſuſpicantes. Cõfidentes enim in Dño, ſpem de uobis meliorem & exiſtimationem habemus, quòd ſaluti æternæ uicini eſtis, & in Dei gratia ſtatis: id quod mihi ex ueſtris operibus merito uenit exiſtimandũ. Dñs enim qui iuſtus eſt, & fidelis remunerator, nõ obliuiſcetur (ſed ad remunerationẽ memor erit) operũ ueſtrorũ quæ in charitate fraterna exhibuiſtis: & nõ ſolũ affectu aut lingua, ſed etiã re ipſa oſtendiſtis pro amore Dei, in eo q̃ miniſtratis ſanctis iuxta ueſtrã poßibilitatẽ eis in neceſſarijs ſuccurrẽdo, & etiã nunc miniſtrare nõ ceſſatis. Cæterũ illud uotis oĩbus optamus atq; deſideramus, in bonis ueſtris initijs ut perſeueretis, ut eandẽ in exhibenda charitate ſolicitudinẽ ſinguli, pro ſe quiſq;, pergatis exhibere, ut plena fiat ſpes ueſtra, perſeuerando uſq; in finẽ. Ne forte remißi & tardi efficiamini, uel pſecutionibus fracti, uel longa expectatione defatigati. Verũ imitatores ſtudete eſſe patrum ueſtrorũ, qui p fidẽ & patientiã, eo q̃ nullis aduerſis nullaq; expectationis mora frangerentur, meruerunt accipere promißiones diuinas: nõ ſolũ ſibi, ſed in oẽs etiam ſuos ſecuturos hæredes. Quorũ fuit præcipuus & præclarior pater Abrahã. Cui Deus, nõ ſolũ promiſit repromißionẽ, uerũetiam iuramento firmauit, iurans p ſemetipſum, quandoquidẽ maius aliquid ſeipſo Deus nõ habet, quod poſſet in ſui promißi cõfirmationẽ adducere. Nihil dubites Abrahã (inquit Dñs) uere utique ego benedicens copioſe benefaciã tibi, & mirabiliter, te tuumq; ſemen multiplicabo. Atque in his Dei promißis ſuſtinens, patienterq; etiam in multa tẽpora expectans: promißionis ſuæ conſe-

cutus eſt effectum, partim quidem in ſeipſo, partim in ſua poſteritate. In *ſeipſo quantũ ad filium: in poſteris ſecundũ carnem, quantum ad terrã promiſsionis: In ſeipſo autẽ & in ueris ſecundum ſpiritũ filijs, quãtũ ad patriæ cœleſtis ingreſſum.* Abrahæ *(inquam) iurauit* Deus *p̃ ſemetipſum.* Nam *hoĩes cum iurant, p̃ maiorem aliquẽ ſolent iurare, ut hoĩes p̃* Deũ, *populus p̃ ſalutẽ regis: aut ut minimũ p̃ aliquid quod maximi reputant, ut rex ipſe p̃ ſalutẽ ſuam, aut p̃ uitam, aut p̃ regnum ſuum.* Et *quoties controuerſia aliqua, ſiue lis, aut contentio p̃ cõpoſitionem terminatur ut ſit cõpoſitio firma & ualida, iuramentum adhibetur, quo quæcunque acta ſunt uelut obſignantur.* Iuxta *quem modum* Deus *uolens ueris* Abrahæ *filijs (hæredibus pollicitationis illius quæ facta fuit ad* Abraham *patrem eorũ) abundantius, firmius, certiusq́; oſtendere huius conſilij & propoſiti ſui immobilitatem (quod ſcilicet illud promiſsionis decretũ in æternum non eſſet reuocaturus) iureiurãdo interpoſito, atq; ad promiſsionẽ adiecto: nos ſecuros reddidit: ut p̃ duas illas res (nempe promiſsionem, & iuramenti cõfirmationem) quæ* Dei *uerbum firmum & irreuocabile faciunt, poſt quas impoſsibile eſt* Deum *mentiri, non implendo quod pollicitus fuerat, aut reuocando quod ante propoſuerat, firmum oĩno & indubitatũ habeamus ſpei noſtræ ſolatium.* Non *(inquam) qui pp aĩarum noſtrarum ſalutem, relictis quæ in mundo ſunt erroribus & uanitatibus, diligenter cõfugimus ad apprehendendã atq; retinẽdã ſpem iſtam, in cõe oĩbus qui credere uolunt propoſitam, quæ hoc nobis eſt fidelibus, quod anchora naui.* Anchora *(inquã) aĩæ noſtræ tuta, quæ eã & ab oĩbus periculis ſecurã facit, & inter fluctuantes procellas huius ſeculi firmã tenet, ut non mergatur in mortẽ peccati: quæ ſpes nos introducit atq; introire facit in ſancta ſanctorũ, quæ ſunt intra uelamen: id eſt in cœlos, in*

quos introiuit, p̄ nobis tanq̄ præcurſor noſter, ad parādā nobis uiā & māſiones æternas, Ieſus D*ñs noſter, iuxta ordinē* Mel*chiſedech, cōſtitutus & declaratus à* Deo *pōtifex in æternum.*

CAPVT VII.

Di*co autē Chriſtum pontificē nominari & exiſtere, ſecundū ordinem* Melchiſedech, *potius q̄ ſecūdū ordinem Aaron aut* Leui: *quoniā in plurimis Chriſtum ille præſignauit, & ſecundum hiſtoriam quæ in ſcriptura de eo texitur, nil niſi Chriſti præcurrens figura fuiſſe uidetur.* Hic enim Melchiſedech Rex Salem *legitur fuiſſe, &* Dei *ſummi ſacerdos: qui Abrahæ, deuictis & cæſis regibus qui fratrem ſuū Loth captiuū abduxerant, cū uictoria domum redeunti obuiam proceßit, eiq; benedixit in nomine altißimi, cuius erat ſacerdos.* Cui, *Abraham ob ſacerdotalis dignitatis reuerentiam, decimas dedit ex oībus.* Q*uæ oīa ad Chriſtum optime quadrant.* Pr*imum quidē quòd appellatur* Melchiſedech: *id eſt, iuxta noīs interpretationem rex iuſtitiæ.* Deinde *quòd rex Salē dictus eſt, quod interpretatur rex pacis. Chriſtus enim rex eſt, & pacis, et iuſtitiæ.* Inuenitur *quoq; ille in ſcripturis ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, ſine uitæ principio, & ſine termino: quatenus uidelicet in ſcripturis, de nullo horū fit ulla mentio, atq; ita quodam modo ut de figura dicitur, quòd patre caruerit, et matre, uitæq; fine, et principio. Aßimilatus autem per hoc filio* Dei, *ut figura & imago ueritati, manet in æternum ſacerdos, ita ut in ſcripturis nec de ſacerdotij eius principio, nec de fine, nec de ſucceßione cuiuſquam ulla mentio habeatur.* Vere *enim Chriſtus ſecundum æternam à patre generationem, caret matre, ſecundū humanam ex uirgine natiuitatem, caret patre, & ſecundum æternam generationē genealogia illi non texitur, itemq; ſecundum generationem humanam ex parte patris genealogiam nō habet, qui patrem nō*

habet. Conſiderate autem præcellẽtiam ſacerdotis huius cui decimas dedit de optimis eximia quæq; ipſe uniuerſalis Iudæorũ oĩum pater Abraham. Et ſanè filij Leui ad quos ſpectat ſacerdotij miniſterium, mandatum habent ex lege, ut à reliquo populo alienarum tribuum ſumant decimas, ꝓ honorẽ & officium miniſterij ſacerdotalis. Verum hi tantum à reliquo populo, id eſt, à fratribus ſuis: cum & ipſi exierint de lumbis Abrahæ, & ad eandem genealogiam pertineant, reſpectu Abrahæ. At iſte Melchiſedech, cuius natiuitas inter illorum generationes nõ cõputatur, quiq; extra illorũ eſt genealogiam, decimauit Abrahã patrem oĩum ueſtrum, atq; oĩum ſacerdotũ & leuitarum, atq; ita uelut maior, ipſum Abraham, qui habebat à Deo ſibi factas promiſſiones, benedixit. Palàm autem eſt & cõtradici nõ poteſt, quin benedicens (ſecundum rõnem officij & miniſterij huius, in quo ei benedictio iure cõpetit) præemineat, ſit que præcellentior eo qui benedicitur. Et in hac decimatione quæ dicta eſt filijs Leui lege cõpetere, hoĩes moriẽtes decimas accipiunt: Ita ut ꝑ ſucceſſionem, mortuis prioribus, ad alios ĩus ipſum ſecundum legem deriuetur. In noſtro autem propoſito teſtimonium dat ſcriptura, quòd ſacerdos ille uiuit, & nec de morte, neque de deuolutione iuris eius ad alios, quicq̃ loquitur. Et ut ita quadam loquendi figura dicam honeſtius) in hac Abrahæ decimatione, etiam ipſe Leui, & ꝑ cõſequens uniuerſa poſteritas eius, in Abraham & ſimul cum Abraham decimatus eſt. Nam adhuc ĩ Abrahæ lumbis latebat Leui (per generationem poſtmodum ex eius ſemine mediate ſuſcitandus tunc cum Abraham ſic decimaretur, occurrente ſibi Melchiſedech ad benedictionem. Nunc itaq; ſi finis erat & ꝑfectio in Leuitico & legali ſacerdotio, ita ut ꝑfectius aliud nõ debuiſſet expectari, cui ipſum cederet tanq̃ imperfectius (ita enim uideri poſſet, ex eo ꝙ

populus Iſraeliticus ſub ipſo legem accepit) ſuperflue & uane in ſcriptura de alio ſacerdotio fieret mentio, quod ſecundum or dinem Melchiſedech diceretur nõ ſecundum ordinem Aaron. *Quòd ſi ſacerdotium transferatur, neceſſario ſimul legis item translatio atq; immutatio cõſequenter fieri debet.* Lex enim *ue tus permanere nõ poteſt ſtabilis, ſi auferatur ſacerdotiũ Leuiti cum, quoniã ex lege illis cõpetit ſacerdotiũ.* At uero *ille ſacer dos, de quo in* Pſalmis *hæc dicuntur, alterius tribus exiſtit, ex qua ſacerdotes nõ ordinantur, nec ſecundũ legem ordinari poſ ſunt, ad miniſtrandũ altario.* Nam *apertũ eſt* Chriſtum *ex tribu Iuda ortũ eſſe: & quãtũ ad hanc tribũ nihil legitur apud* Moy *ſen, de ſacerdotij officio.* Atq; *illa ipſa ſacerdotij translatio, apertius demõſtratur ĩ eo q ſcriptura dicit, aliũ ſacerdotẽ exur gere debere, q dicatur et ſit ſecũdũ ordinẽ* Melchiſedech, *nõ ſe cũdũ ordinẽ legalis ſacerdotij: q ſacerdotiũ accipiat, nõ ui legis ueteris, q̃ eſt mãdatũ carnale, de corporalibus obſeruantijs & cæremonijs potiſſimũ præſcribens, &* corporalia promittens, *ſed ex ui æterni* Dei, *cuius ẽ uita inſolubilis et ex uirtute decreti eius.* Sic *enim ſcripturæ teſtimoniũ aſſerit, q ſit ſacerdos ĩ æter nũ ſecũdũ ordinẽ* Melchiſedech. Et *qdẽ abrogatio fit atq; eua cuatio prioris mãdati legalis, pp infirmitatẽ & inſufficiẽtẽ uti litatem: quia lex illa nõ potuit quenq̃ perfecte iuſtificare coràm* Deo. *Introducitur aũt pro lege abrogata, ſpes melior excellen tioris teſtamẽti, ſecũdũ quã ſperamus et uere expectamus æter na bona gloriæ nõ aũt tẽporalia: per quã ſpem, tanq̃ amici & familiares* Deo *effecti, appropinquamus ad* Deũ *perfectam iu ſtitiam ex ea cõſecuti apud* Deum. Et pro quanto *hoc Chriſti ſacerdotium iuramenti additione eſt cõfirmatum.* Nam *de alijs quidem ſecundũ legẽ ſacerdotibus, nihil tale legitur, quòd cum iuramento acceperũt ad perpetuitatem ſuũ ſacerdotiũ.* Chri

ſtus autem noſter ſacerdos cum iurisiurandi interpoſitione, ad perpetuitatem accepit ſuũ ſacerdotiũ à patre, qui iurando & irreuocabiliter ſtatuendo dixit ad eum. Tu mihi es ſacerdos in perpetuum, ſecundũ ordinẽ Melchiſedech, cuius ſacerdotij aut uitæ finis nullus legitur. Pro quanto (inquam) Chriſti ſacerdotium ſic nõ ſine iureiurando fuit, in tantum & eatenus melioris teſtamẽti (nempe noui, quod ipſe nouus ſacerdos adduxit) ſponſor eſt Ieſus, id eſt, mediator. Et in lege quidẽ plures facti ſunt ſecundũ ſucceßionem ſacerdotes, dum patribus mortuis, ſuffecti ſunt filij. Hic uero, eo q̃ uiuat in æternum, habet ſacerdotiũ æternum nunq̃ deficiens, Qua de cauſa, ipſe ſemetipſum abſq; ulla alia hoſtia ſemper exhibens patri, ſaluare poteſt in perpetuũ eos qui p ipſum ad patrem accedunt, ſemper uiuens & permanens apud patrem, ad orandũ pro nobis. Talẽ enim decens erat nos habere pontificem, ſcilicet innocẽtẽ, immaculatum, è peccatorum numero & conſortio ſemotum, & ſupra cœlos omnemq; cœlorũ gloriã ad patris dexterã eleuatũ. Qui nõ habet neceſſe quotidie offerre nouas hoſtias, neq; etiã prius pro ſeipſo q̃ pro alijs quẽadmodũ ſacerdotes ueteris legis quotidie innouabant hoſtias & neceſſe habebãt, prius pro ſe, poſt modũ pro alijs orare. Chriſtus enim, ſufficiẽter pro oĩbus peccatis ſemper expiandis, ſemel obtulit ſemetipſum in hoſtiã, pro peccatis noſtris. Nã lex quidẽ ſacerdotes inſtituit puros hoĩes, infirmitatibus & peccatis ſubiectos. Verbũ aũt illud Pſalmi, in quo cum iuramento indicatur Chriſti ſacerdotium, quod poſt legis dationem per multum tempus Dauid protulit, nõ hominẽ purum & infirmũ, ſed filium Dei modis omnibus perfectum, aßignat & conſtituit futurum ſacerdotem in eternum.

CAPVT OCTAVVM.

Summa autem eorũ quæ dicta ſunt, & eorũ quæ intẽdimus dicere

præcipuum & caput, hoc eſt, quod talem habemus pontificem magnum & glorioſum, qui reſidet ad dexteram Dei *patris, qui eſt ſedes & requies maieſtatis eius in excelſis, qui eſt administrator & pontifex uerorũ ſanctorũ: hoc eſt, tabernaculi ueri & æterni, quod per illud uetus tabernaculũ & uetera ſancta erat adumbratum, quod* Deus *fecit, & nõ manus hoĩs.* Oĩs *ſiquidem pontifex, ad offerendũ oblationes quaslibet, undecũq; factas, & immolatas hoſtias, conſtituitur.* Quapropter *neceſſe eſt, ſi ſacerdos, ut eſt, dici debeat, debere illum habere aliquid, etiam quod tanq̃ ſacerdos offerat.* Et *quidẽ ſi eſſet ſuper terrã, nõ haberetur ſacerdos, nec eſſet ſicut cæteri, ſacerdos legalis.* Cum *ſint alij de tribu* Leui, *quibus id ſecundum legem cõpetit, de quorum numero nõ eſt ille: qui miniſteria peragunt ſacerdotalia in tabernaculo ueteri, quod eſt tantum figura quædã immo craſſa figura, & uix aliud q̃ umbra illius cœleſtis tabernaculi, & cœleſtium ſanctorũ:* Iuxta *quod* Moyſi *p̱ diuinã admonitionem de tabernaculi ædificatione dictũ eſt:* Attende *(inquit* Dñs*) & cura diligenter, ut quæ tibi iniunxi, oĩa facias ad ſimilitudinem exemplaris, quod in mõte me tibi demonſtrante uidiſti.* In *quo myſtice ſignificatur quæcunq; in corporali tabernaculo facta ſunt, ad figurandum & exprimendum utcunq; æterni tabernaculi (quod hic in* Eccleſia *militante accipit initium, & finem in triumphante) ſimilitudinem, ſic à* Deo *eſſe ordinata.* Itaq; *licet ſuper terram ſecundum legem* Chriſtus *ſacerdos nõ eſſet in tabernaculo* Moyſi. Reuera *tamen melius à* Deo *patre ſuo accepit ſacerdotium, cuius miniſteriũ tanto eſt præſtantius quanto nouum teſtamentum (cuius ipſe adminiſtrator, lator, & doctor eſt) præſtat ueteri, cuius* Moyſes *lator, & ſacerdotes legis doctores fuerunt, eo q̧ nouum meliora promiſſa habeat, & in præſtantioribus (nempe cœleſtibus) eſt confirmatũ.*

Nam ſi illud prius perfectum fuiſſet & conſummatum nullum habens imperfectum, ita ut perfecte potuiſſet iuſtificare, uane ſcriptura de altero mentionem faceret. Et tamen *quodam in loco* Propheta *illos qui ſub ueteri agebãt, arguit quaſi impotens ſub illo iuſtificari, dicens.* Ecce tẽpus *ueniet(dicit* Dñs) *& finiendo uetus, faciam teſtamentum nouũ, populo meo fideli qui in me credet, & cõfitebitur mihi quod nõ erit ſimile illi priori quod patribus* Iſraelitici *populi diſpoſui, in monte Syna, circa tempus illud quo eduxi eos de terra* Aegypti, *apprehendendo manum eorum, hoc eſt, educendo illos in fortitudine brachij mei, & ſub cuſtodia mea deducendo. Quoniam ipſi non obſeruauerunt præcepta mea, quæ in teſtamẽto præceperam eis, & ego abieci eos à cura mea, faciens mihi nouam* Eccleſiam, *dicit* Dñs. *Quoniam hoc eſt teſtamentum nouum, quod diſponam ueris* Iſraelitis, Eccleſiæ *ſanctæ, poſt illa prioris legis tempora, dicit* Dñs. *Dabo, inquam, leges meas per ſpirituſſancti illuminationem in mẽtibus eorum, & inſcribam eas in cordibus eorum.* Et *ero illis* Deus, *& ipſi erunt meus peculiaris & acceptabilis populus.* Et *nõ erit tunc opus, ut prolixe doceantur quantum ad ea quæ erit neceſſarium credere & ſcire ad ſalutẽ, quemadmodum in ueteri lege opus erat in qua obſeruãda erant præcepta plurima: ſed unctione ſpiritus ſancti edocti, omnes cognoſcent me, tam plebeus q̃ ſacerdos, paruus & magnus.* (*Facile enim unuſquiſque ea capit & intelligit, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria*) *quia propitius ero iniquitatibus eorũ, & peccata eorum ĩ ſanguine filij mei delebo, ut nõ recorder amplius.* Ecce *autẽ dum dicit ſe diſpoſiturum nouum, prioris indicat uetuſtatem, & nouo adueniente illud uetus defecturum uigorẽq; perditurum, ſignificat. Quòd autẽ antiquitate & ſenio ad defectionẽ pergit, propè eſt ut ceſſet atq; intereat.*

CAPVT IX.

Habuit quidem prius illud & uetus teſtamētum legitimos ſuos ritus, quibus Deum ex præſcripto coli oportebat, & quandam uim corporaliter atq; ſeculariter ſanctificandi: nempe emundādi corpus à legis irregularitatibus, à qbus emundabatur p cæremonias corpus coinquinatū. Factū enim fuit tabernaculum prius, in quo ardentes lucernæ ſeptem erant, ex uno cādelabro in modū ramorū prodeuntes, itemq; menſa aurea, & panes ꝓpoſitionis, qui ſuper menſam coràm Dño apponebantur. Atq; hoc tabernaculū, uocatū eſt ſancta. At uero retro uelamen, altera erat pars tabernaculi, à priore p uelū intermediū diuiſa, qđ uocatum eſt duplicato noīe Sancta ſanctorū. In quo ſeruabatur thuribulum aureum, quò ſacerdos ingrediens fumigabat incēſo coràm ꝓpiciatorio, et arca teſtamēti facta ex lignis cethim undequaq; circūtecta auro puriſſimo: in qua erat repoſita urna aurea, manna cuſtodiens, in teſtimoniū diuinorū beneficiorū exhibitorū filijs Iſrael, et uirga Aaron quæ p miraculū fronduerat, in teſtimonium ſacerdotij Aaronitarum, et tabulæ teſtamēti, in quibus erat lex Dei deſcripta. Super quā arcam, & quæ in ea cōtinentur, ſtabant ſimilitudines quædam Cherubin, quæ facta erant ad Dei gloriā repræſentādā, & eius præſentiā glorificādam, quæ Cherubin alis ſuis operiebant propiciatoriū, id eſt, partem arcæ ſuperiorem, ſiue eius ſupremū operimentū, quod Deus ſibi in ſedē cōſtituit: ut ſignificaretur īter cherubin Deus habere manſionē ſuā: de quibus nō eſt hic ſigillatim nūc explicandū. Cū itaq; fuiſſent hæc ita, ſuo quæq; ordine, ſub teſtamēto priori diſpoſita atq; aptata, in illam anteriorem tabernaculi partē, ſiue in ſancta, introibant quotidie ſacerdotes, ad ſacrificiorū peragenda miniſtria. In altera autē & poſteriori, ſemel tantum p tēpus anni, ſummus ſacerdos ſolus & inferior nemo

introibat,

introibat, idq; cũ ſanguine, quẽ pro ſuis populiq; delictis offer ret corám Dño. Atq; hæc quidẽ, figura erant eorũ quæ p Chriſtum ſunt cõpleta. Significare enim p hæc uoluit ſpirituſſanctus (cuius inſtinctu cõpoſita ſunt oĩa) donec prius tabernaculũ ueteris teſtamẽti in ſuo uigore perſtaret, nõ propalandã eſſe neq; aperiendã uiã ad ſancta ſanctorũ, ad cœlos in uitã æternã: ſed debere prius illud Moyſi tabernaculũ ceſſare, eiusq; cultũ euacuari, q̃ patefieret p mortẽ Chriſti uia cœli. Quæ figura tẽpus reſpicit modo præſens, in quo ſecundũ ueritatẽ figurã illa cõpleta eſt: iuxta quã umbræ figurã, oblationes quælibet etiã ex nõ uiuentibus, aut ĩmolatitiæ hoſtiæ offerebantur, quæ nõ poſſunt perfecte ſecundũ cõſcientiã iuſtificare, eos qui ut ſerui ex præſcripto legis & timore pœnæ, tantũ uacabant obſeruandis cibis ac potibus, & uarijs ac multiplicibus adulatiõibus, alijsq; cõſimilibus corporalibus iuſtificationibus, qbus corpus à ſuis irregularitatibus, nõ cõſcientia emundabatur, quæ fuerunt Iudæis ad tẽpus iniuncta, donec in melius pficerentur, p oblationem hoſtiæ corporis Chriſti, cuius illæ erant præeuntes tantũ figuræ. Chriſtus aũt ſe exhibens patri, & patri aſſiſtens, ad interpellandũ pro nobis, tanq̃ põtifex, ut p eum uẽtura bona cõſequamur: p maius atq; etiã perfectius tabernaculũ, nõ cõſtructũ artificis manu, neq; arte humana cõditũ, ſemel introiuit in ſancta ſanctorũ: id eſt, p cœlos ad gloriã ſiue dexteram patris. Introiuit aũt & patri aſſiſtit tanq̃ pontifex, nõ ſanguinẽ hircorum aut uitulorũ offerendo: ſed p oblationẽ proprij ſanguinis, p quẽ nõ unius tãtũ anni delictorũ fecit remiſſionẽ, ſed æternã, & quæ oĩum ſeculorũ peccatis ſufficiat expiandis. Si enim ſanguis aĩalium mortuorũ (nempe hircorũ ſiue taurorũ) & cinis uitulæ rufæ cõbuſtæ, ſuper corpora hoĩum aſperſus, inquinatos corporalibus irregularitatibus mundat ſecundũ carnẽ, atq;

purificat ab eiuſmodi,multo magis uidetur ſanguis Chriſti,qui p ſpiritū ſanctum ſecundū plenitudinē in ſe inhabitantē: obtulit uoluntarie ſeipſum Deo *patri,in hoſtiā īmaculatā, potens eſſe & efficax ad emundādū corda non corpora tantum,à peccatis quæ mortificant aīam,ad ſeruiendū in nouitate uitæ* Deo *uiuēti. Sanguis enim Chriſti pp coniunctionē cū uerbo in uno ſuppoſito,infinitā habet uirtutē emundādi,nō modo corpora , ſed etiā aīas & cōſcientias hoīum:quā uim,aīaliū cæterorum ſanguis nō habet.* Atq; *ob hæc,ipſe mediator eſt noui teſtamēti, p quē uidelicet ipſum ſit nobis collatum atq; diſpoſitū,ut interueniente morte eius,ad expiādū peccata illa priora quæ à ſeculo & ſub lege erant cōmiſſa,& expiari p legis ſacrificia nō poterant,accipiant firmā & tutam deinceps promiſsionē æternæ iā partæ hæreditatis,qui fuerint ex uocatione* Dei *ī Chriſtum credentes.* Dixi *aūt mortē debuiſſe interuenire.Nā ubi teſtamentū eſt,ſi ratū eſſe debeat,neceſſe eſt interuenire mortē eius q cōdidit.Nā tunc primū cōfirmationē ſuā accipit teſtamentum, cum is moritur qui illud condidit.* Alioqui *donec uiuit teſtator,nondum firmā habet atq; ſtabilē uim quin mutari,quoties illi uidebitur poßit.* Vnde *in ſignū cōfirmationis noui teſtamēti,p ſanguinē Chriſti fiendæ,prius teſtamētum etiā cum ſanguine cōſecratum, initiatum,& ſuo quodāmodo cōfirmatum fuit.* Moy*ſes enim poſtq̄ oīa legis mādata recitaſſet in aures populi, accipiens deinde ſanguinē uitulorū & hircorū cum aqua miſtum, faciensq; aſpergillum ſibi ex hyſſopi ligno,& coccinea lana rubri coloris,aſperſit librum ex quo recitauerat et uniuerſum populum qui ſe iam ad obſeruationē mandatorum aſtrinxerat,& dixit:*Hic *eſt ſanguis teſtamenti cōfirmatiuus, qd' uobis* Deus *obſeruandum diſpoſuit,cōſcripſit & tradidit.* Hæc *autem oīa, figura,ſunt paßionis* Chriſti.*Nā ſanguis aīalium mortuorum*

& aqua, ſignificant ſanguinē & aquam in cruce à Chriſto pro nobis effuſa. Hyſſopus quoq; & lana coccinea, agnum ſignificant cruentum ligno crucis affixum, cuius aſperſiõe oẽs ſumus emundati. Ipſum quoq; tabernaculum illud uetus, & oĩa uaſa atq; utenſilia quæ erãt deputata in miniſterio Dñi, ſimiliter ſanguine aſperſit. Et ſecundum legẽ penè oĩa ꝑ ſanguinẽ purificantur, & oĩs irregularitas ꝑ aſperſionẽ ſanguinis tollitur. Remiſſio autẽ peccatorum fieri ſecundum legẽ nequit, niſi ꝑ interfectionẽ hoſtiæ, & ſanguinis effuſi oblationẽ. Et ſic quidẽ neceſſe fuit, ut uetera illa, quæ tantum erant figuræ quædã eorum quæ in noua Eccleſia & in cœlis ſunt, talibus rebus, hoc eſt figuratiuis purificationibus, mundarentur. Ipſa autẽ quæ modo in Eccleſia ſunt ſpiritualia, & ipſa cœleſtia melioribus hoſtijs q̃ ſint hæc corporalia, neceſſe fuit conſecrari, id eſt, ſanguine Chriſti. Nam ſanguine Chriſti, & Eccleſia ſanctificata eſt, & cœlum mundatum noſtri gratia, ſiue potius cõſecratum, atque initiatum: nobis ad introitum. Chriſtus enim nõ introiuit in ſancta artificis manu cõſtructa, ſed in ipſum cœlum, qd' uerbo firmatum eſt, ut ſe nunc exhibeat tanq̃ põtificem, pariter & hoſtiam, cõſpectui patris, pro noſtra utilitate et ſalute. Neq; uero propter hoc ut ſeipſum pluribus offerat uicibus, frequẽter moriendo, ſecundum ritum ueteris põtificis, qui ꝑ ſingulos annos, in alieno et in nouo ſemper ſanguine, ingreditur ĩ ſancta. Alioqui neceſſe fuiſſet, ab initio mundi ſæpius mortẽ iteraret, cum ab initio ſemper delicta præceſſerint. Nunc autẽ, iuxta qd' ueritas habet, in plenitudine tẽporum ſemel ipſe tanq̃ hoſtia apparuit, quãdo ſuo tp̃e mortis paſſionẽ ſuſcepit, ad deſtruendum regnum peccati atq; diaboli, hoc eſt, ad tolẽdum peccata mundi. Et quẽadmodum oĩbus hoĩbus ex Dei iniunctione, definitiõe, atq; ſtatuto incumbit moriendi ſemel neceſſitas, & poſt mortẽ

ſuum cuiq; iudicium. Sic etiā Chriſtus in forma peccatoris apparens, ſeq; exhibens tanq̄ hoſtiā pro peccato, ſemel quidē oblatus eſt quia uoluit, ad tollēdum peccata multorum, oīum (inquam) qui crediderint in eum. Poſt hoc autē, cum ſecundo manifeſtatus fuerit, in die uniuerſalis iudicij, tunc apparebit ſanctus ſanctorum, nō habens formā peccatoris, ſed claritatē patris. Apparebit, inquam, ſaluator omnibus, qui modo cum fide & deſiderio expectant aduentum illius.

CAPVT DECIMVM.

Lex enim uetus imperfectam admodum habens tantum repræſentationem bonorum quæ in Eccleſia Chriſti, tpe nouæ legis futura erant, nō ipſam expreſſam ueritatis ſimilitudinē (hoc eſt, nō ipſam earum rerum ueritatē) ꝑ ſuas hoſtias et uictimas quæ ꝑ ſingulos annos ſine intermiſsiōe ſemper cōſimiles offeruntur nunq̄ poteſt accedētes cultores atq; offerētes, ꝑfecte iuſtificare, operādo ſcilicet remiſsionē peccatorum. Nā ſi ullo unq̄ anno ꝑ oblationē ullius hoſtiæ fuiſſet ſemel plenè ꝑfecta peccatorū remiſsio, iam ceſſaſſent ab oblationibus iterandis ꝑ annos ſequentes, eo ꝙ nō haberēt ultra cōſcientiam ullius peccati, obſeruatores illi legis ſemel ꝑfecte iuſtificati, qd' nō uirtute illius prioris hoſtiæ poſſet deleri. Si enim ꝑ ullā hoſtiam fieret peccati unius expiatio, eadē rōne oīum peccatorum efficax eſſet operari remiſsionē, quandoquidē infinitæ eſt uirtutis, facere peccati purgationē. Modo aūt in ſacrificijs legalibus cōſpicimus, quòd per ſingulos annos iteretur peccatorum cōfeſsio, ī die expiationis: ꝑ qd' ſignificatur, nōdum eſſe ablata peccata mundi, donec illa ceſſet cōfeſsio, & ueniat unica illa ꝑfecta oblatio, quam illorum figurales oblationes prætēdebāt. Prorſus enim impoſsibile eſt, ut ſanguis mortuorum aīalium operetur peccatorum remiſsionem. Peccatorum enim remiſsionem efficere, ad infinitā ſpectat

uirtutem: cuius nõ eſt ullius uiuẽtium ſanguis, præterq̃ Chriſti, qui ex uerbi cõiunctione infinitatẽ participat huiuſcemodi uirtutis. Ideoq; *in Pſalmis, ubi Chriſtus deſcribitur tanq̃ in mundũ ĩgrediens, ſic introducitur ad patrem loquens:* Victimas & oblationes nõ requiſiſti pp ſeipſa, tanq̃ ibi finem conſtituens, aut quaſi p ſe tibi eẽnt placita (*quæ nõ requirebantur etiam in tpe ueteris legis niſi quatenus erant figuræ quædam paßiõis & oblationis Chriſti.*) At *in ſuo tpe, qñ uoluiſti cõplere illa corporalia ſacrificia, eisq; finem imponere, corpore me circundediſti paßibili, in quo uſq; ad mortem obediens factus, eſſem tibi placita pro peccatis hoſtia.* Oblationes *illæ corporales, ſiue pro peccato offerrentur, ſiue ꝑ holocauſto, nõ tibi p ſe placuerunt. Tunc in tpe quod à te fuerat ut homo fierem cõſtitutum, dixi:* Ecce *ego pater uenio in carne, ut offeram tibi placitum ſacrificium, nempe ut faciam uoluntatem tuam, & obediens ſim etiã uſq; ad mortem.* In *libro enim uitæ et diuinæ prædeſtinationis, de me prædeſtinatum eſt & præordinatum, tanq̃ de primogenito & præcipuo inter oẽs hoĩes, tanq̃ in capite libri illius, ut tuam uoluntatẽ faciendo atq; implendo etian uſq; ad mortẽ, ſic debeam in gloriam tuam introire, qui es ſecundum humanitatẽ* Deus meus. Ecce *in his uerbis, dum uetera illa legalia ſacrificia uelut abijciuuntur, & noua hoſtia Chriſtus in mundum ueniẽs introducitur, ſatis manifeſte prius illud uetus teſtamentum cum ſuis ſacrificijs euacuat, ut cõfirmetur ſequens nouum:* quod de *ſola mandat impletione uoluntatis diuinæ, nõ de legalium oblatione.* De qua et *ſecundũ quam patris uoluntatem, ſemel ſanctificati ſumus, in uirtute oblationis corporis Chriſti, qui ſemel ꝑ noſtra redẽptione mori uoluit: ita ut denuo p ſingulos annos, hanc ſanctificationem iterare nõ ſit opus.* Et *qdem ſacerdos ille ueteris legis, p ſingulos dies accedit ad altare miniſtrãdi grã*

ſæpiusq́; offerēdi cõſimiles ſemper hoſtias. Quæ quotieſcunq; offerantur, nõ poſſunt efficere peccatorum expiationem. Hic uero pro peccatis oĩum, poſtq̃ ſemel unam obtulit hoſtiam ſui corporis, deuicta iam morte, in æternũ requieſcit, in æqualitate gloriæ patris, poteſtate iudicandi à patre accepta. Et *adhuc uenturum expectatur, ut ſubigantur perfecta ſubiectione oẽs aduerſarij eius diaboli & eorum miniſtri, tanq̃ ſcabellum ſub pedes eius.* V*nica enim ſui corporis oblatione, electos ſuos ita perfecte cõſummauit, eiſq́; tam pfecte prouidit: ut in ſempiternum reſumi opus nõ eſſet eandem, uel aliam, pro expiandis mundi peccatis, oblationem.* T*eſtimoniũ autem perhibet modo in ſcripturis de his, etiã ſpiritusſanctus.* N*ã poſt illud qđ in* Propheta *dĩ de nouo teſtamento, hoc eſt teſtamentum qđ diſponã illis poſt tempus legis ueteris, dando leges meas in cordibus eorum & in mentibus eorum inſcribendo eas: poſtea ſubiungit ſpiritusſanctus.* Et *peccatorum & iniquitatũ eorum nõ recordabor ultra, ita ut de nouo aliquam hoſtiã uelim exigere, pro expiatiõe eorũ faciẽda.* Porr*ò ubi remiſsio facta fuerit, nõ erit ultra locus hoſtijs illis legalibus, quæ in figuram offerebantur huius oblationis, p quam facta eſt remiſsio.* F*ruſtra enim tenetur figura, ubi impleta eſt ueritas.* P*roinde fratres qui habemus talẽ cõfidentiam & tam liberam, tamq́; certam fiduciam ingrediendi in cœleſtia ſancta, in uirtute ſanguinis* Ch*riſti, p eam quam nobis parauit uiam, & cõſecrauit atq; dedicauit nouam, & ad uitam perducentem, per uelamentum, id eſt, p corpus ſuum quo uelata fuit diuinitas, in quo & mortem ſuſcepit, pontificemq́; uere magnum apud patrem, pro tota* Eccleſia *ſancta* Dei*, & p omnibus qui per fidem ſunt de familia* Dei*, nihil hæſitantes accedamus in ſpiritu & ueritate potius q̃ corporeis greſsibus, cum puro erga* Deum *affectu, plenaq́; & ſyncera fide: ſecundũ ani=*

mam p aſperſionem perq; uirtutem ſanguinis Chriſti emundati à maculis conſcientiæ: & ſecundũ corpus, aqua mũda (id eſt, lauacro baptiſmali) abluti, pſeueremus fortiter in ſpe illa quã cõfitemur, ſecundũ fidem noſtrã: ita ut nullo pacto ab ea deflectamus, pp qualibet uel perſecutionẽ, uel malã perſuaſionẽ. Nihil enim hæſitare debemus, qui Deum habemus promißorẽ, ſine dubio fideliſsimũ, in oĩbus uerbis & promißis ſuis. Et diligenter attendamus nos inuicem, ut p proximorũ bona exẽpla quæ cõſpicimus prouocetur ĩ nobis charitas ad profectum meliorem, & opa bona cõſimilia peragenda, qualia in alijs cõſiderauimus: nõ ſubtrahentes uos perſecutionis metu, aut quacunq; de cauſa, à cõmuni fideliũ cœtu, quẽadmodũ apud nõnullos uitioſa eſt cõſuetudo: ſed permanete in unũ pariter cõgregati, ad cõſolandũ exhortãdũq; uos inuicem, cõtra eas quæ ab hoſtibus fidei ingeruntur uobis tentationes malas. Et id qdem tãto ardẽtius facere debetis, quãto ad diem mortis, iudicij, atq; coronæ uos uideritis magis appropinquare. *Si enim poſt acceptam ex fide ueritatis notitiam, rurſum deliberata uolũtate à* Deo *uiuo diſcedentes, in infidelitatis peccatũ noſipſos proiecerimus: non eſt qd' ullã expectemus aliã pro peccatorum expiatiõe hoſtiã, ſi ipſam quæ à patre nobis data eſt ſic abiecerimus. Sed expectandũ eſt & ueniet ijs qui tales ſunt, terribile illud iudicium, & ignis ille æternus, exardeſcens ad uindictã faciendã, contra aduerſarios* Dei, *qui infideles eſt cõbuſtione ſempiterna excruciaturus.* Neq; *id mirum.* Nã *quiſquis legẽ* Moyſi *trãſgreditur, ſi duobus fuerit aut tribus idoneis teſtibus conuictus, ſine ulla miſeratione irreuocabiliter occiditur, ubi mortis pœna eſt trãſgreßioni deputata. Quanto exiſtimatis maioribus illũ & peioribus ſupplicijs dignum fore, qui filiũ* Dei *ſic turpiter contempſerit: & ſanguinẽ in quo teſtamẽtum nouum cõfirmatum eſt,*

pollutum duxerit, cõmunem illũ reputans, & nihil amplius ua lere ad peccatorum expiationem, & aĩarum ſanctificationẽ: q̃ ſanguinem aliorum aĩalium (in quo tamen ſanguine ſanctifica= tus fuit per baptiſmum) & qui ſpiritui ſancto per quem fuit gratia in corde illius diffuſa, fecerit contumeliam, illum per infi delitatem à ſe repellendo? Vtiq; uindicabit acrius de eiuſmodi, iuſtus iudex. Scimus enim, quis ſit qui dixit: Mea eſt ultio, & ego ſum qui retribuam pro omnibus malis. Et alibi: Iudicabit dñs pro populo ſuo in æquitate, aduerſus oẽs malignos perſe= quentes eos. Et quidem merito horrere debent oẽs atq; ſumme cauere, ne in uindictam iræ diuinæ, atq; potentis ultionis eius, deueniant, imparati, & inſufficientes ad reddendũ de ſuis ope= ribus rationem. Quo uero efficiamini, ad toleranda quæcunq; occurrant uel immineant uobis aduerſa aĩo conſtantes, perſeue rantes, atq; patientes: obſecro reducite ad memoriã bona ueſtra initia, quomodo prioribus elapſis diebus, Dei gr̃a illuminati, pro eius noĩe magnum perſecutionum inſultum ſuſtinueritis: Partim quidem in eo quòd opprobrijs et contumelijs plurimis affecti, ſpectaculum facti fuiſtis hoĩbus: ita ut oẽs præ admira= tione in uos haberent oculos intentos. Partim quidem in eo q̃d taliter patientiũ ſocij facti eſtis, dum proximorũ ueſtrorũ mala non ſecus atq; ꝓpria, cordi uobis fuerũt. Nam & uinctis ex cõ paſsione miniſtraſtis, eorumq; neceſsitatibus pro ueſtra faculta te ſubueniſtis, & ipſi direptionem ſubſtantiæ ueſtræ in gaudio ſpiritus ſuſtinuiſtis: intelligentes & cõſiderantes uos hr̃e ĩ ſpe certa meliorẽ ſubſtantiam p paſsiones huiuſmodi præſentis tp̃is cõparandã, quæ permanſura eſt in cœlis, & nunq̃ auferetur à uobis. Ne itaq; abijciatis iſtã ueſtrã cõfidentiã, quæ magnã ha= bitura eſt, ſi in ea permãſeritis, remunerationẽ, nempe infinitã & æternã in cœlis. Vobis enim q̃ tantis agitamini pſecutioni=

bus, ante oĩa patiẽtia neceſſaria eſt, ut uoluntatẽ Dei ſic permanenter & perſeueranter implẽtes, recipiatis hæreditatem uitæ æternæ, repromiſſam pſeuerantibus. Nõ enim diu erit tẽpus patiendi. Adhuc enim modicũ & aliquantulũ reſtat tẽporis, quando ueniet manifeſte q uenturus expectatur & nõ longe eſt aduẽtus eius. Interim autẽ iuſtus p fidẽ uitã habet ſpiritus, & donec in illa manet, uita gratiæ nũc uiuit, poſt ad uitam deducendus ſempiternã. Quòd ſi à fide receſſerit, aut apoſtatauerit, nõ amplius placebit uoluntati meæ, neq; mihi ultra erit beneplacitum in eo. Nos aũt chariſſimi qui ſemel Chriſti fidẽ prompte ſuſcepimus: nõ efficiamur filij infideles, ſubtrahẽtes nos à Chriſto, cui ſemel noſipſos dedimus, quod nobis foret in damnationem: ſed ſimus fideles filij, in fide recta perſeuerãtes, ut ſic lucremur & ſaluas faciamus animas noſtras.

CAPVT VNDECIMVM.

Quoniam autem fidei tanta tribuimus, uolumus de eius uirtute plura quædam latius pertractare. Habetur autẽ fides de rebus futuris quæ ſperantur: illisq; ſubſtat, ea uelut p obiectis habẽs; & ipſa eſt quaſi medium per quod illis aſſentimur, quæ per ſe ueritatis nullam habent euidentiam. Per hanc uero laudabile teſtimonium conſecuti ſunt patres noſtri, & dignam ſui reliquerunt memoriam. Per fidẽ illi aſſentimur quod ſenſus non capit, & ratio minime perſuadet: Nempe p uerbum Dei uniuerſum mundum creatum, atq; ad perfectionẽ perductum eſſe: ita ut ex nihilo, cũ nuſquam adhuc quicq̃ uideri poſſet creatum, fierent cuncta hæc quæ nunc ſunt oculis ſubiecta, atq; ex incorporeis quæ in mente artificis Dei erant idæis, corporea iſta procederent. Fecit in Abel primo iuſto, fidei deuotio, ut ampliorẽ atq; potiorem de optimis ſuis offerret præ Cayn fratre ſuo oblationem: ex qua etiam teſtimonium à Deo (qui falſus teſtis eſſe nõ

poteſt) accepit, quòd iuſtus eſſet: in eo q. dñs per ignis abſumptionem, qui ſacrificiũ Abel cõſumpſit, demõſtrauit ſibi grata eſſe munera eius: cũ econtrario ad Cayn munera nõ reſpiceret. Atq; p hanc fidẽ, dum innocẽter pp deuotionẽ ſacrificij ſui fuit occiſus, etiã poſt mortẽ clamare perhibetur ĩ ſcriptura ſanguis eius. Clamare, inquam, & loqui, ſiue ad Deum pro uindicta, ſiue ad poſteros in exemplũ, ut ſciant, ab initio innocentes à malis perſecutionẽ ſuſtinuiſſe, atq; ita in ſuis aduerſitatibus conſolentur. Per fidem Enoch transferri meruit, ut mortem ſuo tpe iuxta cõſuetum hoĩum terminum nõ guſtaret, ſeruatus in uita: & poſt raptum nõ eſt inuẽtus, ne ſecundũ corpus qdẽ, quoniã hinc uiuum illũ tranſtulerat dñs. Illud aũt ex fide huic obtigiſſe patet, quoniã ante trãslationẽ ſcriptura teſtificatur ipſum cum Deo ambulaſſe, Deoq; placuiſſe. Atqui, ſine fide impoßibile eſt Deo placere. Vnde cõſtat illũ fidẽ habuiſſe, p quã Deo placens factus fuit. Dico aũt ſine fide neminem Deo poſſe placere, quoniã neceſſe eſt omni qui uult accedere ad gratã Dei ſeruitutẽ, ut primum credat de Deo, quòd unus ſit uerus Deus qui reſpectum habeat humanorũ actuum. Deinde, quod iuxta opera ijs qui ſibi placere ſtudent, redditurus ſit optimæ mercedis retributionem in tpe ſuo, iuxta ſecretum cõſilium ſapiẽtiæ & prouidentiæ ſuæ curam gerens ſeruorũ ſuorum. Per fidẽ. Noe admonitus de ijs quorum adhuc nec inſcia nec indicia uidebantur quæ poſt multa annorũ ſpatia erãt futura, credens uerbo Dñi, metuensq; uenturum diluuij periculũ, apte cõpoſuit, iuxta præſcriptã formã à Dño, arcam illã p quã ſaluaretur domus eius, per quã fidẽ ipſe mundi cõdẽnauit pfidam infidelitatẽ, dũ illis nolentibus credere atq; proinde diluuio perditis, ſolus ipſe credidit, atq; ſuperſtes permanſit, & p eandẽ fidem, hæreditariam etiã accepit promißionẽ iuſtitiæ fidei, quæ p Chriſtum erat uen

tura. Cum enim omne tunc ſemen alienum perijſſet, certificatus eſt de ſuo ſemine naſci debere Chriſtum, qui in ſuo aduentu mũdum p fidẽ erat iuſtificaturus. Fide, is quẽ Dñs aucto nomine Abrahã uocauit, uocatus à Deo ad egrediendũ de domo patris ſui, obedientẽ ſe præſtitit uoci Dei, exiens de cognatione ſua in locum peregrinũ, quẽ in hæreditatem erat recepturus, ipſe in promiſsionem, & ſemen eius in poſſeſsionem, & qd' magis mirandum eſt, cũ exiret terrã ſuã, neſciebat prorſus quò eũ Dñs erat perducturus. Propter fidem inhabitauit multo tpe in terra ſibi, ſuoq; ſemini repromiſſa, tanq̃ peregrinus & aduena in terra aliena, Cũ illic, neq; paſſum pedis in ppriã poſſeſsionẽ haberet. Morabatur, inquam, in mobilibus tabernaculis atque tẽtorijs: queãdmodum & Iſaac poſtmodũ & Iacob, ad quos eãdem hæreditatis huius repromiſsio facta fuit. Spe enim firma cœleſtium bonorum, expectabat ciuitatem illam ſupernam, in fundamentis ppetuo cõſtabilitã (id eſt, manſionem ĩmobilẽ & ſempiternã) quã ciuitatem cõdidit, uiuis ex lapidibus, ſapientiſſimus artifex Deus. Per fidẽ, idem ipſe Abrahã promeruit, ut acciperet Sara (quæ ante ſterilis fuerat) uirtutem ad cõcepti ſeminis retentionem, atq; ita ad fœtus in utero generationẽ, etiã cum iã eſſet uetula, & tẽpus ætatis minime aptum cõceptioni: quoniam fidelẽ credidit eſſe Deum, qui hoc repromiſerat, daturum uidelicet ſe illi filium etiam in tanta ætate. Propter quam fidei magnitudinẽ, diuino operante miraculo, ab uno Abrahã, & ipſo quidẽ iam præ uetuſtate uiribus (ſecundum naturæ curſum) ad generandum penè defecto, orti ſunt filij plurimi & innumerabiles, uelut ſtellæ cœli, aut arenæ granula, quæ ſunt ĩ littore maris. In hac fide mortui ſunt Patriarchæ iſti, cum nihil tamen in poſſeſsionẽ fuiſſent adhuc cõſecuti, ex oĩbus quæ eis Deus repromiſerat: ſed tantum p fidem credentes, uelut longe

poſt implenda, aſpiciebant & reuertebantur uentura Dei bona, pro eis tanq̃ pro præſentibus Deo gratias agentes, aſſerentes ſuper terram ſe non niſi peregrinos & aduenas exiſtere, ad aliam meliorem patriam tendentes. Dum enim ſe peregrinos ſatentur ſuper terrã & & aduenas, ipſo ſermone patenter indicant, ſe ad aliam (hoc eſt futurã cœleſtem patriã ſuã) tendere. Neq; uero putãdum eſt ad hoc illos reſpexiſſe, cũ hæc dicerẽt, quod à ſuorũ parentum patria fuiſſent egreſsi. Nã ſi illud exilium, aut peregrinationem talẽ deploraſſent, potuiſſent ſanè nullo negocio in ſuã terrã facillime reuerti, unde uenerant. Sed nõ iſtud erat quòd peregrinos ſe profitebantur, ſed ad meliorẽ terram reſpiciebãt, nempe cœleſtem, ad quã ſe feſtinare indicabãt. Et quia tanta erga Deũ fidei eorũ deuotio fuit, dum in hoc mũdo uiuerent: Iccirco nũc eos apud poſteros tali dignatur honore, ut ſe uoluerit nominari. Deũ eorũ (queẽadmodum in ſcripturis frequẽtiſsime legimus.) Deũ Abrahã. Iſaac, & Iacob. Ipſe enim cœleſtem parauit eis, & immobilem manſionẽ, in qua cũ eo inhabitent, ĩperpetuũ. Fides erat, quæ Abrahã cũ à Deo tentaretur pro unigeniti immolatione, promptũ fecit animo et uoluntate, ad offerendũ (iuxta præceptũ Dñi) filium ſuum unigenitũ Iſaac. Illum, inquã, filium in quo ei fuerat à Dño promiſſa ſeminis ſui multiplicatio, & oĩum promiſſorum impletio, de quo dixerat Dñs: Semen quod Iſaac ꝓcedet, illud reputabis tuum, in quo oĩa mea promiſſa ſuo tpe ſum impleturus. Nihil tñ hæſitauit, ſciens quòd etiã à mortuis potens eſſet eum excitare, ſi ſic fuiſſet ſibi placitum. Propter quod, Iſaac filium ſuum recepit Abraham (quẽ ſe perdidiſſe ratus fuerat) in ſimilitudinem & figuram Chriſti. Nam oblatio illa Iſaac filij Abrahæ, figura erat immolationis Chriſti filij patris Dei. Per fidem, Iſaac ipſe poſtmodum uir factus & ſenex, benedicẽdo & imprecan

do filijs ſuis Iacob & Eſau bona, de futuris prædixit, quæ nõdum uidebat, credens quoniã eſſent implenda, quæ ei dominus reuelauerat. Conſimili fide, Iacob cum morti appropinquaret, utrunque filium Ioſeph (maiorem ſcilicet atq; minorem) tanq̃ filios ſui ſemoris, benedixit, & adorauit ad faſtigium ſceptri eius, intelligens uenturum Chriſti in hoc mundo pauperis regnum, quòd Ioſeph uenditi & incarcerati, Illud ſceptrum prætendebat. Per fidem, credens Ioſeph implenda eſſe, quæ illi à Deo fuerant reuelata, cum moreretur, filijs Iſrael congregatis, de exitu ipſorum poſt annos multos prædixit, & ut oſſa eius tunc ſecum deferrent præcepit, dicens: Viſitabit uos dominus, deferte oſſa mea uobiſcum. Per fidem, parentes Moyſi, ipſum natum puerum occultauerunt mẽſibus tribus, donec diutius celare ſe poſſe deſperarent: eo q̃ uidiſſent infantem aptum & idoneum ad ſalutem populi, à domino præparatum, Deo ſic illis in cor immitente: & non timuerunt regis imperium, donec celare ſe poſſe ſperarent, quem poſtmodum ubi res latere ultra non potuit diuinæ prouidentiæ in ciſtula incluſum, & aquis expoſitum, commiſerunt, & id quidem rurſum per fidem. Ob fidem ſimiliter unius ueri Dei (qui inhabitabat in populo Iſrael) Moyſes poſtquam adoleuiſſet, propter zelum quem erga Deum et populum Dei habebat Aegyptium trucidans Hæbræum opprimentem, renuit eſſe & haberi filius filiæ Pharaonis. Ipſo nimirum hoc facto magis eligens cum populo Dei humiliter uiuere, & in afflictionibus quàm uoluptatibus ſecularibus in peccatis frui, quod in aula Pharaonis utique potuiſſet: maiores diuitias reputans, pro Dei honore & zelo improperia & miſeriam ſuſtinere, quàm omnes theſauros Aegypti poßidere. Aſpiciebat enim in uenturam æternitatis retributionem cuius reſpectus præſentia illũ fecit fortiter cõtemnere. Fide, poſtmo-

dum dux factus populi Iſrael,poſt cæſa primogenita. Aegypto egreſſus eſt cum omni turba filiorum Iſrael, nihil ueritus regis pertinacem iracundiam,quã toties fuerat expertus:ne uidelicet poſtmodum egreſſos ipſe(ut fecit) pſequeretur. Nihil, inquã, metuit regis illam pertinaciam, quoniam Deum inuiſibilem ꝓtectorem,uſqueadeo certa fide & ſpe expectauit,ac ſi uiſibiliter eum præſentem cõſpexiſſet,nihil dubitãs de eius protectione ad futura.Per fidem, ipſe ex Dei mandato, ſecundum ritus præſcriptos & traditos à Deo,ĩmolationẽ agni Paſchalis celebrauit cũ populo,& ſanguinẽ effuſum agni ſupliniuit ĩ ſuperliminaribus domus,ne angelus dñi tranſiens ꝑ Aegyptũ occidendo oĩa primogenita,eis noceret.Erat enim ſanguis in ſuperliminaribus,in teſtimoniom ſecuritatis: qđ ubicunq; inuenit angelus percutiẽs,nõ illic quenq̃ percuſſit.Fide factum eſt,ut mare diuideretur,aquis ex utraque parte pro muro ſtantibus quo diuiſo tranſierunt filij Iſrael ſine nocumento,quaſi ꝑ ſiccam terram:q, ipſum cum tentare uellent Aegyptij, redeuntibus aquis oẽs operti ſunt,& demerſi in profundo maris. Fides erat,quæ muros Hiericho illos fortiſſimos fecit ſine humana manu cõcidere,poſtq̃ diebus ſeptem cum tubis & clamore circuiſſent ſacerdotes dñi.Fides ſaluam fecit Raab meretricem, cæteris infidelibus pereuntibus gladio,eo ꝙ excepiſſet exploratores populi Iſrael à Ioſue miſſos pacifice, & credens uerbis dñi in pace eos dimiſit,nec prodidit,etiam quærentibus. Quorſum autem attinet fidei uirtutem in ſingulis cõmemorare?Nam ſi id tentare uoluero ꝑ ſingula fidei exempla, prolixum foret nimis, & epiſtolæ modum excederet oratio:utpote ſi ſigllatim enarrare uellem,quæ ꝑ fidem geſſerunt iudices Iſrael,Gedeon, Baruch, Sampſon, Iephethe, Rex Dauid, Samuel Propheta & iudex populi,cæteriq; ſancti & Prophetæ. Qui oẽs per fidẽ reges,

duces, & regna, in uirtute dñi deuicerunt, operati ſunt iuſtitiã, liberando oppreſſum populum dñi, de manibus inimicorũ ſuorum, & ꝑ eandem conſecuti ſunt uarias & peculiares à Deo *promiſſiones: quemadmodum* Phinees, *ſacerdotij ſempiterni,* Dauid *regni nunꝗ auſtrendi.* Ezechias *de infirmitate conualeſcendi, atq; ita in alijs.* Per *fidẽ, leonibus clauſa ſunt ora ut nihil ſanctis nocerent: quemadmodum* Danieli *in medio leonum datum eſt, ut à nullo cõtingeretur.* Virtus *ignium diuina uirtute cõpreſſa eſt atq; cohibita, ita ut cõburendi nullã haberet poteſtatem, qd' tribus pueris in camino ignis datum refert hiſtoria.* Euaſerunt *diuina protectione periculum gladij, quod humana ſubinde uia nõ erat ſperandum: quomodo &* Dauid *gladium* Saulis, & Machabæi *frequenter gentilium gladios diuina uirtute ſola euaſerunt.* Cõualuerunt *miraculo nõnulli de infirmitate mortali, ut* Ezechias. In *bello diuinitus cõfortati ſunt, cuiuſmodi erant* Machabæi, *qui etiã alienigenarum gentium caſtra & exercitus (diuino auxilio innixi, & fide magis ꝗ armis pugnantes) debellauerunt. uſque ad exterminium.* Fuerunt *etiam qui ꝑ fidem mortuos filios reſuſcitatos, ſuis matribus reddiderunt, quod de* Helia *legimus atque* Heliſeo. Fuerunt *autem qui ꝑpter fidem & cultum uerum unius* Dei, *eiusq; cæremonias et legitima, eo ꝙ nollent ritibus inquinari* Gentilium, *extenti ſunt uelut pelles in tympano, & uerberibus cõtinuis uſque dum deficerent pulſati, nõ ſuſcipientes liberationem, quã habere potuiſſent, ſi uoluiſſent in illicita cõſentire: eo ꝙ reſurrectionẽ ſperabant ad uitam ĩmortalem. pro temporalibus afflictionibus accipere, quæ longe melior eſt atq; optabilior, ꝗ breuis uitæ temporalis redemptio.* Alij *uero opprobrijs irriſionibusq; uarijs, inſuper & uerberibus affecti ſunt, uincula quoq; & carceres horridiſſimos perpeſſi.* Fuerunt *nonnulli lapidibus obruti, ut*

Zacharias Propheta. Nonnulli ſecti per medium, ut Eſaias. Tētati ſunt atq; uexati exquiſitis modis. Cōplures gladio occiſi ſunt. Circuierunt, incertis uagantes ſedibus & profugi, in ouillis pellibus, atq; etiā caprinis, in magna egeſtate, anguſtia, & afflictione cōſtituti, tales uiri quàlibus mundus nō erat dignus, quibus cœlū magis cōgruebat, q̄ terrena habitatio. Errabāt in deſertis locis, profugi à facie perſequentiū eos pp iuſtitiam: In montibus quoq;, ad quos confugiebant, & in ſpeluncis atq; cauernis terræ, intra quas deliteſcebant, ad effugiēdū rabiem grauiſſimæ perſecutionis. Et hi oēs, licet p fidem laudabile teſtimonium cōſecuti & probati inuenti, non ſunt tamen cōſecuti (donec aduenıret Chriſtus) æternæ uitæ promiſſam poſſeſſionem. Deo per hoc ſecundū ſuā prouidentiam melius aliquid pro nobis, hoc eſt, pro nouæ legis fidelibus hoībus proſpiciente atq; intendente: ne uidelicet ſine patribus tpis gratiæ, priores illi patres legis, ad perfectam æternæ uitæ coronā perducerentur.

CAPVT DVODECIMVM.

Cum itaq; tam copioſam habeamus fidei noſtræ teſtium multitudinem, nobis in exemplū uelut impoſitā, ut quos imitari debeamus, qui nobis merito ad fidem & patientiā ſufficiant illuminādis, & animandis, æquū eſt ut abiecto omni concupiſcentiarū malarū pondere, omniq; peccato quod undequaq; nobis, quaſi de proximo imminet ſemel abdicato, curramus deinde uiriliter & fortiter agētes, ad certamen fidei quod nobis pro noīe Chriſti modo proponitur, p patiētiā à ſemel ſuſcepta fide nunq̄ diſcedentes, mētis oculos fixos tenētes in Ieſum Chriſtum, qui eſt noſtræ fidei author & conſummator: id eſt, principiū & finis, dator & remunerator, qui dat uelle et perficere. Qui Chriſtus cū potuiſſet utiq; gaudio ſolo frui, nec neceſſe haberet ullā perpeti miſeriā, uoluntarie tamē magis elegit crucem ſuſtinere in

exemplum

exemplum nobis, neq; propter tantam cõfuſionem talis ſuppli cij, mortem omittens ſuſcipere: atq; ob hoc nũc, pp inſignem il lam obedientiam, patri aſſidet ad dexteram, eidem in gloria & maieſtate æqualis. Omnino enim hoc uos hortor ac moneo, ut huius exemplũ frequẽter reuoluatis in cogitationibus, et in me moriã reuocetis eũ qui talem ſuſtinuit, tamq; inſignẽ perſecutio nẽ, aduerſus ſemetipſum, à peccatoribus Scribis & Phariſeis: idq; nõ pro ſe, ſed pro nobis. Ad hoc, inquã, recogitate, ut eius exẽplo animati, nõ defatigemini in certaminibus perſecutionũ, quas pro eo ſuſtinetis aı̃o deficientes. Nondum enim tanta pro eo paſſi eſtis, quanta pro uobis ipſe paſſus eſt. Ille enim ſanguinem effudit pro nobis. Veſtra autẽ lucta & pugna contra infidelitatem, nõdum ad ſanguinẽ uſque peruenit: neq; mortis tormenta adhuc pro eo ſubijſtis, ſed tantum exteriorũ bonorũ rapinam, & ſimilia. Et quomodo fieri poſſet, ut tam facile tamq; leui cauſa obliuiſceremini illius paternæ cõſolatiõis atq; exhortationis: qua in ſcripturis paterna uoce admonentur filij, qui in tribulationibus probantur, hoc modo: Fili mi (inquit Sapiens) accepta libenter diſciplinam dñi, cũ patientia & gratiarũ actione, neq; deficias animo ad impatientiã aut murmuratione͂, dum ab eo ꝑ diuerſitates corriperis. Nõ enim quia te odit, ideo hoc facit. Caſtigat enim & aduerſitatibus exercet, quos diligit ex uero amore. Immo uero flagellis grauioribus exercet, quos ſibi in peculiares filios ſuſcipit. Perſeuerate itaq; cũ patiẽtia in correptionibus Dñi, quibus uox ex amore ad ueſtrum profectum exerceri permittit. Videtis hoc ex loco, quomodo uobis filijs Deus ſe patrẽ exhibet, quos ſeueritatis ſuæ diſciplina caſtigat. Nam etiã inter hoı̃es, nõ eſt pater uerus, nec patris officiũ recte agit, qui non filiũ ſuum (cũ expedire nouerit) uerbo, atque etiam uerberibus erudit. Alioqui ſi filium non corripit, pater

uere nõ eſt,ſed perditor. Itaque uos ſi abſque patris ueſtri Dei *diſciplina eſſetis,quã oẽs uere filios diximus experiri,adulterini certe & nothi eſſetis,de quibus nõ ſit ipſi cura, nõ ueri filij & dilecti.* Præterea,*carnales patres noſtros pro tẽpore adoleſcentiæ noſtræ habuimus eruditores,& caſtigatores morũ noſtrorum, & non remurmurabamus eis, etiã caſtigantibus nos & uerberantibus,neq; inobedientes eramus illis, immo multo eos afficiebamus honore & reuerentia.* Multo *ergo magis decens eſt,ut obtemperemus ſpirituum patri* Deo, *quo ſic ꝑ eius eruditionem ad uitã æternam introducamur.* Multo *enim magis hoc q̃ illud eſt rationi conſentaneum.* Illi *enim ad modicum tẽpus, donec adoleſceremus erudiebant nos, ad ea potius quæ uoluntati ſuæ erant placita,q̃ noſtræ ſaluti utilia.* Deus *autem, nunq̃ niſi ad id quod nobis uere eſt utiliſſimũ.* Nempe *ad hoc, ut apti ſimus ad ſuſcipiendum ſanctificationem eius, à qua nos proſpera ſubinde auertunt. Sanè quidẽ oĩs diſciplinaris ꝑ aduerſa correptio,ipſo quidem tẽpore donec infligitur,triſtitiam infert nõ gaudium quantũ ad ſenſum attinet.* At *ſi in ea patienter quis manſerit,fructum poſtea beatiſſimũ ueræ pacis proferet, atq; iuſtitiæ:ijs,qui ꝑ eam ita fuerint exercitati.* Propter *quod fratres mei hortor uos manus ueſtras à bene operãdo ꝑ inertiã nõ remittere,ſed magis cõfortare, itemq; genibus non diſſolui, hoc eſt,nõ deficere ꝑ impatiẽtiã,nec corruere ſub põdere tribulationũ:ſed potius ſi forte cœperint diſſolui,ꝑ faſtidiũ,ut erigãtur,ad reſumẽdũ aduerſa ſuſtinendi fortitudinẽ.* Et *ſemitas rectas(non declinando, neq; ad dexterã neq; ad ſiniſtram) uelim pedes ueſtros percurrere,ut prorſus nemo ex uobis à recto tramite deflectens,errãdo pereat.* Quin *potius uolo, ut ſiquis errare cœperit,reſumpto ſpiritu ac uiribus, ad priſtinam rectæ ſanæq; fidei curet redire ſanitatẽ.* (Studete *quantum eſt in uo-*

biſ(pacem habere cum omnibus hominibus, & puritatis ſanctam munditiam, ſine qua Deum *nemo poteſt, neq; modo p fidem, neq; in futuro p ſpeciem uidere, qui à ſolis corde mundis conſpicitur.* Hæc*(inquam)agite, nõ tantum pro ſe quiſque, uerum etiã diligenter inuicem attendentes & cõſiderantes, ſi forte aliquis omnino ex uobis, in hoc curſu deficiat, deſtituaturq; gratia* Dei*, ad ſuam infidelitatem rediens:*Ne *ſic cõmunẽ* Eccleſiæ *ueſtræ curſum, & bonum profectum cõmunitatis ueſtræ, cõtingat p aliquem impediri.* Ne *qua alicubi radix amaritudinẽ infidelitatis ſuæ ſurſum germinans, in alios quoq; eam transfundat, atq; ita p illius forſitan unius malitiam inficiãtur plurimi, quemadmodum modicum fermenti uniuerſam maſſam ſua corruptione inficit.* Conſiderantes*, ne forte ſit in uobis fornicator ullus aut prophanus, propter temporalem felicitatem à* Chriſto *ſponſo & ſanctißimis eius pollicitationibus diſcedens, quorum figuram tenet* Eſau*, qui primogenituræ dignitatem, unius eſcæ breui delectatione uendidit, rem multo dignißimã & priuilegum à* Deo *donatum ſingulare, tam uili ac tam tẽporario pretio indigne cõmutans.* Illud *enim conſiderandũ quod habet ſcriptura* Geneſis*, quoniam poſtmodum requirens accipere à patre benedictionem, quaſi ſibi debitam hæreditatem,* Deo *ita diſponente, quoniam ſe indignum fecerat, merito ab illa præcipua primogeniti benedictione fraudatus eſt.* Non *enim potuit peruenire ad talem pœnitentiam quæ illi ſemel uenditum ius reſtituiſſet, q̃q̃ etiam cum eiulatu ualido requiſiſſet eã.* Ita *timendum eſt & uobis, ſi oblatam modo tan ſacroſanctam* Dei *gratiam, ob temporales proſperitates auerſati fueritis:ne ſimiliter ab æterna dignitate irrecuperabiliter repellamini, ad quam tamen (quantum ex patribus, cũ ſitis filij* Abrahæ*) quaſi primogeniti, præcipue ius benedictionis obtinuiſtis, niſi uoſipſos* Dei

gratia reddatis indignos. Longe autem alia eſt hæc noua nouæ legis gratia, quam modo accepiſtis, q̃ illa prior uetus ueteris legis latio. Nõ enim modo acceſsiſtis ad ignem ac montem corporalem & palpabilem, ad quẽ poſsit corporali acceſſu appropinquari, & ad caliginoſum turbinem, atque procellam uentorũ, & ſonitum tubarum, quæ oĩa erant in ueteris legis latione, et ad uocem terrificam uerbis horribilibus reſonantem in terrorem populi audientis, ita ut audientes præ timore refugerẽt auditum eius, dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & nõ loquatur nobis Dñs, ne forte pereamus. Nõ enim poterant ferre terrificum ſonitum uerborum Dñi: & ad terrorem, ex præcepto Domini, etiam beſtia ſi tetigiſſet montẽ, lapidibus erat obruenda: & ita erant illic omnia terribilia, quæ uidebantur, adeo ut ipſe quoq; Moyſes in timore & tremore ſe geſſerit coràm Dño, exterritum cõturbatum & tremebundum ſe in tanta tam terribilium rerum nouitate demonſtrans. Vos aũt nouæ legis ſuſceptores, per fidem acceſsiſtis ad montem ſanctum Sion, qui eſt Chriſtus Dñs, & ad ſanctam ciuitatem ſupernam Dei uiui, Hieruſalem cœleſtem, cuius eſtis ciues inſcripti, & ad exercitus angelorum qui ſunt innumerabiles, quibus iam coniuncti eſtis, ut cõſerui mereamini dici illorum, & ad Eccleſiam ſanctam à fidei primoribus ſanctis Apoſtolis fundatam, & ex cæteris ad fidei gratiam electis cõſtitutam, qui ſuſceperũt intra ſe ſpiritus primitias, quorum noĩa ſcripta ſunt in cœlis, ad quos ſunt ab initio prædeſtinati, & ad Deũ iudicem oĩum, cui p̃ fidẽ facti eſtis propè qui eratis longe: & ad ſpiritus eorũ qui in iuſtitia perfectam duxerunt uitam, cum quibus eandem expectatis gloriam: & ad ipſum Dei filium Dñm Ieſum, p̃ quẽ nouum teſtamentũ accepimus, atque ad ſanguinem eius, ut eo aſpergamini, eiusq; efficiamini participes, qui ſanguis multo melius loquitur ad

Deum, quàm ſanguis Abel, quoniam hic uindictam clamare legitur, ille autem miſericordiam & propitiationē pro omnibus qui fuerint eo aſperſi. Videte fratres ne Deum loquentem uobis p filium ſuū de cœlo miſſum, repellatis, per infidelitatis inobedientiam, Si enim in ueteri lege nō euaſerunt impuniti, qui inobedientes extiterunt Moyſi, ſuper terrram eis loquenti & præcipienti ex ore Dñi, aut qui inobedientes extiterunt Deo aut angelis ſuper terram corporalibus uocibus & ſignis legem ferentibus: multo magis nō euademus impuniti nos Chriſtifideles, ſi Deum patrem qui nobis modo per filium ſuum de cœlis demiſſum, atque ipſum etiā Chriſtum, qui nobis poſt aſcenſionem per miſſum cœlitus ſpiritum ſanctum ſuū eſt locutus, auerſati fuerimus p infidelitatē noſtrā. Cuius Dei uox, tunc quidem cum legem ferret ueterem, ſemel cōmouit terram, & fecit eam tremere, cōturbauitq; eam. Quantū uero ad hoc tēpus uenturū, promittit apud prophetam dicens: Veniet tēpus quod à me ordinatum eſt, quādo nō ſolum terram, ſed etiam cœlum ipſum cōmouebo. Quòd ſine dubio impletū eſt, nouæ legis tpe, quando cœli aperti ſunt, & omnia tā cœleſtia q̄ terreſtria in ſanguine Chriſti reſtaurata. Quod aūt dicitur adhuc ſemel: uidetur aliud tempus deſignare, quo transferēda erunt mobilia omnia, tanq̄ temporaria & ſuo tēpore mutanda, ut his ſublatis, ſuccedant quæ ſunt immobilia permanſura, & nō ad ullam mutationem facta. Quēadmodum (uerbi gratia) nouæ legis tpe, cūcta ueteris legis tēporalia ſacramenta, cæremoniæ, atq; iudicia, in perpetuo manſura nouæ gratiæ myſteria cōmutata ſunt: & ſuo tpe oīum generabiliū & corruptibiliū fiet abſumptio, ut ſola illa permaneant quæ ſunt in æternum permanſura. Nos itaque iuxta quod offertur nobis, immutabile illud & æternum regnū cum omni gratiarū actione per fidem ſuſcipientes, cōtendamus

Deo gratam ducere uitam, ut illi ſimus grati, eiusq; gratiam accipiamus ampliorẽ, per quã ita ſeruiamus ut placere ualeamus Deo, *cum filiali metu & omni reuerentia. Scientes quoniã* Deus *noſter cui ſeruimus, ipſe terribilis eſt, & uelut ignis conſumens aduerſarios, potens ad ultionem omnium qui modo non timent nomen eius.*

CAPVT XIII.

In charitate fraterna perſeuerate, & hoſpitalitatis, ac miſericordiæ cætera opera ne intermittatis. Per hanc enim ueteris teſtamenti patres nonnulli Deo *placuerunt, hoſpitio recipientes angelos, quos homines eſſe exiſtimabant, memores eſtote, ad exhibendã miſericordiam, eorum qui pro Chriſti nomine uincti ſunt, quaſi & ipſi cum eis pariter uincti eſſetis, & eorum qui pro Chriſti noĩe mala patiuntur, tanq̃ qui ſimul etiã in corpore adhuc miſero cõmemoramini, ſciẽtes etiã uobis eadẽ poſſe obtingere, in quibus illi affliguntur.* Per *oĩa prorſus honorabile & ſanctum eſt coniugium legitimũ: & thorus eorũ qui uero ſunt ad inuicẽ coniugio copulati eſt ſine macula peccati, ubi cõiugali modo ſibijnuicẽ fuerint ſociati.* Fornicatores *uero qui extra coniugum legitimũ ſibijnuicẽ copulantur, & adulteros qui ſuis coniugibus abiectis alijs cõmiſcentur,* Deus *ſupplicijs æternis condẽnabit.* Vita *ueſtra, oĩs auaritiæ ſit expers, & cõtenti eſtote ijs quæ dñs dederit, ſine ſuperflua accumulandi ſolicitudine.* Nec *enim eſt qd' ſuperfluis curis diſtringamur: quoniã* Deus *ipſe eſt, qui dixit ad* Ioſue *& ad ſingulos iuſtorum.* Non, *inquit, te deſerã, neq; aliquãdo derelinquam, ſed adero tibi ſemper in oĩbus neceſſitatibus tuis bonus prouiſor: Ita ut audacter nobis liceat dicere, quod in* Pſalmo *loquitur* Dauid; Dñm *ſi habuero adiutorem, non timeo quid mihi poſſit inferre aduerſi, quæcunq; uirtus inferior.* Præfectos *uobis ad memoriam ſedu-*

lo reuocate, qui prædicauerũt uobis Euangeliũ Chriſti: quorũ ego uos hortor imitari fidem, diligenter cõſiderato exitu conuerſationis eorũ, ut illorũ quã in finẽ uſque tenuerunt perſeuerantiã imitemini. Ieſus Chriſtus ab initio erat, qui modo eſt, & erit quoq; in ſecula. Ecce hoc eſt fundamentum ſynceræ omnis fidelisq; doctrinæ. Doctrinis aũt uarijs quæ pro diuerſitate authorum diuerſæ cõfinguntur, nõ cõſentientibus cũ unitate catholicæ fidei, & quæ à ueritate ſunt extraneæ, nolite abduci à fidei ſemel ſuſceptæ rectitudine. Multo enim præſtantius eſt & ſalubrius, ut cordis noſtri fiduciã cõfirmemus et cõſtabiliamus in gratia Dei, ꝑ quã ueram iuſtificationẽ & redemptionẽ conſecuti ſumus, q̃ in eſcarũ legalibus obſeruantijs, quæ non potuerunt ſuos obſeruatores iuſtos facere, apud Deum. Nos Chriſtiani altare habemus ſpirituale & uerũ (cuius uetus altare figura erat) Chriſtum Dominũ, de quo manducandi ius nõ habent, id eſt, in quo partem nõ habent Leuitæ ueteris tabernaculi miniſtri: ſed qui in Chriſtum credunt quilibet fideles. Cõſiderate autem, ꝙ in ueteri obſeruatione, illorũ aĩaliũ carnes extra caſtra cremabantur, quorũ ſanguis erat per pontificem inferendus in feſto expiationis intra ſancta ſanctorum, pro peccatis populi. Secundũ quã figuram, ad eius impletionẽ, Chriſtus oĩum figurarum finis & ueritas, ut per ſuũ ſanguinẽ patri oblatum ſanctificaret populum ſuum à peccatis, extra portam pati uoluit. Quæ res (ſi ad mores eam trahamus) hortatur nos poſt Chriſtum extra huius mundi caſtra exire, ad ignominiam & paupertatem crucis uoluntarie amplexandam. Nõ enim hoc in mũdo permanſuram manſionẽ quiſquam hoĩum habet, ſed ſtabilẽ manſionẽ in futuro ſeculo expectamus. Per ipſum ergo Chriſtum per quem nobis proceſſerunt oĩa gratiæ bona, de quibus hactenus diximus, Deo patri laudẽ offeramus, ꝑ acceptiſſimis

hoſtijs, uidelicet fidei fructum bonum Deo confitendo, & gra tias agẽdo p labia noſtra. A beneſaciendo uero indigẽtibus, & miſericordiæ operibus miſeris cõicãdo ne deſiſtatis. Neq; enim ullis hoſtijs ita Deum nobis promereri poſſumus, ut p huiuſmodi miſericordiæ opa, neq; ſacrificium aliud ei gratius poteſt offerri. Obedite ijs qui uobis ſunt præpoſiti, & uoluntarie ſub iecti eſtote illis, ex aĩo quoniã ipſi attẽtiſsime uobis inuigilant, pro ueſtra ſalute tanq̃ qui ſint corãm iuſto iudice p animabus ueſtris rationem redditur. Iccirco iuſtum eſt uos illis benigne ſubiectos eſſe, ut tantum ſibi impoſitum onus gaudẽter ferant, cũ uos uiderint ad obediendum aĩo promptos & nõ cum dolo ribus atq; ſuſpirijs: quod ſolet fieri, cũ recta ſibi præcipiẽtibus uiderint nõ obtemperari. Nequaquã enim uobis hoc expedit, ut illorũ onus p ſe alioqui grauiſsimũ ueſtra inobedientia amplius aggrauetis. Fratres orate pro nobis. Speramus enim corãm Deo nos bona eſſe uoluntate, cupientes in oĩbus recte ſecũdum ueritatem Euangelij ſine offenſione cõuerſari, q̃q̃ ſunt qui forſitan mihi detrahentes, falsò me ut legis inimicum apud uos deferant. Atq; eo magis hoc obſecro, ut quãtocyus ſecũdũ Dei uoluntatẽ, iuxta propoſitum, poſsim uenire ad uos. Deus autẽ pacis qui ſuſcitauit ex morte Ieſum paſtorem ſummũ fidelium ouiũ, per ſanguinẽ teſtamenti noui & æterni, uos perficiat in omni bono, ut ſemper eius impleatis in oĩbus uoluntatẽ: faciẽs de uobis quicquid fuerit placitum ante cõſpectũ ſuũ per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Rogo aũt uos fratres, ne ægre tuleritis epiſtolam hanc, quam ad ſolatium ueſtrum cõſcripſi: & quidẽ breuibus, quantum ad effectus mei erga uos magnitudinẽ, & materiæ multitudinem. Scire uos uo lo Timotheum fratrem noſtrum modo dimiſſum, hactenus detentum ſiue impeditum, quo minus uenire potuerit. Cum quo,

ſi celerius uenerit, ut expecto, ſpero me quantocyus uenturum ad uos. Salutate omnes præpoſitos ueſtros, & uniuerſos fideles: Salutant uos fratres qui ſunt de Italia nobiſcum. Gratia cum omnibus uobis. Amen.

Finit Elucidatio in Epiſtolam ad Hebræos beati Pauli Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM in Epiſtolan Canonicam beati Iacobi Apoſtoli.

Ad eos qui ex Iudæis crediderant, ob perſecutionis rabiẽ & Chriſti nominis prædicationem ꝑ diuerſa loca diſperſos, beatus Iacobus Apoſtolus, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, cõſolatoriã & moralẽ hanc ſcribit epiſtolã. In qua poſt ſalutationẽ, ſtatim eos ad gaudẽdũ in tribulationibus, patientiã exercitantibus & fidei probationẽ operantibus inducit. Dehinc ueræ ſapientiæ indignos, unde et quomodo poſtulare debeant: edocet: nimirum à Deo, & confidenter abſq; hæſitationis diffidentia. Gloriari quoq; & gaudere uult etiã abiectos Chriſtianorũ, in ſuperuentura glorificatione ſua, diuitibus in ſeculari gloria (in modum uaporis mox diſparitura) prohibens gloriari. Patientes aũt in tribulationibus beatos prædicat, & coronandos pro ſua ſuſtinẽtia affirmat. Deinde nequis in Deũ (ut ferè ſolẽt carnales hoĩes) peccatũ ſuũ referat quaſi ipſe quenquam peccare cogat aut inuitet, prohibet, diligenter demonſtrans, quomodo peccati tam initium q̃ cõſummatio à noſtri eſt ſenſualis affectus corruptione, qui primo à bono nos abſtrahens, niſi mox fuerit ſuppreſſa eius mala ſuggeſtio, ut nõ pariat mortẽ, cõtinuo generat. Oĩs aũt boni qđ ĩ nobis eſt cãm et primordialẽ originẽ eẽ, Deũ patrẽ luminũ, nulli mutationi ſubiectũ: qui nos ſingulariſſimo beneficio, per uerbũ ſuũ uoluntarie et creauit & recrea-

uit, in gloriam ſuam. Poſt hoc moraliter loquens, loquacitatē et iram deteſtatus, magis auditionem bonam ſuadet, & manſuetudinē, in qua ſancti euangelij uerbū fructificet: & ut magis uerbi factores q̃ auditores ſeſe exhibere ſtudeant, eum qui tantum audit & nō operatur cōparans cū eo qui ſe in ſpeculo tantum cōtemplatur, nihil ad emūdationem faciens macularū. Atq; in fine, ad religionē ueram neceſſariam eſſe linguæ refrænationē docet, & in quo ſit uera religio demōſtrat. Atq; hæc quidē capitulo primo. In ſecūdo autē, cōtra perſonarū acceptionē, diuitumq; ſolorum cū pauperum contemptu nimiam & ſecularem honorationē, prolixius agit & feruenter: nolens in hoc mundo cōtemni pauperes, quos in ſua uocatione & ſalute Deus habet præcipuos: Cū econtrario diuites & potētes potißimum ſint hi, qui perſecutionem fidelibus inferunt, et ſimpliciores opprimunt. Docet aūt unius præcepti tranſgreßione legis obſeruationem infringi, & cū unus ſit qui oīa ſimul dedit præcepta, qui in uno aliquo offendit, modo quodam in oībus reum fieri. Propter quod nunc eos monet, ſecundum legem libertatis, ſecundum quam erunt iudicandi, uitam inſtituere, & ante oīa miſericordiam facere, ut queant in iudicio nouißimo miſericordiā inuenire, quæ illis tunc negabitur, qui nunc immiſericordes fuerint pauperū cōtemptores. Et nequis de mortua fide ſibi blandiatur, declarat fidē ſine operibus ad ſalutē non proficere: idq; ſimilitudine ex pauperum indigentia ſolo uerbo nō reuelata ratione ex dæmonum fide ad ſalutem inualida et exēplo Abrahæ filiū ſuū ſecundū animi promptitudinē offerentis, ac Raab meretricis, pp fidē Dei exploratores Ioſue abſcōdentis. Capite uero. 3. ambitionē ad magiſteria pp periculū grauioris iudicij deteſtatus, ad id quod prius cœperat de lingua refrænanda reuertitur, & multa quidē de linguæ domatione, per uarias rerū na

turalium cõparationes, tam in bonũ de bene domita, q̃ in malũ de male domita, late diſſerit. In fine aũt, ueram ſapiẽtiam ex bona & diſciplinata cõuerſatione à falſa diſcernit, duplicẽ ſapientiam cœleſtem & terrenam, ex aduerſo diſtinguens, & cõtrarijs conditionibus deſcribens. Quarto dehinc capitulo, poſt litium & pugnarum radicem ex cõcupiſcẽtia mala deſcriptam, à ſeculi huius amore & amicitia dehortatur. Magis autem ut cum Deo *amicitiam ineant ſuperbia ſeculi relicta, eos monet p̃ humilitatem* Deo *ſubditos fieri, ac pœnitentiam agendo ei appropinquare, detractiones damnans, & uana iudicia: ſimul & prauam illam loquendi conſuetudinem corrigens, qua plurimi de futuris loquuntur euentibus ſic definite, quaſi in manu ſua habeant temporum momenta, cum ex* Dei *placito omnia pendeant: propter quod in loquendo de ijs quæ in futurum proponimus, adijciendam conſulit moderatiuam particulam, ſi* Dominus *uoluerit, aut ſimilem aliquam.* Vltimo *autem capitulo, aduerſus diuites ſeculi in auaritia detinentes unde ſuſtentandi erant pauperes, & aduerſus iniuſtos mercenariorum ſuorum fraudatores, cum terrore exclamat: eos uero qui patiuntur, patientes eſſe monet uſque in aduentum* Domini, *agricolæ exemplo, & non aduerſus ſuos oppreſſores cũ amaritudine & odio ingemiſcere: exempla* Prophetarum, *& nominatim beati* Iob, *eis ad conſolationem proponens.* Poſt *quæ, a iuramento fideles dehortans, infirmis ſanctam preſbyterorum unctionem ordinans, & mutuam peccatorum confeſſionem præſcribens, & ad orandum pro inuicem exhortans, orationisq́; uirtutem & efficaciam per* Heliam *deſcribens, fructumq́; reducentium errantes ad uiam rectam aperiens, ita terminat plenam ſanctis eruditionibus* Catholicam *ſuam epiſtolam.*

Finit Argumentum.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM CAnonicam beati Iacobi Apoſtoli.

CAPVT PRIMVM.

IAcobus ſeruus Dei patris & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſcribit ſalutemq; dicit conuerſis ex duodecim tribubus Iſrael, qui ſunt ob perſequentiũ rabiem per uaria loca diſperſi. Pro ſummo & uero gaudio ducite fratres, uarijs affligi tribulationibus, quæ ad probationẽ deo diſponente ac permittente uobis adueniunt. Cõſiderãtes diligenter quod iſta per aduerſa fidei ueſtræ probatio, exercitat uos ad patientiam. Patiẽtiam uero nemo parui æſtimet, quoniam ipſa perfectũ habet uirtutis opus, & totam uirtutum ſtructuram cõſummat, perficit, atq; conſeruat. Ita ut per hanc perfecti ſitis futuri & integri, in nullo bono indigentiam paſſuri. Quòd ſiquis eſt ex uobis, cui ut ſapientiæ indigo nõ ſapiunt iſta quæ Dei ſunt, poſtulet à Deo intelligentiam & ſapiẽtiam: qui oĩbus recte petentibus, ſine auaritia dat copioſe & liberaliter, neq; hoĩum more poſt donationẽ improperat, & dabitur ei quantũ opus erit. Vt aũt ſuæ petitionis cõſequatur effectum, illud uideat ut in fide poſtulet nihil addubitans. Qui enim hæſitans orat Dñm, pp inſtabilitatem ſpei ſuæ cõparandus uenit fluctui maris, qui ab omni uento nunc huc nunc illuc ſine ordine agitatur. Talis igitur cũ ſit ille qui diffidẽter petit, nõ eſt qd' ſperet quicquam à Deo tali poſtulatione cõſequi. Quiſquis nõ eſt in uno fixus animi propoſito, cuiuſmodi eſt ꝗ ſe duobus dominis putat poſſe ſeruire, inconſtans eſt & inſtabilis in oĩbus operibus ſuis. Gaudeant uero & glorientur pauperes, & deſpectiores qui ſunt Chriſtiani, in conſideratione ſublimitatis ſuæ, in qua exaltabuntur in futura uita æterna: ut non

propter ſuæ humilitatis abiectionem deijciantur animo, ſed fu turorum cõſideratione bonorum, magis in ſpe uentura erigant aĩum. Diuites aũt qui nunc florent quantũ ad ſeculum, ita glorientur & gaudeant, ut ſemper quæ ſunt humilitatis & infirmitatis ſuæ magis cõſiderent, ut nõ nimiũ exaltentur in ſemetipſis. Vere enim uilis res eſt oĩs gloria diuitum. Nam ſicut flos graminis nõ diu ſubſiſtit, ita tranſibit diuitiarum iſta tẽporalis gloria. Statim ubi ſol cœperit æſtuare, areſaciet gramẽ & flos pariter marcidus decidet, & omnis decor aſpectus illius ſubito deperibit, ita & diuitis floridus qui uidetur ornatus, breui deperibit. Beatus eſt qui perſecutiones & aduerſitates quæ ad tentationem à Deo ſuper bonos permittuntur, ſuſtinet cum patientia: quoniam ꝑ patientiam ſic bene probatus, accipiet mercedem æternæ beatitudinis, quam promiſit Deus dare ſuo tẽpore oĩbus qui modo in ueritate diligunt eum. Nemo aũt cum ad malum ſolicitatur, dicat ſe à Deo ad malum inclinari aut ſolicitari: Deus enim neſcit ad malum tentare, quẽadmodum neque tentari. Ipſe enim neminem ad malũ ſolicitat. Vnuſquiſq; enim inclinatur ad peccatum à proprio corrupto ſenſuali appetitu ꝑ quẽ abſtrahitur à recto aĩus, & allicitur ad illicita carnis deſideria. Atq; hoc quidẽ eſt peccati primũ ſeminariũ. Deinde cõcupiſcentia iſta cũ ſic cõceperit, ita ut incipiat immorari nimiũ & delectari in propoſito, producit iam peccatum. Quod cum fuerit ꝑ plenũ cõſenſum aut etian opere cõſummatum, mortis æternæ inducit obligationem, & aĩam uera ſpiritus uita priuat, etiam in hoc ſeculo. Nolite itaque errare chariſſimi fratres mei, ne in Deum refratis peccatorũ ueſtrorũ malitiam: ſed tantum in uoſipſos, qui eſtis totius malitiæ authores, ꝑ cõcupiſcentiam quæ in uobis habitat corrupta, quẽadmodum econtrario Deus oĩs boni author eſt, nõ hoĩes. Omne enim datum uere bo

nium, & omne perfectum donum non à uobis eſt, ſed deſuper uenit à largitore oĩum, patre cœleſtium luminũ, ſiue incorporeorum, ſiue corporalium. Apud quem nõ eſt ulla de forma in formam tranſmutatio, neque uiciſsitudinaria ulla ſecundũ uaria accidentia obumbratio. Ipſe autẽ nos penitus libere nullo coactus noſtrorum operũ merito, neq; ulla neceſsitate obſtrictus, nos regenerauit per ſemen incorruptibile uerbũ ueritatis, quos prius in natura per ſemen corporale fecerat. Iccirco (inquam) uoluntarie nos ſic genuit, ut eſſemus nos uelut primitiæ & præcipua aliqua pars totius creaturæ ſuæ, cũ angelica natura ſortẽ & locum accipiẽtes dignitatis gloriæ eius. Iſta fratres mei uos ſatis ſcire arbitror & intelligere. Hortor autem charitatem'ue ſtram, ut ad audiendum ſanæ fidei cõſonan doctrinam ueloces ſemper parati ſitis: non faciles autẽ neq; præcipites ad temere loquẽdũ, etiam quæ bona uidentur, neq; prompti ad iraſcendũ. Ira enim uiri præter aut contra rationis iudicium, iuſtitiam ueram impedit atq; perturbat. Quapropter abiecta omni ĩmunditia, tam in uerbo q̃ in cogitatione, & abundantia malitiæ cuiuslibet, ſuſcipite in manſuetudine ſpiritus, uerbũ ſancti Euangelij, quod per prædicationẽ implantatur & inſeritur animabus ueſtris, quod ipſas poteſt facere à peccato ſaluas, ad æternã uitam ſi diligẽter auditũ cuſtodieritis. Illud uero poſt acceptam Euangelij prædicationẽ uidendum eſt, ut nõ ſitis Euangelij tan tum auditores, ſine opatione, ſed magis factores eius eẽ ſtudeatis in opere, ne fallatis uoſmetipſos. Decipiunt enim ſeipſos, qui de ſolo uerbi auditu & mortua fide ſibi placentes, putant hæc ad ſalutẽ ſufficere, cũ requiratur etiam cum fide bona operatio. Quia quiſquis auditor tantũ eſt uerbi non factor, merito cõparandus uenit homini qui faciẽ ſuam naturalẽ in ſpeculo cõ templatur tantum, nihil agens amplius ad emundationem ma-

cularum quas in ſpeculo cōſiderauerat. Statim enim ille ut cōſiderauit, abijt, nihil amplius agens: & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit, qualemq́; ſe uiderit. Sic & homini qui uerbum audit, ſed ad componendos mores non accommodat, nihil proficit uerbum tantum conſpexiſſe uel audiſſe. Qui autem diligenter inſpexerit in legem perfectam, perfectæ ueræq; libertatis: ita ut opere ipſam impleat, non ſurda aure obliuioſus auditor prætereat, hic non auditu, ſed in ipſa præcepti obſeruatione ꝑ operationē bonā, beatus erit. Quiſquis aūt religioſum ſe arbitratur ac ſanctum Dei *cultorē, ſi negligat linguam ab ocioſis atq; malis frænare ſermonibus: ſciat ille, nō ueram eſſe neq; fructuoſam huiuſmodi religionem, quæ id quod primū eſſe debet, negligit. Verus aūt* Dei *cultus qui mundū & immaculatū efficit hoīem coràm* Deo *patre eſt, in uiſitando deſolatos, & eos qui ſunt ſine humano patrocinio (cuiuſmodi ſunt uiduæ & pupilli) in tribulationibus, aut egeſtate conſtitutos, & cæterorū miſericordiæ operū exhibitione, & à mundi cōcupiſcentijs ſemetipſum cuſtodiēdo īmaculatū, ideſt, et ſi proximo miſericorditer qs ſubueniat, & ſeipſum à peccatis ſeruet immunē,*

CAPVT II.

F*rates mei, nolite ī uobis ſimul cū fide dñi noſtri* I*eſu Chriſti, dñi, inquam, æternæ gloriæ admittere uitiū acceptionis perſonarū.* V*erbi gratia, ne diuitem ꝑꝑ diuitias ſolas plus iuſto honoretis, aut pauperē ꝑꝑ inopiam deſpiciatis. Etenim ſi uobis cōgregatis, ingrediatur uir aliquis annulos aureos geſtans in manibus, ueſtem indutus pretioſam & ſplēdidā: introgrediatur etiā pauper in ueſte uili & minime pretioſa. Iſtis aūt ſic ingrediētibus, cœperitis oculos conijcere in illū diuitem præclara ueſte indutum, & pro ſolis diuitijs illi exhibentes indignū honorē, dixeritis ei:* T*u ſede hic honeſtiori loco:* P*auperi autem dixeritis,*

Tu ſta illic in abiecto loco, aut ſede ſub ſcabello pedum noſtro=rũ, pp inopiam ſic pauperem deſpicientes. Hæc, inquam, *ſi egeritis, nónne hoc ipſo iudicatis, iniquas cógitationes et iniquum iudicium ueſtro inſidere aio?* Attendite fratres mei chariſſimi *diligentius, quoniã nõ ita fieri cõuenit, ut diuites diuitiarũ ſua=rum & ſuperbiæ ſuæ reſpectu ita nimiũ honorentur, cõtẽptis ob inopiã pauperibus.* Nequaquã *deſpiciendi ſunt ab hoĩbus, quos* Deus *adeo nõ deſpicit, ut etiam ſuæ uocationis & electionis partes potiores eis cõcedat.* Nónne *uidetis, quẽadmodum* Deus *maxima ex parte pauperes elegit in hoc ſeculo: ut ſicut tẽporalibus bonis ſunt pauperes in hoc mundo, ita ſpiritualibus diuites fiant p fidẽ, & ſpe hæredes regni æterni, quod promiſit* Deus *oĩbus diligẽtibus ſe?* Vos *aũt ecõtrario ſi ut prædictũ eſt ſeceritis, pauperes ob ſuã paupertatẽ inhonoratis, quos tamen* Deus *diuitibus huius ſeculi uidetur præponere, in ſua uocatione.* Atq; *ita qui prædicto modo agerent, diuino cõſilio uidẽtur cõtraire.* Rurſum, *nóne uidetis quotidiana experientia qui opprimunt Chriſtianos p potentiã & uim inſerunt eiſdẽ pertrahentes eos ad tribunalia, ſiue pro Chriſti cõfeßione, ſiue p alias fraudes ſuas, diuites eſſe & potentes huius ſeculi?* Nónne *ipſi ſunt qui maledicunt et perſequuntur ſanctũ nomen Chriſti, qđ uos inuocatis, & in cuius inuocatione p baptiſmũ ſanctificati eſtis?* Equidem *nõ prohibeo iuxta mandatũ dñi illud uniuerſale & regiũ, quod ab oĩbus oportet obſeruari:* Diliges *proximũ tuũ ſicut teipſum, etiã diuites diligi huius ſeculi: immo ſi ſic eos p charitatẽ diligitis, in hoc benefacitis, mandatũ* Dei *implẽtes.* Si *aũt nõ ſecũdũ illius præcepti exigentiã agitis, ſed ſecundum perſonarũ acceptionem pp diuitias: peccatũ operamini, conuicti p legem quaſi trãſgreſſores, cũ hoc facitis quod illa prohibet.* Et *ne forſitan uobis blãdiamini, parum eſſe in uno iſto deficere,*

ficere,modo non peccetur in cæteris,conſiderandum uobis eſt quod quicunq; in uno aliquo pcõ offendit ĩ legẽ, unica illa præuaricatione factus eſt oĩum reus. Hoc eſt:*ita præmio obſeruantibus legẽ deputato priuatus & indignus, quaſi nullũ obſeruaſſet ex oĩbus legis præceptis.* Idẽ enim eſt Deus,*qui oĩa & ſingula dedit præcepta legis,& ſimul oĩum exigit atq; ſingulorũ obſeruationẽ,ab ijs qui mercedẽ uitæ quærunt.* Idẽ *eſt q præcepit nõ mœchari et nõ occidere, pp qđ ſi occideritis etiã ſi mœchatus nõ fueris,tranſgreſſor es totius legis,q̃ in uno eſt cõcatenata:Ita ut quiſquis præuaricatus fuerit partẽ aliquã legis totam cenſeatur tranſgreſſus,nec ſtatutũ præmiũ merebitur accipere. Sic uos loqui cõuenit & oĩa agere,tanq̃ qui p nouã* Euãgelij *& uere libertatis legẽ,& modo in cõſcientia,& in futuro ſitis in publico iudicio iudicandi.* Iudiciũ *enim dãnationis ſine miſericordia ſaluante,aduerſus illũ,pfretur, qui dum uiueret,caruit erga miſeros affectu miſericordiæ, ſolos honorando diuites,pauperibus ob inopiam deſpectis.* In *illis uero qui fecerunt miſericordiã dum uiuerent,ſuperuincit miſericordia iudicium,longeq; ſuperat & præponderat, ut ſecũdũ miſericordiã ſaluentur & nõ p iudicij ſeueritatẽ cõdemnentur, quoniam & ipſi fecerunt miſericordiã.* Profecto *ſaluare non poteſt quenq̃, qđ ſe ſolo uerbo fidelẽ iactitat,niſi eandẽ fidẽ operibus efficaciter cõprobet.* Nunqd *ſola illa operibus uacua fides,ſaluare poterit habentem?* Nequaq̃. Quo *modo enim neceßitatẽ patientibus nihil proſunt uerba,niſi opere exhibeas charitatẽ:* Exẽpli *gratia,ſi pauperibus* Chriſtianis,*ſiue uictu, ſiue ueſtitu carentibus,dicat qs.* Ite *in pace,bene ſit uobis.* Caleſiatis *& reficiamini,& habeatis q̃ ſunt neceſſaria, nõ exhibẽdo in opẽ, quod lingua dr.* Ita *etiã fides ſola,niſi adſint opa,ad ſalutẽ,pdeſſe nõ ualet,& mortua reputatur atq; inualida,* Deniq; *huiuſmodi ſo*

la fide glorianti, merito dicere poteſt aliquis operum laudator. Tu qdē fidē te hr̄e dicis, cū nō adſint opera. Ego aūt opera habeo, & ex ipſis quidē operibus ego tibi potens ſum demōſtrare etiā fidē meam. Tu aūt cū op̄a nō habeas, fidē tuā demōſtrare nō potes. Neq; fidē tibi iactanti fides habebitur, niſi p̄ op̄a, fidei tuæ ꝓbaueris teſtimoniū. Et ꝑfecto nihil eſt magnū mortua fide credere. Nā tu credis, quod unus eſt oīpotens Deus, recte quidē credis: ſed hoc tibi cū dæmonibus cōmune eſt, qui & ipſi nō credunt modo, ſed etiā timent ac tremunt eius potentiā. Vis aūt aperte ex ſcripturarū exēplis diſcere, ô homo q inaniter in mortua ſola fide gloriaris, quòd inſufficiens ſit ad ſalutē, fides abſq; operibus? Abraham ſumamus in exēplū, qui nō ex ſola fide, ſed ex ea ſimul cum operibus iuſtus prædicatus eſt in ſcripturis, in eo ꝙ prompta aī uoluntate ſe dedit ad obediendū & opere implendū mandatū dn̄i, ut īmolaret filiū ſuum Iſaac. Qui ſi uocē dn̄i opere renuiſſet implere, nunq̄ ex mortua ſua fide in ſcriptura iuſtus diceretur. In hoc exēplo clarum eſt uidere, quoniā fides ſimul cū operibus effecerunt, ut perfecte iuſtus nominaretur & eſſet p̄maneretq; in finem. Et hoc ipſo qd' hic operibus iuſtificatio attribuitur, ſuppleta ē ſcriptura illa prior, quæ uidetur de ſola fide mentionē facere, qua dicitur Abraham Deo credidiſſe, reputatūq; fuiſſe illi ad iuſtitiā, & ex hoc fuiſſe Dei amicū appellatū. Clarum itaq; relinquitur, quoniā nō iuſtificatur homo ex mortua ſola fide ſine operibus, ſed ex fide cū operibus. Quod etiā cōfirmat Raab illa meretrix, quæ ex operibus tanq̄ iuſta cōmendatur in ſcriptura, in eo ꝙ p̄ fidē quā erga Deum habebat exploratores à populo Dei miſſos ſuſcepit hoſpitio, & protexit benigne, ac dimiſit p̄ murum in propria. Quēadmodum enim ſine ſpiritu corpus non uiuit, ſed cadauer tantum eſt inutile. Ita ſola fides cui deſunt opera mortua eſt, qa

uitam in ſe oĩum uirtutum charitatẽ, nõ habet. Charitas enim opera hr̃e debet, oblata occaſione & tp̃is opportunitate, aut excidit et perit, ſine qua oĩs alia uirtus mortuũ tãtũ cadauer ẽ.

CAPVT TERTIVM.

Nolite fratres mei paßim ad magiſteria aſpirare, neq; docẽdi alios munus intẽpeſtiue affectare: ſcientes quoniã maius uobis ipſis iudicium ſuperinducitis, ſi in tali gradu altitudinis minus recte uixeritis. Res enim grandis eſt, doctorẽ eſſe in populo Dei, & quæ nõ cuilibet paßim cõueniat neq; niſi à magnæ ſanctitatis, & perfectionis hoĩbus adminiſtrari digne poteſt. Primũ enim nemo eſt oĩum, etiã perfectorũ, qui nõ frequẽter labatur in plurimis. Specialiter uero in uerbo p̃ linguã nõ offendere, tãtæ eſt artis, & res tã difficilis, ut pfectum illũ p̃nunciare audeam, cui cõtigerit ita linguã ſuã domitam frænatamq; hr̃e, ut nec in uerbo qdẽ offendat aliqñ. Vtpote, qui domita lingua poßit etiã cætera corporis uniuerſa mẽbra, facile cõtinẽtiæ fræno coercere. Nã qui potuit qd' eſt oĩum difficillimũ, poterit etiã quæ ſunt faciliora. Atq; id experiẽtia quoq; in brutis uidemus aĩantibus. Quẽadmodũ equis, ut obediẽtes fiant ſuis ſeßoribus, fræna mittuntur nõ niſi in os, atq; ita totũ deinde corpus p̃ ſuo arbitrio circumagitant ſeßores. Sic & homini q uelit oĩa corporis mẽbra ſubiugata hr̃e rõni, prima cura eſſe debet, ut os & linguã refrænet. Rurſum uidemus naues magnas & amplißimas, ualidis uentis agitatas, à gubernaculo (qd' paruulũ eſt totius nauis cõparatione) circumferri & dirigi in curſibus ſuis, quocunq; director impetum fecerit, & ſecundũ qd' ipſe diſponere ac mouere uoluerit. Ita & lingua paruũ qdẽ eſt quantitate mẽbrum, ſed magna iactat, & agit miranda. Iterum uidere eſt, modicum & paruulũ ſubinde igniculũ totam aliquã incendere ſyluã, & maximã inflãmare materiã. Et huic igni merito lingua cõpara

*tur,quæ uniuerſum iniquitatis incēdium potens eſt exuſsitare,
quæ cōſtituitur inter reliqua hoīs mēbra in corpore & macu=
lare poteſt totum corpus, ꝓpterea qd' ex ipſa ſoleant oriri oīs
generis mala, & totum uitæ naturalis curſum inflammat, atq;
perire facit, ipſa à gehēnæ inhabitore dæmonio, aut peſsima
cōcupiſcētia prior inflāmata.* Et *qdē uniuerſæ penè ſpecies be=
ſtiarum, ferarū, & uolucrū, & ſerpētum, & cæterorū aquati=
lium domātur, ſubiuganturq́; quotidie, atq; etiā olim ex multo
tꝑe domita extiterunt.* Linguam *aūt perpauci ſunt qui domare
queant.* Malum *eſt petulans & inquietum, qd' coerceri mini=
me ualeat, plenū ueneno detractionis, blaſphemiæ, et ſimilium,
aīæ plus q̄ mortifero.* Per *ipſam nos benedicimus* Deum *oran=
tès & pſallentes, & aliàs ī ipſa maledicimus hoīes ꝓximos no
ſtros, ad imaginē* Dei *creatos: & ꝑ os hoīs procedit nunc bene
dictio, nūc maledictū atq; cōuitiū, qd' nequaq̄ licet, aut cōgruū
eſt.* Quēadmodū *enim īpoſsibile eſt, ut idē fons ex eodē forami
ne emittat dulcē aquā, ſimul et amarā.* (Nā *ubi cœperint cōmi
ſceri, tota erit amara) ſic nō debet ſimul ex eodē ore & benedi
ctio et maledictio ꝓcedere.* Nā *maledictio, ſua amaritudine etiā
bn̄dictionē inficit, & inſipidā ingratāq; reddit.* Neq; *ficus ali=
qn̄ uuas gignit, neq; uitis ficus: et nō niſi unius ſpeciei fructus,
ſingulæ ꝓducunt arborum ſpecies.* Nullus *itē fons ſalſus, aquā
dulcē emittit.* Ita *etiam ꝑ os nō debet niſi naturalis bonus fru=
ctus, hoc eſt, non niſi benedictio & ſermo bonus, ꝓcedere. Si
quis inter uos eſt aut haberi uult ſapiens, & ſcientia ac iudicio
ualens, nō ſtatim aſpiret ad cathedrā: ſed oſtēdat primū atq; cō
probet ex bona cōuerſatiōe, qd habeat uirtutis in operādo ea,
q̄ ſe ſcire exiſtimat aut ꝓfitetur.* Idq́; *præcipue in māſuetudine
& lenitate, q̄ ueræ ſapiētiæ efficacius eſt indicium. Si autē ama
rum inuidiæ zelum habetis erga inuicem, aut ſuperbā & ma-*

leuolam æmulationem in cordibus ueſtris, pro honorũ & cathedrarum aſſecutione, nolite falsò gloriari in uobiſipſis, et mẽdaces eſſe aduerſus ueritatem, falsò iactãtes ueſtrã ſapiẽtiã, aut uane præſumentes de ueſtra ſciẽtia. Nõ enim eſt hæc uera cœleſtis ſapiẽtia, q̃ à Deo ꝑ donationem ſpũs ſancti infuſa eſt, ſed mundana, ſenſualis, & diabolica: quoniã ea q̃ mũdi ſunt quærit, & quæ ſenſualis affectus, & ea quæ dæmõis inſtinctus ſuadent, ſectatur. Quiſquis enim zelũ malũ, aut ambitioſam rixoſamq; cõtentionẽ habet in corde, hũc cõſequitur in nullo bono firmũ eſſe, & ad omne opus malũ eſſe propenſum: quoniam ex his pullulare ſolent uniuerſa mala. Cœleſtis aũt & uere ſpiritualis ſapiẽtia, ante oĩa pura, caſta, ſiue pudica eſt, ab omni immũditia mentẽ præſeruans. Eſt etiã pacẽ diligens, tã in ſe q̃ in alijs, & cõtendere neſcia, modeſta, minimeq; ſeuera, facile ſuadibilis, minimeq; pertinax, & bonis ſuaſionibus facile cõſentiens, plena miſericordiæ affectionibus, & operationibus bonis abundanter intenta. ſynceriter abſq; fictione & ſimulatione oĩa indicans, & in bonã partẽ cuncta ſimpliciter (quantum fieri poteſt) referens. Fructus aũt & merces æterna rectæ operationis, ſeminatur modo atq; cõparatur in pace, hoc eſt, pacifice conuerſando erga oẽs, non contentionibus (ut quidam exiſtimant) agendo omnia.

CAPVT IIII

Dicite uero mihi, Vnde lites & pugnæ (ſiue uerborũ, ſiue uerberum) in uobis, niſi ex carnalibus cõcupiſcentijs, quas in membris ſinitis regnare, nõ ſubiugatas rõnis imperio? Ecce ad oculum depingam uobis, quõ ex cõcupiſcẽtijs ueſtris oriantur lites & iurgia. Primũ enim, ꝑꝑ carnis affectũ inſatiabilẽ, cõcupiſcitis ſuperflua quæ nõ habetis. Atq; inde odio affici incipitis & inuidere ijs, qui habent q̃ uos cõcupiſcitis & nõ habetis, neq;

ſic tamen poteſtis adipiſci. Deinde iniuſtas lites, contentiones, pugnasq́; & priuatim rixoſas, & publice iudiciarias atq; forẽſes, ſuſcitatis aduerſus inuicem. Quòd ſi in mãſuetudine q̃ uobis deſunt poſtularetis à dño, acciperetis utiq; quæ eſſent neceſſaria. Nũc aũt nõ habetis, qa à Deo oĩum largitore nõ petitis, ſed ꝑ iniuſtitiã multis ueſtræ auaritiæ ſatisfacere. Atq; etiam ſi ſint qui petant à dño, non merentur tamen accipere: eo ꝙ male petant, nõ ad ſatisfaciendũ naturali neceſſitati, ſed ad impendẽdũ carnalibus deſiderijs, eisq́; ſatisfaciendũ in uoluptatibus. O hoĩes adulteri, qui à Deo uos ſeparatis et mũdo ac carni ſociamini, quare nõ aduertitis, amicitiã huius mũdi eorũq; quæ ſunt in mũdo tẽporalẽ amorẽ, Deo eſſe deteſtabilẽ? Itaq; dico uobis qđ uerũ eſt, quoniã quiſquis mũdi amator eſſe uult, & mũdanis hoĩbus quærit placere, inimicus Dei hoc ipſo efficitur, quoniam cõtraria ſunt mundus & Deus. An putatis in ſcripturis ſine cauſa toties interdictam eſſe mundi amicitiã, & toties cõuerſationẽ cũ iniquis fruſtra damnatam? An putatis ſpiritũ ſanctũ qui in uobis inhabitat fidelibus, pp inuidiã, mũdi huius & mũdanorũ hoĩum aſpernari & inhibere cõſortia? Nõ ita ſanè qđ inuidus ſit aut male zelator, ſed ut maiorem det grãm ijs qui ſe ab hoc ſeculo puros & à mundanorũ cõſortio ĩmaculatos, cuſtodierint. Vnde in ſcriptura dr̃: Deus ſuperbis huius mundi hominibus gratiæ ſuæ dona negat, humilibus aũt (qui ſæculi faſtũ fugiunt) eadẽ donat copioſius. Eſtote ergo ſubiecti Deo in perfecta cordis humilitate, & diabolo uos opponite, nihil illi conſentientes, ſed deteſtantes prauum omne qđ ſuggerit, & nõ habebit locum in uobis, neq; nocumẽti quicq̃ inferre poterit. Curate autẽ ad Deũ ꝑ humilitatẽ propius uos adiungere, & ipſe in auxilium & gratiã & protectionẽ appropinquabit uobis. Emundate manus ueſtras abijcientes opa mala, uos qui in pec-

catis uixiſtis, & corda ueſtra ab omni macula peccati interioris munda facite qui duplices fuiſtis aĩo, ſecundũ ſpeciem qdẽ Deo, *ſecundũ ueritatẽ tñ magna ex parte diabolo aut mundo aut carni propriæ hactenus ſeruientes.* Agite *pœnitẽtiã, ut præſcribam uobis,* Voluntarijs *miſerijs pp peccata præterita, uos ipſos affligite.* In *triſtitia uiuite, lachrymas fundite, pro riſus diſſolutione modo luctum & fletum aſſumite, & pro petulãti uano gaudio, ſanctũ pro peccatis dolorẽ.* Humiliate ante Deũ *corda ueſtra, & proſternite uoſmetipſos pedibus eius, & ipſe miſertus ueſtri exaltabit uos, peccatis oĩbus dimiſſis gratia ſua ditatos, & æternæ uitæ hæredes inſtitutos.* Cauete aũt *fratres chariſſimi, ne uobis iuuicem detrahatis, alter alteri.* Qui *enim fratri ſuo detrahit, aut fratrẽ ſuũ iudicat bene conuerſantẽ iuxta legem, pp inuidiã, tantum ex odio cupiens fratrẽ calũniari, in legem uidetur ille peccare, ſic iudicans aut detrahens, cũ fratrem oĩa legis recte ſeruantem, adhuc uituperat.* Quo *ipſo legem uel inſufficientẽ uel malã uidetur aſſerere, atq; ita legem iudicare, et legi detrahere.* Porrò *qui iudicat legẽ cõtrauenit legi.* Atq; *is (cũ obſeruator eẽ deberet ac ſubditus) iudicem tñ ſe potius exhibet.* Vnus *eſt enim qui tulit legẽ, et iniunxit hoĩbus obſeruandã, cuius eiuſdẽ officiũ eſt ſecundũ eã hoĩes iudicare, qui poteſtatẽ habet ſecundũ ſuum iudiciũ, & perdẽdi tranſgreſſores, & ſaluandi innocentes obſeruatoresq; præmiãdi.* Ad *te autem ô hõ mortalis nõ ſpectat, nec tibi licitũ eſt, ante tẽpus iudicare proximũ tuum.* Quàm *uero ridiculi ſunt qbus eſt cõſuetudo tã determinate & aſſertiue de futuris loquendi, quaſi in eorum ſint ptãte ſita tẽpora, dicentes.* Hodie *aut cras pficiſcemur huc aut illuc, & ibi permanebimus annũ unũ, et negociationes exercebimus, & lucrum faciemus.* Cum *ignorẽt, qd uel craſtino die de ipſis acturus ſit dñs.* Vere *enim nimia breuitas eſt ui-*

tæ ueſtræ, & incertitudo maxima (quẽadmodũ de uapore eſt, qui ad modicũ tẽpus apparet, & ſtatim reſoluitur ut non ultra appareat) ut merito eius cõſideratione, debeamus cuncta quæ de futuris diſponimus, diuinæ diſpoſitioni ſubmittere, ut dicamus. Faciemus hoc aut illud, ſi diuinæ uoluntati ita fuerit placitum, & ſi uitã nobis ſeruabit Deus, *aut ꝑ ſimilem aliq̃ diuinæ ꝓuidentiæ expreſſiuam particulã.* Nunc autẽ gloriamini in pŏpoſis ueſtris ſermonibus, ſic loquentes quaſi q̃ ſingula uitæ ueſtræ momẽta, & oĩum uenturorũ diſpoſitionẽ in manu habeatis. Oĩs talis ſupba iactabundaq; exultatio, à malo eſt, & ſuperbiam ſapit. Vere enim humilis, diuinæ ꝓuidentiæ ſua ſubmittit oĩa. Itaq; ſcienti bonũ, qđ facere oportet, & nõ faciẽti, hoc in peccatũ reputabitur, qđ id qđ faciendũ nouit, facere omiſit.*

CAPVT V.

Tandẽ ad uos ſermonẽ uertens ô mũdi diuites et potẽtes, denuncio uobis fletũ et ululatũ ſuper miſerijs quæ uos manent, niſi ꝑ pœnitentiã deũ iudicẽ placaueritis. Ecce ueſtræ diuitiæ *quas coaceruaſtis ꝑ auaritiã in horreis, præ abũdantia* putrefactæ ſunt, *ut nullo uſui ſint aptæ, quas debueratis in pauperũ ſuſtentationẽ, ex* Dei *præcepto, erogare.* Veſtimẽta *q̃ uobis ꝑ ſuperbiã et curioſitatẽ præparaſtis plurima, ꝑꝑ abundantiã,* à tineis comeſta ſunt, *pauperibus nudis & in egeſtate relictis.* Aurũ ueſtrum & argentũ *qđ ĩmodice cõpegiſtis,* ærugine corroſum eſt, & ærugo eorũ erit uobis *uelut* teſtis *ad cõdemnationẽ ueſtrã, & igni æterno uos reddet obnoxios quoniam ea maluiſtis ærugine fruſtra cõſumi, q̃ in miſericordiæ opa expendi utiliter.* Theſaurizando *cõparaſtis uobis irã* Dei, *ĩ* nouiſſimo *examinis* die, *q̃ tunc ſup uos reuelabitur.* Ecce *uindictã expoſcet apud* Deum merces *detenta* opariorũ *ueſtrorũ, q* maximos *ueſtros* agros, *et ampliſſima prædia* coluerunt, *quam ꝑ auaritiam* detinuiſtis

& imminuiſtis: & dñs Deus exercituum exaudiuit uoces pau perum clamantiũ ad ſe, pp ſibi factã iniuſtitiam, facturus uindi ctam acerrimam ſuo tpe. In uoluptatibus uitã duxiſtis ſup ter= ram, & in laſciuijs & petulantijs luxuriæ enutriſtis uiſcera ue ſtra, p oĩa carnis curam diligẽtiſſime perficere curantes. In die qñ ĩmolandæ uobis erant pp ſolẽnitatẽ Paſchæ legales uictimæ iuſtum Ieſum & innocentẽ uos Iudæi uinctum adduxiſtis mor ti, et mortis reum cõdemnaſtis, ac deniq; iniuſte occidiſtis, nihil illo uobis reſiſtẽte. Ecce q nunc ſi'ia patimini p iniuſtitiam po= tentum Chriſtum dñm habetis eiuſdẽ rei exemplum. Itaq; hoc exemplo animati moneo, ut patientes ſitis, uſq; ad aduentũ dñi qñ & illorum nequitia uindictam, & ueſtra patientia recipiet coronam. Ab agricola diſcite patientiam, qui poſtq̃ ſeminis in terram iacti fecit diſpendium, patienter fructum terræ pretio= ſum (quẽ ſuo tpe ex ſemine illa eſt productura) expectat, nihil murmurans ſi nõ ſtatim iacto ſemine prodeat fructus: ſed patiẽ ter ſuſtinet, donec in futuro accipiat fructum duplicẽ, priorem qdẽ, & qui adijcitur poſteriorem. Sic et uos q modo in lachry mis ſeminaſtis, patientes eſtote et perſeuerantes, uoſipſos p pa tientiam cõfirmantes, quoniam in proximo eſt & nõ tardabit, qui copioſiſſime remuneraturus eſt uobis. Nolite fratres cũ ab alijs oppreſſi pſecutionem ſuſtinetis, aduerſus inuicem, ex odio aut uindictæ amore aut murmuratione ingemiſcere, ut nõ fru= ctum patientiæ perdentes, etiam cõdemnationis æternæ iudicio efficiamini obnoxij. Ecce qui iudicabit adeſt ubiq;, uidens oĩa, ut eũ latere nihil poſſit, et in proximo eſt ut coronet, quos pro batos cõſpexerit. Sint uobis pro exẽplo Prophetarũ afflictio= nes, etiam uſq; ad ignominioſæ mortis exitum, una ex parte: et cõtra hæc illorum lõganimis patientia, qui tñ tam inſigni erant ſanctitate, ut etiam p ſpiritũ dñi futura prædicerent. Scitis qđ

beati prædicantur, & memoria æterna cõmendati facti ſunt, quos probauit patientia. Nemo ueſtrum eſt, qui nõ audierit de inſigni illa patiẽtia beati uiri Iob. Cognoſcitis ſilr, quo fine dñs eius patiẽtiã remunerauerit, etiã in pñti uita reddens ei dupla oĩa: quoniã natura miſericors eſt, et miſereri ſemp ſolitus Deus nr̃. Diligentiſsime aũt abſtinete ab oĩ iuramento malo, ut nõ iuretis neq; p cœlũ, neq; p terrã, neq; alio quocunq; ſupfluo iuramẽto. Sit ãt ſermo ueſter ſimplici affirmatiõe aut ſimplici negatione enunciatus, abſq; iuramenti adiectiõe: ut nõ ex iuramenti ſupfluo uſu iudicium incurratis. Siqs ueſtrum triſtitia aut grauitate ſpiritus uexatur, oratione et pſalmodia ſtudeat illam depellere, ut nõ ĩmoretur in eius aĩo, nec ad ĩpatiẽtiam deueniat. Siqs eſt corpore grauiter & cum periculo infirmus curet adduci Preſbyteros Eccleſiæ, q ſup eum & pro eo orationem facientes, ungent eum oleo ſancto et cõſecrato ſanctæ unctionis, cum inuocatione noĩs dñi. Et oratio illa cõis fidelium, p uirtutem fidei tam in ungentibus ad cõferendum, q̃ in uncto ad deuote ſuſcipiendum exiſtentis, ſaluum faciet infirmum. Ita ut melius habeat, aut etiam in totum cõualeſcat, iuxta quod expedire nouerit Deus. Et ſi in peccatis exiſtat, p fidei & ſacramẽti & orationis uirtutem, dimittẽtur ei. Deniq; cõfitemini peccata ueſtra erga inuicem: maiora qdem ſacerdotibus ſolis minora etiã proximis familiaribus: & orate pro inuicem, ut pariter eandem ſalutem oẽs cõſequamini. Multum enim potens & ualida eſt oratio iuſti, ſi fuerit aſsidua, & efficaciter effuſa. Id in Helia apertiſsime patet, q oratione ſua cœlum cõtinuit, ut nõ daret pluuiã ſup terram, & nõ fuit pluuia ulla p trium annorum ſpatium et ſex menſium. Iterumq; orando obtinuit, ut deſcenderet ſup terram pluia, & dedit terra irrigata (ut ſolebat) fructũ ſuum. Fratres mei, ſiqs ueſtrũ errauerit à uia ueritatis, ſiue rectum fidei

dogma deſerens,ſiue etiam uitæ ac morum rectitudinem: qui illum ab errore ad rectum iter reduxerit,ſciat ille, quòd quiſquis peccatorem ab errore in quo uiuebat quomodocunq; conuerti fecerit,ſaluabit & eius & ſuam ipſius animam à morte æterna. Plurima quoque per tantum miſericordiæ opus peccata delet coràm domino,tam eius quem conuertit quàm propria quibus erat forte uenialiter maculatus.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM
in priorem epiſtolam Canonicam beati Petri Apoſtoli.

Simon Petrus,*diſperſis ꝑ diuerſa loca fidelibus, ſui paſtoralis memor officij,hanc ſcribit exhortationibus & bonis inſtructionibus plenam epiſtolam.* In *cuius principio, regeneratoris noſtri* Dei *miſericordiam benedicens,quæ à nobis ꝑ* Chriſtum *ſperantur ſutura bona cōmemorans,monet ꝑꝑ horum expectationē, in tribulationibus (quæ ad exercitium & probationem fidei à* Deo,*electis aduenire permittuntur (eſſe patientes: eorū in hoc fidem collaudans,quòd in eum quem nō uidiſſent crederent, ꝑ quam fidem,dicit eos peruenturos ad ueram ſalutem,de qua et olim à diebus antiquis prædixerūt* Prophetæ, *nō quidem ſibi, nec ſuo tꝑe implendā, ſed pro tꝑe iſto gratiæ.* In *quo nos ſumus nouæ legis* Chriſtifideles. Propter quod,*tanta accepta gratia,monet eos ſuccinctos lūbis mentis,ſecundum ſpem & uocationē ſuam digne & ſancte in oī cōuerſatiōe uiuere, quomodo ſanctus eſt qui uocauit nos deus,qui cum ſine pſonarum acceptione iudicet de oībus,merito nos oportet de noſtra bona cōuerſatione eſſe ſolicitos: ſcientes quanto nos pretio agnus* Dei *immaculatus redemerit ad uitam.* Cōſcientias *noſtras caſtificando ac puras faciendo,potiſſimum charitate,tanq̄ qui ſpirituali generatione ꝑ ſemen uerbi* Dei *ſimus regenerati, q̄ ſanè regenerationem ſpiritualem ſancta decet et ſpiritualis cōuerſatio,* Pro

pter quod, ſecundi capitis initio, tanq̃ paruulos in Chriſto regeneratos, oĩ malitia & dolo abiectis, ſalutaris doctrinæ lac monet cõcupiſcere, & Chriſti dulcedinẽ guſtare, eiq; tanq̃ lapidi uiuo p̱ fidẽ aſſociari: in ſpiritualis ædificij, hoc eſt, Eccleſiæ ſanctæ cõpoſitionẽ: De quo lapide cõſequẽter narrat queadmodũ à quibuſdã ſit repulſus, eisq; petra offenſionis factus, alijs autẽ credentibus factus fuerit in honorem: ita ut pp fidẽ eius, & regale ſacerdotiũ, & gens ſancta nominẽtur, populus quoq; mirabiliter acqſitus, ad laudẽ gloriæ Dei. Hortatur aũt oẽs, quaſi aduenas in hoc ſeculo, à carnis cõcupiſcentijs abſtinere, & ĩter gẽtes bene prudẽterq; cõuerſari, ut oẽm auferat eis occaſionem bonũ nomẽ Chriſti maledicẽdi, oĩbus hoĩbus iubens eos eẽ ſubditos, præcipue ſecularibus ptãtibus, eo q̃ ſic ſit uolũtas & ordinatio Dei, à quo ẽ oĩs poteſtas, nec prætextu libertatis Chriſtianæ aliud agant, q̃ debẽt. Seruos aũt peculiariter, ad obedientiam dñis etiam difficilibus & moroſis præſtandã, inſtituit: in hoc dicens eſſe Chriſtianæ p̱fectionis gratiã, ſiqs etiã ſine cauſa ferat patiẽter, quæ nõ cõmeruit: Chriſti dñi ad hoc exẽplũ inducens, qui ſine oĩ ſuo demerito peccata nr̃a ipſe pertulit ĩ ligno. Cuius exẽplũ, poſtq̃ ad ipſum cõuerſi ſumus paſtorẽ noſtrũ & epiſcopũ, omnimodis nos cõgruit imitari. De hinc tertio capitulo, mulieres inſtituit, docẽs eas uiris eſſe debere ſubditas et in timore erga uiros ſanctẽ cõuerſari: ornatũq; ſuperfluũ & curioſum exterioris hoĩs interdicẽs, uerũ ornatũ qui eſt ĩ interiori hoĩe, in ſpiritu pacato, modeſto, & humili, manifeſtat, exẽplũ Saræ, quæ Abrahæ ut dño obediuit, eis tanq̃ bonis filiabus proponẽs. Viros aũt docet ſuis uxoribus tanq̃ uaſculis ĩfirmioribus ſecundũ diſcretionẽ couti, eisq; pro ſua infirmitate deferre, nõ quaſi ſcortis abuti, aut quaſi ancillas cõtẽnere. Poſt qd', ad generalẽ exhortationẽ tranſiens, oẽs ad fidẽ, unanimitatem,

ſraternum amorē, & cæterarum uirtutum ſtudia, adhortatur, præcipue aūt ad patiētiā exhibendam, ne malū reddant pro malo, ſed in oībus à malo declinantes, ſectentur quæ bona ſunt: & nė præter Chriſtum *dñm quenq̄ metuant, aut ab ulla ptāte terreantur, poſtq̄ uirtutis æmulatores ſe exhibuerint: parati ſemp ad rationabilē reſponſionē: ijs qui de ſua fide & ſpe eos interrogauerint, ut ſic tā exēplo q̄ uerbo poßint et alios lucrifacere.* Bonum *aūt eſſe pro iuſtitia pati, Chriſti exemplo declarat: qui pro nobis iniuſtis, iuſtus ipſe mori uoluit.* Qui *q̄dem Chriſtus, nō ſolum nunc de noſtra liberatione eſt ſolicitus, pro noſtra ſalute ueniēs in carne uiſibiliter, ſed etiam olim ſolicitus fuit pro cōuerſione hoīum, in diebus* Noe: *qū ſpiritu ueniens, p ſanctos uiros ſancto ſpiritu inſpiratos, excæcatos illius tpis hoīes, ad pœnitentiā reuocare ſatagebat,* V*bi occaſione* Noe *de arca loquens, ipſam euaſionē p arcam cū baptiſmali regeneratione, tā q̄ figurā cū figurato, cōparat.* Quarto *autē capitulo oēs monet fideles, recogitatione exēpli huius quod in Chriſto præceßit, contra oēs malas concupiſcentias carnis armari, & ſolius* Dei *uoluntati de cætero obtemperare,* Iterūq; *ad orationis & charitatis cæterarumq́; uirtutum ſtudia, eos adhortatur, & peculiariter ad adminiſtrandū acceptas grās in inuicem.* Deinde *eos præmonet ne eis mirum & nouum uideatur, quod pro ueritate perſecutionē patiantur: ſed magis gloriæ ſibi ducant, pro iuſtitia & Chriſti noīe, ſine cauſa mala pati.* Vltimo *deinde capitulo, preſbyteros et præpoſitos monet ſacerdotes, gregi ſibi credito fideliter intēdere, eiq́; ſe formā & exēplū exhibere, ex animo pp* Deū: Adoleſcentes *ſenioribus ſubeſſe.* Oēs *uero erga inuicem humilitatem demōſtrare.* Sub *potēti quoq; manu* Dei, *ut exaltentur uenturo tpe, nunc eos docet humiliari, omni ſolicitudine in* Deū *proiecta.* Sobrios *quoq; ac uigilantes eſſe, cō-*

tra aduerſariorum aſtutiam, importunitatem, & crudelitatem. Tandem pro eorum cõſummatione Deum deprecatus, familia ribus ſalutationibus appoſitis, ita claudit Epiſtolam.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM CA *nonicam priorem beati Petri Apoſtoli.*

CAPVT I.

*PEtrus Apoſtolus Ieſu Chriſti, ſcribit ſalu=
temq́; dicit fidelibus electis à Deo, qui pro
pter diſperſionem ex perſecutionis rabie
quaſi aduenæ & peregrini agunt apud Põ
tum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam atq;
Bithyniam: electis, inquã, ſecundũ Dei patris æternã præſcien=
tiam, in ſanctificatione ſpiritus, quæ eſt iuſtificatio ex fide, ad
obediendũ fidei, & participandũ de uirtute & efficacia ſangui
nis Ieſu Chriſti, quo aſperſi ſunt oẽs fideles. Gratia uobis &
pax uera, à Deo copioſa donetur, & creſcat de die in diem. Be
nedictus ſit Deus qui eſt pater Dñi noſtri Ieſu Chriſti, qui non
ſecundum noſtrorum operũ merita, ſed ſecundũ magnã miſeri=
cordiam ſuam renaſci nos fecit generatione ſpirituali (quæ eſt
ſecunda hominis natiuitas) in ſpem uitæ æternæ, ꝑ reſurrectio-
nem à mortuis Ieſu Chriſti: ut ſuo tp̃e accipiamus illã æternæ
uitæ hæreditatem, quæ eſt incorruptibilis atq; indeficiens, nul=
la imperfectione aut defectu cõtaminata, & in eodẽ ſemper flo
re gratiſſima permanens, quæ ſuo tp̃e reddenda ſeruatur in cœ
lis, erga uos, et pro uobis omnibus: quos nũc uirtus ſpiritusſan
cti cuſtodit ꝑ fidẽ, ut ſitis apti & digni ad recipiendam ſalutem
illã, q̃ credẽtes manet, reuelãda in nouiſſimo die. Ob quã rem,
& in qua re exultare & gaudere plurimũ debetis: etiã ſi nunc
in hoc tp̃e multa occurrant aduerſa, & tentationes plurimæ,
q̃ triſtitiam adferunt corpori: quæ nõ niſi modicũ aliquid uidi=*

ri poſſunt ſi ad illius futuræ gloriæ retributionem, mens noſtra conſpiciat. Hoc enim Deo *ſic diſponente permittitur, ut fides ueſtra ſic ꝑ patientiam probata fiat præclarior, quomodo aurum igne examinatum probatius habetur, & ſic probata ac pretioſa inueniatur, tam* Deo *q̃ uobis, ad laudem, gloriã, & honorem, in die qñ reuelabitur iuſtus ille iudex* Chriſtus Ieſus. *Quem uos tametſi non uideritis corporeis oculis, diligitis tñ: quemadmodũ & creditis in eũ, tametſi oculis corporeis nunc eũ nõ uideatis, aſſumptũ in cœlos, atq; ex uobis plurimi nunq̃ illũ corporis uiſu cõſpexerint. Qui autem nunc ſic in eũ quem nõ uidetis creditis, ꝑ fidẽ hanc perducemini ad exultationẽ & lætitiam futurã, ineffabilem & pleniſſime glorioſam, recipentes finalem retributionem & fructum ultimum fidei ueſtræ in qua hic ambulaſtis, ſalutem aĩarum ueſtrarũ: id eſt, uitã in*Deo *ſempiternam.* De *qua ſalute diligenter atq; uigilanter exquirentes, perſcrutati ſunt priores patres atq;* Prophetæ, *qui multò ante de hac gratia nouæ legis (quæ tũc adhuc futura erat) prædixerant, diligenter cõſiderãtes in quod tẽpus iſta reſpicerent, & qñ eſſent implenda, quæ ſignificabat aliqñ implenda ſpiritusſanctus, prænũcians et multo ante prædicens paſſiones* Chriſti, *quas pro humani generis ſalute erat paſſurus, & ſubſecuturam poſthac perfectam gloriã, qua à patre erat poſt paſſiones ſublimandus.* Reuelatum *eſt autem eis (ſpiritu ſancto eodẽ docente) quoniam nõ ſibimetipſis iſta prænunciarent, hoc eſt, qđ nõ pro ſuo tpe iſta dicerent, ſed poſterioribus generationibus (hoc eſt, uobis qui nunc eſtis in mundo) prophetabant & prænunciabant tunc ea quaſi uentura quæ nunc ut præterita & impleta nunciata ſunt uobis, ꝑ eos qui ſpiritu ſancto de cœlo poſt* Chriſti *aſcenſionem miſſo, & in ſe accepto, euangelizauerunt uobis ſancti* Euangelij *uerbum, hoc eſt, per* Apoſtolos Chriſti.

In quæ admiranda illa uobis euāgelizata, aut in quem Chriſtũ, angeli ſumma oblectatione indeſeſſe proſpiciunt, q̃bus ſatietas eſt & beatitudo illā cōtueri Chriſti gloriā, quā uobis nos prædicauimus. Tales igitur habentes ꝓmiſsiones, talibusq́; propoſitis præmijs mentē & oēs aīæ uires ab omni impedimēto & ſuperfluitate uanitatū præcingentes, ſobrie quoq; oībus quæ in hac uita ſunt utentes nō niſi quantum ad neceſsitatē attinet, & omnimodis ꝑfecti iuxta gratiam Dei, ſperando acceptate gratiam iſtā q̃ uobis ultro offertur, dū ꝑ Apoſtolorū prædicationē uobis Chriſtus Ieſus manifeſtatur, tanq̃ filij bene obedientes, nō amplius priora illa carnis deſideria, q̃bus in infidelitate ueſtra ſeruiebatis, inſequētes: ſed ita cōuerſantes ad exēplū Chriſti, ut quēadmodū ipſe q uos uocauit Deus, ſanctus eſt, ita & uos ſancti ſitis in omni cōuerſatione ueſtra: quēadmodū in ueteri lege, filijs Iſrael ſcriptum fuit: Sancti eſtote quoniā ego ſanctus ſum. Et ſi creditis Deū quē ut patrē adoratis & inuocatis, talē eſſe qui ſine ꝑſonarū acceptione unumquenq; iudicabit ſecūdū opa ſua, merito utiq; in oī timore & circūſpectione cōuerſandum uobis erit hoc tpe peregrinationis ueſtræ, donec huius mundi incolæ eritis. Illud ſemper ante oculos habētes, ꝙ nō corruptibili pretio, utpote auro uel argento uel alio quouis lapide pretioſo, liberati eſtis & redēpti à ueſtra mala cōuerſatione, ī qua uos inſtituerant idololatræ et inobediētes patres ueſtri, ſed pretio ſanguinis agni illius īmaculati & incōtaminati Chriſti Dñi noſtri: quē ab æterno q̃dē ante mūdi cōditionē, pater, ad humani generis redemptionem, ſuo tpe mittendum præordinauerat, ſed nunc primū ueniente plenitudine tpis, circiter finē mundi, manifeſtū fecit: carne eū humana uiſibilē, et ꝑ Apoſtolorū prædicationem toti orbi cognitū faciens, Manifeſtum, inq̃, ſic fecit, propter ſaluādos uos qui ꝑ ipſum creditis in Deū utpote ꝑ filium

lium factum uiſibilem, in patrem inuiſibilem manentem: qui pa ter eũ ſuſcitauit à mortuis, & glorificauit, atq; exaltauit ad dexteram ſuã ut crederetis atq; ſperaretis in eum: nõ ut in purum hoĩem, ſed uerũ etiã Deum, ſuo patri p oĩa æqualẽ. Sitis quoq; purificantes, aĩas ueſtras ab omni malitia & amaritudine, per obedientiã charitatis fraternæ, ſubiecti inuicem in timore Dei. Et in amore fraterno, ex ſimplicitate cordis ueſtri, feruenter ut poteſtis diligite inuicẽ, nati denuo ſpũali regeneratiõe: nõ ex ſemine terreno & corruptibili, ex quo erat prĩa ueſtra naturalis generatio, ſed ex ſemine incorruptibili et ſpũali, et qđ eſt uerbũ ſancti euãgelij, uerbũ Dei uiui, q in æternũ permanet. Propter qđ etiã æterna eſt et ſpiritualis regeneratio, q̃ p eius fit uerbũ. Nã de carnali generatione illud cõſtat, q æterna nõ ſit quoniã omnis caro ut fœnum eſt, nihil perdurans, & oĩs gloria eius inſtabilis et breuis eſt, quemadmodum flos graminis, qui ſtatim ut ſole æſtuante gramen aruerit, ſimul decidit. Sed uerbum Dñi permanet inæternum, & item q̃ ex eo eſt ſpiritualis generatio permanebit æterna. Hoc autem de quo loquimur uerbi diuini ſemen, ipſum eſt quod uobis p Apoſtolos Chriſti euangelizatũ & prædicatũm eſt, p quod credentes regenerati eſtis, generatione illa quæ permanebit inæternum.

CAPVT II.

Itaq; chariſſimi, moneo & adhortor uos ut depoſito omni eo q malum eſt: hoc eſt, dolo ſimulatiõibus duplicitatis, inuidia, detractionibus (quæ oĩa diuinæ generationi cõtrariantur) quaſi infantes, iã recenter p uerbũ Euãgelij ĩ Chriſto geniti, nõ iã ut olim irrationabiliũ more pecudũ, ſed ut rõnabiles et ſpũales, lac cœleſtis doctrinæ (quod & ipſum prius ſemen appellauimus) deſiderate & poſtulate à Deo, ut in eo in quo ueſtræ regenerationis habuiſtis initium, ſimul etiã creſcatis, & perficiamini in

ſalutem æternam. Hoc autē dico et uos facile capitis: ſi modo, ut oīno de uobis cōfido, guſtū diuinæ dulcedinis experti agnoſcitis, quòd ſuauis & dulcis eſt Chriſtus Dñs. Ad quē uoſipſos adiungentes, tanq̃ ad lapidem uiuum, oībus uitā largientem qui ſe illi p fidem cōiunxerint, ab hoībus qdem incredulis, gentibus atq; Iudæis, abiectum & contemptui habitum, à Deo aūt & apud Deum electum & glorioſum, ſuperædificari, & ſuper ipſo ſtrui uoſipſos curetis, per fidem ei adhærēdo, ut efficiamini pars Eccleſiæ Dei, quæ eſt domus ſpiritualis, in qua Chriſtus Dominus & pater ipſe inhabitat, & efficiamini ſacerdotes ſancti ad offerendum hoſtias rationabiles & ſpirituales, Deo acceptabiles, per Ieſum Chriſtum. Omnes enim orationes fidelium & gratiarum actiones, per Ieſum Chriſtum patri acceptæ fiunt. Quibus conſonat ſcriptura Prophetica: Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, id eſt, qui ſtructuræ parietum angulos complectatur, in unum coniungat, atq; contineat: lapidem multis paßionum tunſionibus bene probatum, electum à Deo, & pretioſum. Et omnis qui in hunc uiuum lapidem credens, ſe illi adiunxerit, nō cōfundetur in nouißimo, ſed ſaluabitur. Vobis igitur ex hoc lapide honor eſt, qui in eū credidiſtis, incredulis autem cōtingit, & quantum ad eos illud impletur, qd' in Pſalmo de hoc lapide dicitur: quoniā lapis iſte, quem ædificare uolentes ſuā Synagogam Iudæi, quaſi inutilem abiecerunt, tandem diuina diſpoſitione factus eſt clauſura, & cōſummatio totius ædificij, poſitus in ſummitate ſtructuræ, ad cōtinendum in angulo diuerſos parietes. Eſtq; lapis offenſionis in quem impingunt, & petra ſcandali ad quā ſe collidunt, ij qui impingunt in uerbum fidei, illi ſe opponendo, & nō credunt uerbo, ad quod tñ à Deo uocati fuerunt, ut p ipſum ſalui fierent. Vobis autem qui in eum credidiſtis, illud merito aptari

poteſt: qđ' olim populo Iſraelitico ſecundum carnem, ſub typo populi fidelis, Moyſes *loquebatur.* Nempe *quod ſitis genus à* Deo *electum: & regale ſacerdotium, quos ſimul oēs (ſpiritusſancti unctione)* Chriſtus *fecit reges, et ſacerdotes: gens ſancta, p̄ fidem, populus peculiaris, magno pretio emptus, cōparatus, & cōquiſitus, ad* Dei *gloriā, ut liberalitatē, benignitatē, miſericordiam, charitatem, & oēm uirtutem eius, quā erga nos oſtendit, perpetua laude, & gratiarum actione continua prædicetis quicunq; eius beneficia agnoſcitis.* Eius, *inquā, qui de tenebris infidelitatis & ignorantiæ noſtræ, p̄ uocationis ſuæ gratiā, dignatus eſt nos educere, in admirabile lumen ſuum, qđ' p̄ ſpiritū ſanctum in cordibus noſtris exortū fideles nos fecit.* Qui *aliqñ eratis nō populus* Dei, Deo *ingrati et odibiles, pp̄ infidelitatē: nunc autem, pp̄ fidē, peculiaris populus* Dei. Qui *aliqñ nō cōſecuti miſericordiam, ſub ira* Dei *degebatis, nūc autē miſericordiam cōſecuti, in gratia* Dei *eſtis.* Quoniā *igitur tantis uos beneficijs* Deus *dignatus eſt, obſecro uos chariſſimi, ut tanq̄ aduenæ & peregrini in hoc ſeculo, nō inhærentes huic mundo, ſed proficiſcentes ad patriā, abſtineatis à carnalibus cōcupiſcētijs, eis nullo modo obſequentes: quæ pugnant contra animam, ut eam diabolo tradant, & ſpiritui aduerſantur, cōtra quem concupiſcunt.* Cōuerſationem *ueſtram quam inter gentes ducitis, ſtudentes habere bonā ac probatam: ut quantum ad obtrectationes quibus uos infamare quærunt & de uobis male loqui, tanq̄ de maleficis, cū diligenter ueſtrā cōuerſationē conſiderauerint, & inuenerint nihil ſe reprehenſione dignū in uobis cōſpicere, ſic p̄ efficaciam bonorū exemplorū ueſtrorū inducantur ad glorificandū* Deum, *in tp̄e quo eos* Dñs *uiſitare ad cōuerſionem ſuā diſpoſuerit.* Infideles *enim qui prius fideles blaſphemabāt, poſtq̄ p̄ bona exēpla eorum fuerint etiā ipſi (diui=*

na præueniente uiſitatione ad fidem conuerſi, glorificant & laudant Deum, propter bonam cõuerſationem fideliũ, p quã ſe de infidelitate & errore agnoſcũt liberatos. Illud itaq; uos præcipue moneo, ut oĩbus per ueram humilitatem, propter Deum ſubijciatis uoſipſos, habendo oẽs in reuerentia, amore, & honore, quaſi ſuperiores unicuiq; in ſuo gradu & ordine. Regi quidem tanq̃ alijs præeminenti, & populo præpoſito: ducibus item, & inferioribus ſub rege poteſtatibus, quaſi à Deo deſtinatis & ad hoc deputatis, ut pro malefactis uindictam, pro benefactis laudẽ & præmium reddant, quod eſt adminiſtrare iuſtitiam. Sic enim Deus uult, & ita fieri oportet, ut p ueſtra benefacta & cõuerſationem ueſtrã, occludatis os hoĩbus infidelibus & ueritatis ignaris, qui uos obſeruant, ut inueniant unde de uobis male loquantur. Sic aũt uos in oĩbus geratis, quaſi uera & ſpirituali libertate exiſtentes liberi. Neq; habeatis libertatem pro uelamine malitiæ, ſub prætextu libertatis Euangelicæ carnis petulantiam perficientes, quẽadmodũ faciunt qui libertatem dant in occaſionẽ carnis, rebellantes ſub ſpecie libertatis dominis ſuis tẽporalibus aut ſpiritualibus, nolentes eſſe ſubiecti: ſed ſic uos habere quaſi ſerui Dei, à cuius ſeruitute, uera libertas neminem ſubtrahit. Itaq; rurſum uos moneo, ut oĩbus honorem & reuerentiam exhibeatis, fraternam quoq; charitatem diligatis. Deum timeatis, & regem honore afficiatis. Qui aũt ſecundũ temporalem conditionẽ ſerui ſunt, obediant dominis ſuis, cũ omni reuerentia: nõ modo benignis et facilioribus, uerumetiam ſi difficiles fuerint atq; moroſi, ob hoc eos dimittere nõ poſſunt. Hæc enim eſt Euãgelicæ gratiæ perfectio, ſi propter timorem Dei (dictante cõſcientia) quis patienter ſuſtineat triſtia aut grauia, ſine cauſa aut ſuo merito eiuſmodi patiens. Nam quæ erit perfectio aut quæ ſupererogatio, quódue ſingu-

lare præmium erit,ſi patienter ea tantum ſuſtineatis mala, quæ pro peccatis ueſtris infliguntur uobis? Veluti ſi quis (exempli gratia)propter peccatum ſeruus à Dño colaphis cædatur. Sic enim & fures & latrones patiuntur. Verũ, ſi poſtq̃ oĩa recte feceritis nihil mali promeriti,à moroſis tamẽ dominis ſine cauſa percutimini,& id patienter Deum habentes in conſcientia, ſuſtinetis:hæc eſt Euangelicæ perfectionis gratia,Deo placita, quam Chriſtus Dñs & uerbo docuit, & exemplo mõſtrauit. Ad hoc enim uocati eſtis,ut Chriſtum Dñm ueſtrũ imitemini. Chriſtus enim Dñs noſter,pro noſtris demeritis pati uoluit,uobis oĩbus fidelibus exẽplum in ſe relinquens ad imitandum, ut per eandem ſimiliter patientiæ uiam pergatis. Qui peccatum nullum unquam cõmiſit, nõ modo in opere, ſed neq; in uerbo doloſo aut mendacio. Qui cũ maledictis & cõtumelijs afficeretur,nõ reddebat maledicta. Cum pateretur,nõ intendebat crucifigentibus minas:ſed uolũtarie ſe tradebat (hoc eſt,tradi permittebat)ei qui ſe eſſet iniuſte condemnaturus ſine cauſa. Qui pro peccatis noſtris pœnam ſuſtinuit,in carne ſua,in ligno crucis:ut deſtructis et expiatis peccatis noſtris, nos à peccato deinceps ceſſantes,operaremur opera iuſtitiæ: cuius uulneribus & doloribus,uos ſanati eſtis.Eratis enim ante conuerſionem, quaſi oues à recta uia & à paſtore in deuia, poſt alienos deos & falſos paſtores,aberrantes. Nunc aũt rediiſtis per pœnitentiam ad fidem conuerſi,ad illum qui eſt uere paſtor,curator & Epiſcopus animarum ueſtrarum.

CAPVT III.

Quomodo autem ſeruos præcepti dominis ſuis eſſe ſubiectos: ſic mulieres ſuis debent uiris per reuerentiam & obedientiã ſuo modo eſſe ſubiectæ, ut ſiqui forte ex uiris,propter ſuam duriciem per uerbum fidei cõuerti nõ poſſunt ad fidẽ Chriſti, ſaltẽ

exemplo bonæ conuerſationis mulierū trahantur ad eam, ſine uerborum ſuaſionibus: quoniam efficacior eſt conuerſationis probitas, q̄ uirtus tātum ſermonis ſine operatione. Sint, inquā, ſubditæ mulieres, diligenter & ſolicite curantes, ut ſanctam habeant cōuerſationem ſuam. Quas nolo extraneo ornatui ſuperfluo & curioſo, aut comæ curandæ & criſpandæ ſtudere, aut auro ſuperfluo adornare, aut induendo ueſtimenta nimium excedentis pretij, ſuum corpus ſuperfluis ſumptibus excolere: ſed interior homo, & ſpiritus latens, quem Deus intuetur, ille curari debet & exornari bonis uirtutibus: quod erit, ſi ſpiritū ſuum ſtudeant incorruptum integrumq́; ſeruare, in manſuetudine, & ſilentio atq; quiete, quæ ſui ſunt officij, ſine garrulitate & contentionibus oĩa agentes, quod eſt in mulieribus maximū ornamētum. Cuiuſmodi ſpiritum Deus maximi reputat, quiq́; eſt apud Deum magni pretij, magnæq́; æſtimationis, plus q̄ omnia corporis quæ poſſunt adhiberi ornamēta. Exempla attendant ſanctarū mulierum, de quibus in ſcripturis legimus, quòd ſperantes in Dño, & illi placere quærentes, ſic ſe ſpiritualibus ornamentis, p fidem & ſpem ornabant, ſubiectæ in honore & obedientia uiris ſuis. Quemadmodum (exempli gratia) Sara, Abraham uocauit dñm ſuum, in oĩbus ei quaſi dño ſuo obediētiam præſtans. Cuius eſtis uos ſanctæ mulieres filiæ, quæ credētes in Dñm, obeditis uiris ueſtris propter Deum, benefaciētes, ſicut uobis ſecūdum Deum uidetur cōuerſando, & nō pertimeſcentes ullā quæcunq; aliunde acciderit, perturbationem, quoniam iuſtus nō cōmouebitur in æternum, & ab auditione atq; perturbatione mala nō timebit. Viri autem nō deſpiciant uxores ſuas, q̄q̄ ſubditas: ſed tanq̄ ſuis cōparibus, in coniugali actu potiſſimum, cohabitent eis ſocialiter, ſecūdum ſcientiam: id eſt, cum diſcretione & ſolicitudine, quaſi infirmioribus creaturis,

quæ in ſe generationis ſemen & recipiunt & conſeruant ob quod debent multa cura & ſolicitudine erga eas, ſecundum ſciẽtiæ diſcretionem, uiri cõuerſari: impartiẽdo eis honorem, quaſi coniugibus & cõparibus ſuis deferendo eis in multis, & earũ neceßitatibus diligenter prouidendo, atq; etiam infirmitates ſuſtinendo, nec eis quaſi ſcortis aut ancillis abutendo. Sunt enim etiam mulieres cohæredes gratiæ Dei, *quæ eſt uita æterna, & æque ad illam atq; uiri, ſi bene uiuant uocatæ, quoniam in* Chriſto, *non eſt maſculus neq; fœmina. Idq; uolo & præcipio, ob hoc, ne propter diſcordiam impediantur fructus orationũ ueſtrarũ, ſic ut nõ exaudiamini in orationibus ueſtris.* Tandẽ ue*ro cõcludendo particulares exhortationes, ad generalem tranſiens, hortor uos oẽs, in fide ut unanimes perſiſtatis, cõpatientes proximorũ miſerijs, fraterna charitate inuicem diligentes, miſericordes, modeſti, minimeq; ſeueri aut crudeles, humiles, nõ retaliantes mala malis, ſed potius, ecõtrario pro malo bonũ reddatis.* Q*uoniã in hoc uocati eſtis oẽs fideles, ut æternæ fœlicitatis perfectißimam illã benedictionẽ, in hæreditatẽ ueſtrã accipiatis: propter cuius ſpem, merito nũc ab omni maledictione temperantes, ſemper in benedictione perſtare debetis.* Nam *(iuxta* P*ſalmiſtam)* Q*ui quærit uitam ſpiritus, & deſiderat uere bonos dies, & felicem æternitatis accipere requiem, ſit illi prima cura, ut linguam ſuã ab omni malo ſermõe cohibeat, & caueat ſibi, ne p labia ſua loquatur fraudem, mendaciũ, aut deceptionẽ cõtra proximũ ſuum,* Recedat *etiam à malo, & bonum ſtudioſe perficiat.* Q*uærat pacem & ſtudeat tenere. ſic ut eam apprehendat, & in ea maneat, quoniam reſpectus* Dñi *eſt erga facientes iuſtitiam, ira autẽ & toruus uultus* Dñi, *eſt contra oẽs operantes malũ.* Et *quis tandẽ uobis uel homo, uel diabolus ſecundum ueritatem ullum poterit infirre nocumentum,*

ſi uirtutis æmulatores ſitis, & bonum ſtudioſe operemini? Profecto nemo, quoniam ſecundũ ueritatem nemo homini poteſt nocere, niſi quiſque ſibijpſi. Veruntamẽ, ſi forte aliquid occurrit propter iuſtitiam ſine ueſtra culpa patiendũ, diuina uoce ex hoc beatitudo promittitur æternæ felicitatis; & beatos uox Chriſti pronunciauit. Ego aũt moneo uos, nihil eos timere ſicut cõturbemini, qui corpori tantum nocere poſſunt, poſt hoc nõ habentes quid amplius faciant. Magis autem Dñm noſtrum Chriſtum, ipſum ſanctificate in cordibus ueſtris, illum timẽdo: parati ſemper ſatisfacere cõgruis reſponſionibus et rationĩbus inſtructionibus, de ueſtra fide ac ſpe, ijs qui uos humiliter (ut doceantur) interrogauerint, aut etiã qui malitioſe oppugnare uoluerint. Nõ id quidẽ contentioſe, ſed cum modeſtia, reuerentia, & humilitate, habentes bonæ conſcientiæ teſtimoniũ de uita & cõuerſatione ueſtra: ut quantum ad id quod uobis detrahere cupiunt infideles, in ſeipſis cõfuſi erubeſcant, quærẽtes calumniari ueſtram bonã cõuerſationem & nihil caluunnia dignũ inuenientes, quæ illis poterit fieri ſuæ cõuerſionis occaſio. Melius enim uobis & ad ſalutem utilius eſt (quando oĩno Dei uoluntas & diſpoſitio uelit uos tribulationibus exercitari) ut ſine ueſtro demerito bñfacientes patiamini iniuſte, q̃ ſi tanq̃ maleſactores (utputa cõtentioſi, ſeditioſi inobedientes, & rebelles) patiamini. Mã huius rei Chriſtus nobis exẽplum reliquit, qui pro peccatis alienis, hoc eſt noſtris, nõ ſuis, ultro paſſionem & mortem ſuſtinuit, ipſe iuſtus pro nobis iniuſtis, ut nos Deo patri ꝑ mortem ſuam recõciliatos, offerret atq; exhiberet, carne quidem mortificatos, ut amplius carni nõ uiuamus: ſpiritui autem uiuificatos, ut deinceps ſecundũ ſpiritũ uiueremus. Quomodo (nẽpe in ſpiritu) ille idẽ Deus, qui his nouiſſimis temporibus in carne apparuit, etiam olim in diebus Noe, quando ex

Domini iuſſu ille fabricabat arcam, quando expectabatur patientia Dei donec ueniret finis eius, & oĩs caro interficeretur ueniens ad illos incredulos hoĩes, qui tunc in tenebroſa caligine errorũ ſuorũ iacebant demerſi: ueniens, inquã, ſpiritu, prædicauit eis ad pœnitentiã reuerti, ut poſſent cũ Noe *ſaluari inſpirando Prophetas &* Noe, *qui ex ore* Domini *populũ à malis reuocare quærebãt.* In *Illa autẽ arca* Noe, *pauci admodum, hoc eſt octo tantũ homines, euaſerunt ex aqua, & p aquã ſubleuantem arcam ſaluati ſunt.* Et *hoc ipſum nunc in* Eccleſia *tpe gratiæ, baptiſma (quod p aquam illam figurabatur, ſaluantem eos tantum qui in arca erant) facit: quia ſicut p aquam ſaluabatur arca, ſic p baptiſmum* Eccleſia. *Baptiſmum aũt dico, nõ ablutionem ſordiũ carnis noſtræ, ſed ad cõſcientiã noſtram bonã apud* Deum *cõmendandam. poſtaq̃ fuerit p ſacramẽtũ baptiſmatis emundata.* Saluat, *inquam, fidei hoc baptiſma, p uirtutẽ reſurrectionis Chriſti à mortuis: qui nũc in patris dextera reſidet glorioſus, morte deuicta & penitus deleta, nos à ditione mortis æternæ p ſuã mortem tẽporalẽ liberando: ut ab ea liberati, uitæ æternæ, modo quidẽ ſecũdũ ſpem, in futuro aũt ſecundũ poſſeſsionẽ hæredes efficeremur p ipſum: tanq̃ præcurſor noſter, ad parãdũ nobis uiã profectus in cœlũ, ſubiectos ſibi habens uniuerſos ſpirituũ ordines bonorũ pariter atq; malorum.*

CAPVT QVARTVM.

Chriſtus igitur omnium Dominus, *poſtquam per corporis paſsionem, prior ipſe præcedens exemplũ nobis paſsionis in ſeipſo mõſtrauit: uos quoque ſeruuli, huius exempli meditatione, ſitis uelut armati: ut non facile ob paſsiones corporis, malis quibuſlibet cedatis, & conſtanter uitia abnegetis.* Quoniã *in eo q, in carne paſsionis acerbitatẽ uolũtarie ſuſcepit potius quàm uoluptatem, docuit à peccatis (quæ ſunt ſecundũ carnis uoluptatẽ)*

debere nos ceſſare, & carni magis contraria et dura ſuſcipere: ſic nobis in ſeipſo exemplũ præbens, ut non ultra ſecundũ carnalia humana deſideria uiuerent homines, ſed ſecundũ uoluntatem & ſanctiſsimũ beneplacitum Dei, de cætero donec in carne permaneant, uiuant. Sufficit enim prioribus tẽporibus ſua malitia, & ſatis eſſe debet merito, quod tantis temporibus ante prædicationem Euangelij, & ante cõuerſionem noſtram, gentiles homines inſeruierint luxurijs, & omnibus malis concupiſcentijs; uinolentijs, comeſſationibus, ebrietatibus, & nefarijs atq; prophanis idololatrijs. Satis, heu nimium ſatis, iſta peregimus. Atq; in hoc mirabantur illi, qui adhuc in ſua infidelitate permanent, quod uos non uideant amplius ad ſua aduentare cõuenticula, ad eandem luxuriæ & luxus oĩs confuſionẽ, cui ipſi intendunt, & male loquuntur de uobis, propter bonã ueſtram cõuerſationẽ, indignantes uobis, eo q̃ abſtineatis à malo cõſortio eorũ. A quibus rationem exiget, & quos iudicabit ille, qui iam cõſtitutus à Deo patre expectat, ut ueniat iudicare omnes. & qui in uiuis adhuc agunt & qui iam ex uiuis exceſſerunt, Hanc enim ob cauſam, etiam infidelibus qui erant in ſua infidelitate (quaſi deſperati) mortui, annunciatum eſt patris uoluntate Euangelium Chriſti, ut ipſi ad Chriſtũ conuerſi, iudicentur quidem ab hoĩbus, & ſecundum hoĩes in corpore deſpecti habeantur, uiuant autẽ per fidem interius in ſpiritu. Verum nihil refert, ſi nunc boni à malis quaſi miſeri & infelices, ſecundum carnẽ iudicentur. Nam oĩum finis de proximo imminet, & tũc ſecundum ueritatẽ patebunt oĩa & qualis quiſq; fuerit apparebit. Itaq; chariſsimi eſtote prudentes & uigilantes (hoc eſt, intelligentes intelligentia ſpirituali, & diligentes atq; attenti) in orationibus. Super oĩa autem curate ſemper mutuam erga uos inuicem habere illæſam charitatem, quoniã fraternæ charitatis

opera multa delent peccata, & uia ſatisfactionis, fraternæ charitatis officium, multa facilè excuſat peccata. Sitis ergò inuicem hoſpitales atq; miſericordes cum animi hilaritate, ſine murmuratione. Vnuſquiſq; quã accepit à Deo gratiã, ſtudeat illam in cõmunẽ utilitatẽ proximorum cõferre: ſic ut ſitis boni diſpenſatores gratiarũ à Deo *in cõmunem utilitatem gratis datarum, quæ ſunt uariæ admodum, & in diuerſis diuerſæ.* Exempli *gratia; ſiquis ex gratia ſibi gratis data, docẽdo ſiue exhortando loquitur, ſic loquatur, quaſi ſermões nõ hominis, ſed ipſius* Dei, *ſe tantum diſpenſatorem, nõ dñm exiſtimans.* Qui *corporale aliquod exhibet ex gratia* Dei *miniſterium ſic agat, quaſi non ex ꝓpria uirtute aut fortitudine, ſed quaſi ex uirtute quã* Deus *ſibi in miniſteriũ contulit proximorũ: ut ſic in oĩbus, & ex omnibus glorificetur à quo ſunt oĩa,* Deus, *per* Ieſum Chriſtum, *cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum.* Amen. De *iſto uero perſecutionis & tribulationis igne, qui nunc feruet cõtra uos permiſſione* Dei, *ad ueſtram probationẽ, quaſi peregrinũ aliquid, nouum, & extraneum contingat, neq; conturbemini, quaſi de re abſurda & inſolita. Semper enim ex antiquis diebus, à malis perſecutionem ſuſtinuerunt boni: ſed potius in hoc gaudete, tanquã ſocij paſſionum Chriſti, qui ꝑ tribulationem nũc illi aſſimilamini, ut cum reuelatus fuerit & apparuerit in gloria ſua, gaudij etiam & exultationis eius tunc participes ſitis, in ſocietate beatitudinis illius. Sic conuitia uobis infruntur, & probra ingeruntur propter nomẽ Chriſti, quod creditis & cõfitemini: pro hoc beatitudo uobis eſt promiſſa, eritisq; uere beati: quoniam uerus & perfectus honor, & plena gloria, & tota* Dei *uirtus, & ipſe ſpiritus* Deĩ, *ad beatitudinẽ ſempiternam requieſcet ſuper uos oẽs, qui modo ꝑꝑ Chriſti fidem probra et conuitia ſuſtinueritis.* Nolim *autem ita uos pœnas & conuitia*

perpeti, eo modo quo pati ſolent fures, aut homicidæ, aut conuitiatores & blaſphemi, et qui aliena quærunt rapere, qui propter ſua facinora iuſte patiuntur. Si uero cõtingat paßiones uobis inferri titulo Chriſtianitatis, in huius nominis confeßione, glorificet Deum quiſquis patitur, quòd dignus ſit pro nomine iſto contumeliam pati. Tẽpus enim iſtud quod modo eſt, hoc ſecundum diuinam ordinationem expoſtulat, ut uenturum illud iudicium quod tam graue ueniet in futuro tpe, quodãmodo à bonis & fidelibus qui ſunt de domo & familia Dei, modo incipiat. Nã quod Deus nunc ſuos etiã electos permittit crudelibus affligi ſupplicijs, ſignum eſt præuium illius grauißimæ uindictæ, quã faciet ſuper inimicos ſuos in futuro examine. Si autem principium huius diſtricti examinis à nobis habet initium, qui ſumus in Chriſtum tamen credentes: quo fine putamus, cõſummabuntur illi, & quantum ſuſtinebunt iudicium, qui Euangelio Dei noluerunt credere? Vere exitus erit lõge dißimilis. Et ſi iuſti quidem atq; electi nõ niſi p multas difficultates multaq; pericula, q̃ ſine Dei gratia, ſola uirtute humana uix poßint effugi, ad ſalutem perducuntur: impij & infideles hoĩes, cæteriq; omnes peccatores, quomodo in cõſpectu Dei apparere audebunt, aut ubi permanebunt niſi in æternæ damnationis horroribus? Itaq; boni qui modo ſecundũ uoluntatem permißionemq; Dei patiuntur à malis, ſtudeant creatori ſuo Deo cõmendatas facere animas ſuas, per ſtudium bonorũ operum qui fidelis eſt, & ſuo tempore pro paßionibus ſui nominis gratia toleratis, redditurus eſt bonam retributionem.

CAPVT V.

Seniores tandem & preſbyteros, qui ſunt inter uos tanquã ſuper alios cõſtituti & præpoſiti, obſecro ego Petrus cõſenior & cõpreſbyter, unà uobiſcum in eodẽ paſcendi onere ex Dei præ

cepto conſtitutus, qui etiam teſtis ſum paßionum Chriſti, & earum ueridicus prædicator, futurus (ut ſpero) ſuo tp̄e illius quoq; æternæ gloriæ cõmunicator et particeps, quomodo etiã nunc ſecũdum ſpem me eſſe cognoſco. Obſecro (inquam) uos, ut ſtudioſe, tam uerbo q̃ exemplo paſcatis, curetis, cuſtodiatis, quiſq; ſibi cõmiſſas oues, id eſt, ſubditos ueſtros, diligenter & prouide ſuperintendentes, nõ quaſi ex coactione & inuiti, ſed libenter & uoluntarie, nõ propter quæſtum, qui ex hoc officio turpiter quæritur, ſed propter bonam uoluntatẽ, ex amore Dei et zelo ſalutis proximorum. Neq; tanq̃ dñm habentes et quaſi tyrannidem exercentes aduerſus ſortẽ uobis creditam, ſed ut ſitis exẽplũ ueſtris ouibus, ex bono affectu & ex corde ad hoc laborantes. Quòd ſi nunc fideliter in gregis ueſtri cura laboraueritis, cũ ille paſtorum princeps Chriſtus dñs aduenerit in gloria patris ſui ad iudicium, accipietis mercedẽ æternæ retributionis perfectam, & in ſuo uirore indeficienter permanentẽ. Quomodo autẽ ſenioribus præpoſitis mandaui diligenter gregi ſuperintendere, ſic uiciſſim adoleſcentioribus & ſubditis præcipio, ut præpoſitis ſenioribus ſint obedientes & ſubditi. Et in uniuerſum cupio oẽs erga inuicem humilitatẽ uerã demonſtrare, & in aliorum cordibus uelut notam facere: ſuperiores qdẽ ſuo modo erga inferiores, & inferiores erga ſuperiores. Quoniam dñs, ſuperbis gratiæ ſuæ beneficium denegat et ſubtrahit: humilibus autẽ, promptus eſt ſemper dare gratiã, poſcentibus: Humiliamini itaq; ſub illa omnipotẽti & plena potẽtia Dei, in illius ſeruitute & mandatis nũc perſeuerantes: ut in tp̄e extremo (quando ueniet uiſitare orbem terræ in iudicio & iuſtitia) ab eo exaltemini in gloriam æternam. Cõmittentes illi pleniſſima et certiſſima fiducia oẽm ſolicitudinem ueſtri, nihil prorſus uano timore ſoliciti: quoniã ipſe tanq̃ pater & dñs, ueſtri tanq̃

ſeruorum ac filiorum ſuorum, ſummam curam gerit. Eſtote ue ro ſobrij & in oĩbus temperantes ac uigilantes, diligenterq; ſuperintendentes animabus ueſtris quoniam diabolus aduerſarius humani generis, ex omni parte undequaq; diſcurrit, iam hunc iam illum tentans, atq; etiam eundẽ modo ſic, modo aliter oppugnans, ſemper aliquem in damnationis barathrum per os ſuum abſorbere cupiens. Veſtrum aũt eſt, per fidem & gratiã Dei quæ in uobis habitat, illi uiriliter reſiſtere & tentanti conſenſum nullo modo præbere: ſcientes & conſiderantes conſimilem perſecutionem, quam uos ſuſtinetis, etiã alijs fidelibus fratribus ueſtris, ubiuis locorum inferri ab infidelibus, ut ne exiſtimetis uos ſolos pro Chriſti nomine pſecutiões ſuſtinere. Deus autem à quo oĩs eſt gratia, qui uocauit nos ad æternam gloriã ſuam in Chriſto Ieſu, uos qui nunc modicũ quid patimini pro nomine eius: ipſe perfectos faciet p patientiã, cõfirmabitq; & ſolidabit p gratiã ſuã, ut nõ excidatis à firmitate in qua nũc ſtatis, in æternum. Ipſi eſt gloria & imperialis poteſtas, p æterna ſecula. Amen. Per Syluanum uobis fidelem fratrem (ut equidẽ arbitror, & quantum ego ſemper attendere in eo potui) ſcripſi uobis hæc breuiter, obſecrãdo ac obteſtando uobis prædicans, & pro certiſſimo affirmans, quòd hæc gratia Chriſtianæ fidei in qua uos modo ſtatis uera gratia ſit, p quam ſolam ſalus paratur humano generi. Salutem uobis aſcribi petijt fidelium Eccleſia, quæ eſt in Romana urbe, tanq̃ in medio Babylonis et cõfuſionis, p ſpiritũ ſanctũ mirabiliter cõgregata: nominatim autem Marco, in baptiſmate & eruditione filius meus. Salutate inuicem, in oſculo ſancto charitatis. Gratia ſit omnibus uobis, qui eſtis in Chriſto Ieſu fideles. Amen.

Finit Elucidatio in Epiſtolam Canonicam priorem beati Petri Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM in Epiſtolam Canonicã poſteriorẽ beati Petri Apoſtoli.

Cognoſcens per ſpiritum beatus Petrus Apoſtolus, in proximo depoſitionem ſui tabernaculi (ſic enim ipſe corporis mortẽ nominat) imminere: ad cõſolationẽ fideliũ, ſcribere eiſdem uoluit ſecundã hanc admonitoriã Epiſtolam. In cuius ſtatim exordio proponens cœleſtiũ promiſsionum pretioſiſsima dona, p fidem cõſequenda ab ijs qui corruptionẽ uitæ ſecularis ſecuti nõ fuerint, gradibus quibuſdam uſq; ad ſummũ charitatis apicem ſcãdens, ut bonorũ operum fructu nõ ſint uacui præmonet diligẽter: ne tanq̃ cæci tentantes manibus aberrẽt à propoſito termino, ſed p operũ bonorum diligens ſtudiũ, firmã curent efficere uocationẽ ſuã p quæ reddatur eis in regnũ cœleſte indubitatus introitus. Propter quod, ſe dicit illos uſq; ad mortẽ ſuã (quam nõ longe cognoſcit abeſſe) de huiſcemodi uelle cõmoneſacere, & id quidẽ ſic modo p literas, ut etiã poſt mortẽ ſuarũ admonitionũ poſsint eſſe memores. Cuius occaſione, ad ſuæ Euangelicæ prædicationis cõſtabiliendã authoritatẽ, dicit ſe in prædicando Chriſti Euangelium, non indoctas fabulas fuiſſe ſectatũ, ſed ea q̃ annunciauit de Chriſti diuinitate, didiciſſe ex firmiſsimo patris teſtimonio, quod in mõte transfigurationis audiuit: cui p oĩa Pſalmi prophetia aſtipulatur, quæ in ſuo ſtatim principio eundẽ ad filium Dei ſermonẽ dirigit quem pater de cœlo in eius glorificatione intonuit. Scripturã autẽ propheticã Lucernam nominans, cõmendat: affirmans eam humano inſtinctu edi nequaq̃ poſſe, ſed ſolo ſpiritu diuino. Capite dehinc ſecundo uenturos dicit Pſeudoprophetas nouarũ ſectarum & hæreſum adinuentores, p quos multi ſeducentur in ſuã perditionem. Quorũ grauiſsimũ iudicium, propoſitis pœnis dæmonũ peccãtium, mundi diluuio pereuntis, & Sodomitarũ igne cõflagra-

torum,ad terrorẽ ponit ante oculos multaq; aduerſus illos terribilia pronũtiat,irrationabilia pecora eos appellans, Balaam auaro Prophetæ aßimulans,fontibus ſine aqua et ſterilibus nubibus ad ignominiã eos cõparans. Illud in fine ſignanter adijciens,quemadmodũ ſub prætextu libertatis quam promittunt, animas decipiunt, ſecundũ ueritatẽ ſerui exiſtentes oĩs corruptionis,quibus,propter relapſum in infidelitatẽ ſuã, nouißima facta ſunt peiora prioribus,quibus præſtitiſſet nunq̃ fidei ſuſcepiſſe ueritatẽ,q̃ ſic nunc turpiter ad uomitum reuerti. Sequenti uero tertio capite,Epiſtolã iſtã ſe ad cõmonitionẽ ſcripſiſſe, propter uenturos Pſeudoapoſtolos aſſerit, ut cõtra illorũ doctrinas,in Apoſtolicæ prædicationis ueritate ſtabiles perſeuerent. Venturos enim dicit circa tẽpora nouißima deceptores, qui ſecundũ animalem ſuũ ſenſum oĩa æſtimare uolentes, nihil uolent credere niſi quod ſenſibus habeant cõpertũ,nõ credẽtes implendas eſſe promißiones factas fidelibus: eo q, omnia eis uideantur in mundo,ſimili curſu perdurare à principio. Aduerſum quos,Petrus ex certa præteritorũ tẽporũ ſacra hiſtoria, falſum hoc eſſe demõſtrat, oſtendens quãta olim facta ſit mutatio,quando propter peccata hoĩum aquis diluuij mundus perijt: & quid adhuc in nouißimo tp̃e iudicij futurũ expectatur, p ignem probationis,Prophetico ſpiritu prædicit. Ex immutatione quoq; & innouatione oĩum in futuro tp̃e, in retributione iuſtorum oſtendens, quomodo ſancte nos deceat in oĩbus, & in uitæ nouitate ac munditia cõuerſari, ut Chriſto dño uenturo ualeamus immaculati & inuiolati occurrere. Nec ob longam iudicis & uindictæ expectationem falſa credant,quæ ſunt à Deo prædicta aut promiſſa: ſed eius hoc longanimitati (qua noſtram miſericors expectat emendationem) potius aſcribãt, quod & Pauli coapoſtoli ſui authoritate confirmat. Cuius per

occaſionem

occaſionem ſapientiam uere diuinam cõmendans, illos notat, qui quædam in Pauli epiſtolis difficilia ad falſos ſenſus trahenda peruertebant, ſicut & in ſcripturis alijs ſemper faciunt hæretici, ad ſuam perditionẽ. A quibus eos attendere, & in gratia Dei proficere exhortatus, ita terminat Epiſtolam.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM CAnonicam poſteriorem beati Petri Apoſtoli.

CAPVT I.

Simon cognomento Petrus, ſeruus & Apoſtolus Ieſu Chriſti, ſcribit fidelibus omnibus Chriſtianis, quibus à Deo dono data eſt fides eiuſdem pretij, æqualisq; ad ſaluãdum uirtutis, ſicut & nobis primis Chriſti Apoſtolis, per iuſtitiã uerã, quæ eſt corãm Deo noſtro, & ſaluatore hoĩum Ieſu Chriſto. Gratia ſpiritſſancti, et comes illius pax uera, creſcat & abundet in uobis, uſq; ad perfectionẽ, in cognitione Dei patris, & Ieſu Chriſti filij eius. Vt cognoſcamus, quemadmodũ omnia nobis ab eius diuina uirtute, dono & gratis data ſunt, quæ ad uitã ſpiritualẽ & pietatem ueram nobis ſunt neceſſaria, per cognitionem eius ex fide, qui uocauit nos: propter ſuã gloriã & potentiam ſuã, ſecundũ propriũ beneplacitũ: per quem filium, aut propter quæ (gloriam & uirtutem ſuã) maxima nobis promiſsionum præmia, & pretioſa nimiſq; deſiderabilia, pollicitus eſt: nẽpe ut ſuo tpe abſorpti in Deitatis abyſſum, efficiamini participes diuinæ naturæ, inæſtimabili & ineffabili unione cum illo unũ facti in beatitudine modo in hoc tpe corruptionẽ illã & prauitatẽ malæ cõcupiſcentiæ (quæ in mũdo regnat) fugientes, ad cœleſtia magis deſideria ſemper aſpiretis. Vos autem hortor & moneo ut omne ſtudium omnemq; diligentiã adhibentes, coniungere ſtudeatis rectitudini fidei uir

na præueniente uiſitatione ad fidem conuerſi, glorificant & laudant Deum,*propter bonam cõuerſationem fideliũ,p quã ſe de infidelitate & errore agnoſcũt liberatos.* Illud *itaq; uos præcipue moneo,ut oĩbus per ueram humilitatem,propter* Deum *ſubijciatis uoſipſos,habendo oẽs in reuerentia,amore, & honore,quaſi ſuperiores unicuiq; in ſuo gradu & ordine*. Regi *quidem tanq̃ alijs præeminenti,& populo præpoſito: ducibus item,& inferioribus ſub rege poteſtatibus,quaſi à* Deo *deſtinatis & ad hoc deputatis,ut pro maleſactis uindictam, pro beneſactis laudẽ & præmium reddant, quod eſt adminiſtrare iuſtitiam. Sic enim* Deus *uult,& ita fieri oportet,ut p ueſtra beneſacta & cõuerſationem ueſtrã,occludatis os hoĩbus infidelibus & ueritatis ignaris,qui uos obſeruant,ut inueniant unde de uobis male loquantur. Sic aũt uos in oĩbus geratis,quaſi uera & ſpirituali libertate exiſtentes liberi.* Neq; *habeatis libertatem pro uelamine malitiæ,ſub prætextu libertatis* Euangelicæ *carnis petulantiam perficientes,quẽadmodũ faciunt qui libertatem dant in occaſionẽ carnis,rebellantes ſub ſpecie libertatis dominis ſuis tẽporalibus aut ſpiritualibus, nolentes eſſe ſubiecti:ſed ſic uos habere quaſi ſerui* Dei,*à cuius ſeruitute, uera libertas neminem ſubtrahit*. Itaq; *rurſum uos moneo, ut oĩbus honorem & reuerentiam exhibeatis,fraternam quoq; charitatem diligatis.* Deum *timeatis,& regem honore afficiatis*. Qui *aũt ſecundũ temporalem conditionẽ ſerui ſunt,obediant dominis ſuis,cũ omni reuerentia:nõ modo benignis et facilioribus, uerumetiam ſi difficiles fuerint atq; moroſi,ob hoc eos dimittere nõ poſſunt. Hæc enim eſt* Euãgelicæ *gratiæ perfectio, ſi propter timorem* Dei *(dictante cõſcientia)quis patienter ſuſtineat triſtia aut grauia, ſine cauſa aut ſuo merito eiuſmodi patiens.* Nam *quæ erit perfectio aut quæ ſupererogatio,quódue ſingu=*

lare præmium erit, ſi patienter ea tantum ſuſtineatis mala, quæ pro peccatis ueſtris infliguntur uobis? Veluti ſi quis (exempli gratia) propter peccatum ſeruus à Dño colaphis cædatur. Sic enim & fures & latrones patiuntur. Verũ, ſi poſtq̃ oĩa recte feceritis nihil mali promeriti, à moroſis tamẽ dominis ſine cauſa percutimini, & id patienter Deum habentes in conſcientia, ſuſtinetis: hæc eſt Euangelicæ perfectionis gratia, Deo placita, quam Chriſtus Dñs & uerbo docuit, & exemplo mõſtrauit. Ad hoc enim uocati eſtis, ut Chriſtum Dñm ueſtrũ imitemini. Chriſtus enim Dñs noſter, pro noſtris demeritis pati uoluit, uobis oĩbus fidelibus exẽplum in ſe relinquens ad imitandum, ut per eandem ſimiliter patientiæ uiam pergatis. Qui peccatum nullum unquam cõmiſit, nõ modo in opere, ſed neq; in uerbo doloſo aut mendacio. Qui cũ maledictis & cõtumelijs afficeretur, nõ reddebat maledicta. Cum pateretur, nõ intendebat cruciſigentibus minas: ſed uolũtarie ſe tradebat (hoc eſt, tradi permittebat) ei qui ſe eſſet iniuſte condemnaturus ſine cauſa. Qui pro peccatis noſtris pœnam ſuſtinuit, in carne ſua, in ligno crucis: ut deſtructis et expiatis peccatis noſtris, nos à peccato deinceps ceſſantes, operaremur opera iuſtitiæ: cuius uulneribus & doloribus, uos ſanati eſtis. Eratis enim ante conuerſionem, quaſi oues à recta uia & à paſtore in deuia, poſt alienos deos & falſos paſtores, aberrantes. Nunc aũt rediſſtis per pœnitentiam ad fidem conuerſi, ad illum qui eſt uere paſtor, curator & Epiſcopus animarum ueſtrarum.

CAPVT III.

Quomodo autem ſeruos præcepti dominis ſuis eſſe ſubiectos: ſic mulieres ſuis debent uiris per reuerentiam & obedientiã ſuo modo eſſe ſubiectæ, ut ſi qui forte ex uiris, propter ſuam duriciem per uerbum fidei cõuerti nõ poſſunt ad fidẽ Chriſti, ſaltẽ

exemplo bonæ conuerſationis mulierũ trahantur ad eam, ſine uerborum ſuaſionibus: quoniam efficacior eſt conuerſationis probitas, q̃ uirtus tãtum ſermonis ſine operatione. Sint, inquã, ſubditæ mulieres, diligenter & ſolicite curantes, ut ſanctam habeant cõuerſationem ſuam. Quas nolo extraneo ornatui ſuperfluo & curioſo, aut comæ curandæ & criſpandæ ſtudere, aut auro ſuperfluo adornare, aut induendo ueſtimenta nimium excedentis pretij, ſuum corpus ſuperfluis ſumptibus excolere: ſed interior homo, & ſpiritus latens, quem Deus *intuetur, ille curari debet & exornari bonis uirtutibus: quod erit, ſi ſpiritũ ſuum ſtudeant incorruptum integrumq; ſeruare, in manſuetudine, & ſilentio atq; quiete, quæ ſui ſunt officij, ſine garrulitate & contentionibus oĩa agentes, quod eſt in mulieribus maximũ ornamẽtum. Cuiuſmodi ſpiritum* Deus *maximi reputat, quiq; eſt apud* Deum *magni pretij, magnæq; æſtimationis, plus q̃ omnia corporis quæ poſſunt adhiberi ornamẽta*. Exempla *attendant ſanctarũ mulierum, de quibus in ſcripturis legimus, quòd ſperantes in* Dño, *& illi placere quærentes, ſic ſe ſpiritualibus ornamentis, p fidem & ſpem ornabant, ſubiectæ in honore & obedientia uiris ſuis. Quemadmodum (exempli gratia) Sara,* Abrahan *uocauit dñm ſuum, in oĩbus ei quaſi dño ſuo obediẽtiam præſtans. Cuius eſtis uos ſanctæ mulieres filiæ, quæ credẽtes in* Dñm, *obeditis uiris ueſtris propter* Deum, *benefaciẽtes, ſicut uobis ſecũdum* Deum *uidetur cõuerſando, & nõ pertimeſcentes ullã quæcunq; aliunde acciderit, perturbationem, quoniam iuſtus nõ cõmouebitur in æternum, & ab auditione atq; perturbatione mala nõ timebit.* Viri *autem nõ deſpiciant uxores ſuas, q̃q̃ ſubditas: ſed tanq̃ ſuis cõparibus, in coniugali actu potiſsimum, cohabitent eis ſocialiter, ſecũdum ſcientiam: id eſt, cum diſcretione & ſolicitudine, quaſi infirmioribus creaturis,*

quæ in ſe generationis ſemen & recipiunt & conſeruant ob quod debent multa cura & ſolicitudine erga eas, ſecundum ſciẽtiæ diſcretionem, uiri cõuerſari: impartiẽdo eis honorem, quaſi coniugibus & cõparibus ſuis deferendo eis in multis, & earũ neceßitatibus diligenter prouidendo, atq; etiam infirmitates ſuſtinendo, nec eis quaſi ſcortis aut ancillis abutendo. Sunt enim etiam mulieres cohæredes gratiæ Dei, quæ eſt uita æterna, & æque ad illam atq; uiri, ſi bene uiuant uocatæ, quoniam in Chriſto, non eſt maſculus neq; fœmina. Idq; uolo & præcipio, ob hoc, ne propter diſcordiam impediantur fructus orationũ ueſtrarũ, ſic ut nõ exaudiamini in orationibus ueſtris. Tandẽ uero cõcludendo particulares exhortationes, ad generalem tranſiens, hortor uos oẽs, in fide ut unanimes perſiſtatis, cõpatientes proximorũ miſerijs, fraterna charitate inuicem diligentes, miſericordes, modeſti, minimeq; ſeueri aut crudeles, humiles, nõ retaliantes mala malis, ſed potius, ecõtrario pro malo bonũ reddatis. Quoniã in hoc uocati eſtis oẽs fideles, ut æternæ fœlicitatis perfectißimam illã benedictionẽ, in hæreditatẽ ueſtrã accipiatis: propter cuius ſpem, meritò nũc ab omni maledictione temperantes, ſemper in benedictione perſtare debetis. Nam (iuxta Pſalmiſtam) Qui quærit uitam ſpiritus, & deſiderat uere bonos dies, & felicem æternitatis accipere requiem, ſit illi prima cura, ut linguam ſuã ab omni malo ſermõe cohibeat, & caueat ſibi, ne ꝑ labia ſua loquatur fraudem, mendaciũ, aut deceptionẽ cõtra proximũ ſuum, Recedat etiam à malo, & bonum ſtudioſe perficiat. Quærat pacem & ſtudeat tenere. ſic ut eam apprehendat, & in ea maneat, quoniam reſpectus Dñi eſt ergá facientes iuſtitiam, ira autẽ & toruus uultus Dñi, eſt contra oẽs operantes malũ. Et quis tandẽ uobis uel homo, uel diabolus ſecundum ueritatem ullum poterit inferre nocumentum,

ſi uirtutis æmulatores ſitis, & bonum ſtudioſe operemini? Pro*fecto nemo, quoniam ſecundũ ueritatem nemo homini poteſt nocere, niſi quiſque ſibijpſi. Veruntamẽ, ſi forte aliquid occurrit propter iuſtitiam ſine ueſtra culpa patiendũ, diuina uoce ex hoc beatitudo promittitur æternæ felicitatis, & beatos uox Chriſti pronunciauit. Ego aũt moneo uos, nihil eos timere ſic ut cõturbemini, qui corpori tantum nocere poſſunt, poſt hoc nõ habentes quid amplius faciant. Magis autem* Dñm *noſtrum Chriſtum, ipſum ſanctificate in cordibus ueſtris, illum timẽdo: parati ſemper ſatisfacere cõgruis reſponſionibus et rationĩbus inſtructionibus, de ueſtra fide ac ſpe, ijs qui uos humiliter (ut doceantur) interrogauerint, aut etiã qui malitioſe oppugnare uoluerint. Nõ id quidẽ contentioſe, ſed cum modeſtia, reuerentia, & humilitate, habentes bonæ conſcientiæ teſtimoniũ de uita & cõuerſatione ueſtra: ut quantum ad id quod uobis detrahere cupiunt infideles, in ſeipſis cõfuſi erubeſcant, quærẽtes calumniari ueſtram bonã cõuerſationem & nihil caluannia dignũ inuenientes, quæ illis poterit fieri ſuæ cõuerſionis occaſio. Melius enim uobis & ad ſalutem utilius eſt (quando oĩno* Dei *uoluntas & diſpoſitio uelit uos tribulationibus exercitari) ut ſine ueſtro demerito bñfacientes patiamini iniuſte, q̃ ſi tanq̃ malefactores (utputa cõtentioſi, ſeditioſi inobedientes, & rebelles) patiamini. Nã huius rei Chriſtus nobis exẽplum reliquit, qui pro peccatis alienis, hoc eſt noſtris, nõ ſuis, ultro paßionem & mortem ſuſtinuit, ipſe iuſtus pro nobis iniuſtis, ut nos* Deo *patri ꝑ mortem ſuam recõciliatos, offerret atq; exhiberet, carne quidem mortificatos, ut amplius carni nõ uiuamus: ſpiritui autem uiuificatos, ut deinceps ſecundũ ſpiritũ uiueremus.* Quo*modo (nẽpe in ſpiritu) ille idẽ* Deus, *qui his nouißimis temporibus in carne apparuit, etiam olim in diebus* Noe, *quando ex*

Domini iuſſu ille fabricabat arcam, quando expectabatur patientia Dei donec ueniret finis eius, & oĩs caro interficeretur ueniens ad illos incredulos hoĩes, qui tunc in tenebroſa caligine errorũ ſuorũ iacebant demerſi: ueniens, inquã, ſpiritu, prædicauit eis ad pœnitentiã reuerti, ut poſſent cũ Noe ſaluari inſpirando Prophetas & Noe, qui ex ore Domini populũ à malis reuocare quærebãt. In Illa autẽ arca Noe, pauci admodum, hoc eſt octo tantũ homines, euaſerunt ex aqua, & ꝑ aquã ſubleuantem arcam ſaluati ſunt. Et hoc ipſum nunc in Eccleſia tpe gratiæ, baptiſma (quod ꝑ aquam illam figurabatur, ſaluantem eos tantum qui in arca erant) facit: quia ſicut ꝑ aquam ſaluabatur arca, ſic ꝑ baptiſmum Eccleſia. Baptiſmum aũt dico, nõ ablutionem ſordiũ carnis noſtræ, ſed ad cõſcientiã noſtram bonã apud Deum cõmendandam. poſteaq̃ fuerit ꝑ ſacramẽtũ baptiſmatis emundata. Saluat, inquam, fidei hoc baptiſma, ꝑ uirtutẽ reſurrectionis Chriſti à mortuis: qui nũc in patris dextera reſidet glorioſus, morte deuicta & penitus deleta, nos à ditione mortis æternæ ꝑ ſuã mortem tẽporalẽ liberando: ut ab ea liberati, uitæ æternæ, modo quidẽ ſecũdũ ſpem, in futuro aũt ſecundũ poſſeſsionẽ hæredes efficeremur ꝑ ipſum: tanq̃ præcurſor noſter, ad parãdũ nobis uiã profectus in cœlũ, ſubiectos ſibi habens uniuerſos ſpirituũ ordines bonorũ pariter atq; malorum.

CAPVT QVARTVM.

Chriſtus igitur omnium Dominus, poſtquam per corporis paſsionem, prior ipſe præcedens exemplũ nobis paſsionis in ſeipſo mõſtrauit: uos quoque ſeruuli, huius exempli meditatione, ſitis uelut armati: ut non facile ob paſsiones corporis, malis quibuſlibet cedatis, & conſtanter uitia abnegetis. Quoniã in eo ꝙ in carne paſsionis acerbitatẽ uolũtarie ſuſcepit potius quàm uoluptatem, docuit à peccatis (quæ ſunt ſecundũ carnis uoluptatẽ)

debere nos ceſſare, & carni magis contraria et dura ſuſcipere: ſic nobis in ſeipſo exemplũ præbens, ut non ultra ſecundũ carnalia humana deſideria uiuerent homines, ſed ſecundũ uoluntatem & ſanctiſsimũ beneplacitum Dei, *de cætero donec in carne permaneant, uiuant. Sufficit enim prioribus tẽporibus ſua malitia, & ſatis eſſe debet merito, quod tantis temporibus ante prædicationem* Euangelij, *& ante cõuerſionem noſtram, gentiles homines inſeruierint luxurijs, & omnibus malis concupiſcentijs; uinolentijs, comeſſationibus, ebrietatibus, & nefarijs atq; prophanis idololatrijs. Satis, heu nimium ſatis, iſta peregimus. At q; in hoc mirabantur illi, qui adhuc in ſua infidelitate permanent, quod uos non uideant amplius ad ſua aduentare cõuenticula, ad eandem luxuriæ & luxus oĩs confuſionẽ, cui ipſi intendunt, & male loquuntur de uobis, propter bonã ueſtram cõuerſationẽ, indignantes uobis, eo q; abſtineatis à malo cõſortio eorũ. A quibus rationem exiget, & quos iudicabit ille, qui iam cõſtitutus à* Deo *patre expectat, ut ueniat iudicare omnes. & qui in uiuis adhuc agunt & qui iam ex uiuis exceſſerunt,* Hanc *enim ob cauſam, etiam infidelibus qui erant in ſua infidelitate (quaſi deſperati) mortui, annunciatum eſt patris uoluntate* Euangelium *Chriſti, ut ipſi ad Chriſtũ conuerſi, iudicentur quidem ab hoĩbus, & ſecundum hoĩes in corpore deſpecti habeantur, uiuant autẽ per fidem interius in ſpiritu.* Verum *nihil refert, ſi nunc boni à malis quaſi miſeri & infelices, ſecundum carnẽ iudicentur.* Nam *oĩum finis de proximo imminet, & tũc ſecundum ueritatẽ patebunt oĩa & qualis quiſq; fuerit apparebit.* Itaq; *chariſsimi eſtote prudentes & uiglantes (hoc eſt, intelligentes intelligentia ſpirituali, & diligentes atq; attenti) in orationibus. Super oĩa autem curate ſemper mutuam erga uos inuicem habere illæſam charitatem, quoniã fraternæ charitatis*

opera multa delent peccata, & uia ſatisfactionis, fraternæ charitatis officium, multa facile excuſat peccata. Sitis erga inuicem hoſpitales atq; miſericordes cum animi hilaritate, ſine murmuratione. Vnuſquiſq; quã accepit à Deo gratiã, ſtudeat illam in cõmunẽ utilitatẽ proximorum cõferre: ſic ut ſitis boni diſpenſatores gratiarũ à Deo in cõmunem utilitatem gratis datarum, quæ ſunt uariæ admodum, & in diuerſis diuerſæ. Exempli gratia; ſiquis ex gratia ſibi gratis data, docẽdo ſiue exhortando loquitur, ſic loquatur, quaſi ſermões nõ hominis, ſed ipſius Dei, ſe tantum diſpenſatorem, nõ dñm exiſtimans. Qui corporale aliquod exhibet ex gratia Dei miniſterium ſic agat, quaſi non ex ꝓpria uirtute aut fortitudine, ſed quaſi ex uirtute quã Deus ſibi in miniſteriũ contulit proximorũ: ut ſic in oĩbus, & ex omnibus glorificetur à quo ſunt oĩa, Deus, per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen. De iſto uero perſecutionis & tribulationis igne, qui nunc feruet cõtra uos permiſſione Dei, ad ueſtram probationẽ, quaſi peregrinũ aliquid, nouum, & extraneum contingat, neq; conturbemini, quaſi de re abſurda & inſolita. Semper enim ex antiquis diebus, à malis perſecutionem ſuſtinuerunt boni: ſed potius in hoc gaudete, tanq̃ ſocij paſſionum Chriſti, qui ꝑ tribulationem nũc illi aſſimilamini, ut cum reuelatus fuerit & apparuerit in gloria ſua, gaudij etiam & exultationis eius tunc participes ſitis, in ſocietate beatitudinis illius. Sic conuitia uobis infruntur, & probra ingeruntur propter nomẽ Chriſti, quod creditis & cõfitemini: pro hoc beatitudo uobis eſt promiſſa, eritisq; uere beati: quoniam uerus & perfectus honor, & plena gloria, & tota Dei uirtus, & ipſe ſpiritus Dei, ad beatitudinẽ ſempiternam requieſcet ſuper uos oẽs, qui modo ꝑꝑ Chriſti fidem probra et conuitia ſuſtinueritis. Nolim autem ita uos pœnas & conuitia

perpeti, eo modo quo pati ſolent fures, aut homicidæ, aut conuitiatores & blaſphemi, et qui aliena quærunt rapere, qui propter ſua facinora iuſte patiuntur. Si uero cõtingat paßiones uobis inferri titulo Chriſtianitatis, in huius nominis confeßione, glorificet Deum quiſquis patitur, quòd dignus ſit pro nomine iſto contumeliam pati. Tẽpus enim iſtud quod modo eſt, hoc ſecundum diuinam ordinationem expoſtulat, ut uenturum illud iudicium quod tam graue ueniet in futuro tp̃e, quodãmodo à bonis & fidelibus qui ſunt de domo & familia Dei, modo incipiat. Nã quod Deus nunc ſuos etiã electos permittit crudelibus affligi ſupplicijs, ſignum eſt præuium illius grauißimæ uindictæ, quã faciet ſuper inimicos ſuos in futuro examine. Si autem principium huius diſtricti examinis à nobis habet initium, qui ſumus in Chriſtum tamen credentes: quo fine putamus, cõſummabuntur illi, & quantum ſuſtinebunt iudicium, qui Euangelio Dei noluerunt credere? Vere exitus erit lõge dißimilis. Et ſi iuſti quidem atq; electi nõ niſi p̃ multas difficultates multaq; pericula, q̃ ſine Dei gratia, ſola uirtute humana uix poßint effugi, ad ſalutem perducuntur: impij & infideles hoĩes, cæteriq; omnes peccatores, quomodo in cõſpectu Dei apparere audebunt, aut ubi permanebunt niſi in æternæ damnationis horroribus? Itaq; boni qui modo ſecundũ uoluntatem permißionemq; Dei patiuntur à malis, ſtudeant creatori ſuo Deo cõmendatas facere animas ſuas, per ſtudium bonorũ operum qui fidelis eſt, & ſuo tempore pro paßionibus ſui nominis gratia toleratis, redditurus eſt bonam retributionem.

CAPVT V.

Seniores tandem & preſbyteros, qui ſunt inter uos tanquã ſuper alios cõſtituti & præpoſiti, obſecro ego Petrus cõſenior & cõpreſbyter, unà uobiſcum in eodẽ paſcendi onere ex Dei præ

cepto conſtitutus, qui etiam teſtis ſum paſsionum Chriſti, & earum ueridicus prædicator, futurus (ut ſpero) ſuo tpe illius quoq; æternæ gloriæ cõmunicator et particeps, quomodo etiã nunc ſecũdum ſpem me eſſe cognoſco. Obſecro (inquam) uos, ut ſtudioſe, tam uerbo q̃ exemplo paſcatis, curetis, cuſtodiatis, quiſq; ſibi cõmiſſas oues, id eſt, ſubditos ueſtros, diligenter & prouide ſuperintendentes, nõ quaſi ex coactione & inuiti, ſed libenter & uoluntarie, nõ propter quæſtum, qui ex hoc officio turpiter quæritur, ſed propter bonam uoluntatẽ, ex amore Dei et zelo ſalutis proximorum. Neq; tanq̃ dñm habentes et quaſi tyrannidem exercentes aduerſus ſortẽ uobis creditam, ſed ut ſitis exẽplũ ueſtris ouibus, ex bono affectu & ex corde ad hoc laborantes. Quòd ſi nunc fideliter in gregis ueſtri cura laboraueritis, cũ ille paſtorum princeps Chriſtus dñs aduenerit in gloria patris ſui ad iudicium, accipietis mercedẽ æternæ retributionis perfectam, & in ſuo uirore indeficienter permanentẽ. Quomodo autẽ ſenioribus præpoſitis mandaui diligenter gregi ſuperintendere, ſic uiciſsim adoleſcentioribus & ſubditis præcipio, ut præpoſitis ſenioribus ſint obedientes & ſubditi. Et in uniuerſum cupio oẽs erga inuicem humilitatẽ uerã demonſtrare, & in aliorum cordibus uelut notam facere: ſuperiores qdẽ ſuo modo erga inferiores, & inferiores erga ſuperiores. Quoniam dñs, ſuperbis gratiæ ſuæ beneficium denegat et ſubtrahit: humilibus autẽ, promptus eſt ſemper dare gratiã, poſcentibus: Humiliamini itaq; ſub illa omnipotẽti & plena potẽtia Dei, in illius ſeruitute & mandatis nũc perſeuerantes: ut in tpe extremo (quando ueniet uiſitare orbem terræ in iudicio & iuſtitia) ab eo exaltemini in gloriam æternam. Cõmittentes illi pleniſsima et certiſsima fiducia oẽm ſolicitudinem ueſtri, nihil prorſus uano timore ſoliciti: quoniã ipſe tanq̃ pater & dñs, ueſtri tanq̃

ſeruorum ac filiorum ſuorum, ſummam curam gerit. Eſtote uero ſobrij & in oĩbus temperantes ac uigilantes, diligenterq́; ſuperintendentes animabus ueſtris quoniam diabolus aduerſarius humani generis, ex omni parte undequaq; diſcurrit, iam hunc iam illum tentans, atq; etiam eundẽ modo ſic, modo aliter oppugnans, ſemper aliquem in damnationis barathrum per os ſuum abſorbere cupiens. Veſtrum aũt eſt, per fidem & gratiã Dei quæ in uobis habitat, illi uiriliter reſiſtere & tentanti conſenſum nullo modo præbere: ſcientes & conſiderantes conſimilem perſecutionem, quam uos ſuſtinetis, etiã alijs fidelibus fratribus ueſtris, ubiuis locorum inferri ab infidelibus, ut ne exiſtimetis uos ſolos pro Chriſti nomine pſecutiões ſuſtinere. Deus autem à quo oĩs eſt gratia, qui uocauit nos ad æternam gloriã ſuam in Chriſto Ieſu, uos qui nunc modicũ quid patimini pro nomine eius; ipſe perfectos faciet p patientiã, cõfirmabitq́; & ſolidabit p gratiã ſuã, ut nõ excidatis à firmitate in qua nũc ſtatis, in æternum. Ipſi eſt gloria & imperialis poteſtas, p æterna ſecula. Amen. Per Syluanum uobis fidelem fratrem (ut equidẽ arbitror, & quantum ego ſemper attendere in eo potui) ſcripſi uobis hæc breuiter, obſecrãdo ac obteſtando uobis prædicans, & pro certiſſimo affirmans, quòd hæc gratia Chriſtianæ fidei in qua uos modo ſtatis uera gratia ſit, p quam ſolam ſalus paratur humano generi. Salutem uobis aſcribi petijt fidelium Eccleſia, quæ eſt in Romana urbe, tanq̃ in medio Babylonis et cõfuſionis, p ſpiritũ ſanctũ mirabiliter cõgregata: nominatim autem Marco, in baptiſmate & eruditione filius meus. Salutate inuicem, in oſculo ſancto charitatis. Gratia ſit omnibus uobis, qui eſtis in Chriſto Ieſu fideles. Amen.

Finit Elucidatio in Epiſtolam Canonicam priorem beati Petri Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM in Epiſtolam Canonicã poſteriorẽ beati Petri Apoſtoli.

Cognoſcens per ſpiritum beatus Petrus Apoſtolus, in proximo depoſitionem ſui tabernaculi (ſic enim ipſe corporis mortẽ nominat) imminere: ad cõſolationẽ fideliũ, ſcribere eiſdem uoluit ſecundã hanc admonitoriã Epiſtolam. In cuius ſtatim exordio proponens cœleſtiũ promiſsionum pretioſiſsima dona, p fidem cõſequenda ab ijs qui corruptionẽ uitæ ſecularis ſecuti nõ fuerint, gradibus quibuſdam uſq; ad ſummũ charitatis apicem ſcãdens, ut bonorũ operum fructu nõ ſint uacui præmonet diligẽter: ne tanq̃ cæci tentantes manibus aberrẽt à propoſito termino, ſed p operũ bonorum diligens ſtudiũ, firmã curent efficere uocationẽ ſuã p quæ reddatur eis in regnũ cœleſte indubitatus introitus. Propter quod, ſe dicit illos uſq; ad mortẽ ſuã (quam nõ longe cognoſcit abeſſe) de huiſcemodi uelle cõmoneſacere, & id quidẽ ſic modo p literas, ut etiã poſt mortẽ ſuarũ admonitionũ poſsint eſſe memores. Cuius occaſione, ad ſuæ Euangelicæ prædicationis cõſtabiliendã authoritatẽ, dicit ſe in prædicando Chriſti Euangelium, non indoctas fabulas fuiſſe ſectatũ, ſed ea q̃ annunciauit de Chriſti diuinitate, didiciſſe ex firmiſsimo patris teſtimonio, quod in mõte transfigurationis audiuit: cui p oĩa Pſalmi prophetia aſtipulatur, quæ in ſuo ſtatim principio eundẽ ad filium Dei ſermonẽ dirigit quem pater de cœlo in eius glorificatione intonuit. Scripturã autẽ propheticã Lucernam nominans, cõmendat: affirmans eam humano inſtinctu edi nequaq̃ poſſe, ſed ſolo ſpiritu diuino. Capite dehinc ſecundo uenturos dicit Pſeudoprophetas nouarũ ſectarum & hæreſum adinuentores, p quos multi ſeducentur in ſuã perditionem. Quorũ grauiſsimũ iudicium, propoſitis pœnis dæmonũ peccãtium, mundi diluuio pereuntis, & Sodomitarũ igne cõflagra-

torum, ad terrorē ponit ante oculos multaq; aduerſus illos terribilia pronūtiat, irrationabilia pecora eos appellans, Balaam auaro Prophetæ aſsimulans, fontibus ſine aqua et ſterilibus nubibus ad ignominiā eos cōparans. Illud in fine ſignanter adijciens, quemadmodū ſub prætextu libertatis quam promittunt, animas decipiunt, ſecundū ueritatē ſerui exiſtentes oīs corruptionis, quibus, propter relapſum in infidelitatē ſuā, nouiſsima facta ſunt peiora prioribus, quibus præſtitiſſet nunq̄ fidei ſuſcepiſſe ueritatē, q̄ ſic nunc turpiter ad uomitum reuerti. Sequenti uero tertio capite, Epiſtolā iſtā ſe ad cōmonitionē ſcripſiſſe, propter uenturos Pſeudoapoſtolos aſſerit, ut cōtra illorū doctrinas, in Apoſtolicæ prædicationis ueritate ſtabiles perſeuerent. Venturos enim dicit circa tēpora nouiſsima deceptores, qui ſecundū animalem ſuū ſenſum oīa æſtimare uolentes, nihil uolent credere niſi quod ſenſibus habeant cōpertū, nō credētes implendas eſſe promiſsiones factas fidelibus: eo q, omnia eis uideantur in mundo, ſimili curſu perdurare à principio. Aduerſum quos, Petrus ex certa præteritorū tēporū ſacra hiſtoria, falſum hoc eſſe demōſtrat, oſtendens quāta olim facta ſit mutatio, quando propter peccata hoīum aquis diluuij mundus perijt: & quid adhuc in nouiſsimo tp̄e iudicij futurū expectatur, p ignem probationis, Prophetico ſpiritu prædicit. Ex immutatione quoq; & innouatione oīum in futuro tp̄e, in retributione iuſtorum oſtendens, quomodo ſancte nos deceat in oībus, & in uitæ nouitate ac munditia cōuerſari, ut Chriſto dn̄o uenturo ualeamus immaculati & inuiolati occurrere. Nec ob longam iudicis & uindictæ expectationem falſa credant, quæ ſunt à Deo prædicta aut promiſſa: ſed eius hoc longanimitati (qua noſtram miſericors expectat emendationem) potius aſcribāt, quod & Pauli coapoſtoli ſui authoritate confirmat. Cuius per-

occaſionem

occaſionem ſapientiam uere diuinam cōmendans, illos notat, qui quædam in Pauli epiſtolis difficilia ad falſos ſenſus trahen=da peruertebant, ſicut & in ſcripturis alijs ſemper faciunt hæ=retici, ad ſuam perditionē. A quibus eos attendere, & in gratia Dei proficere exhortatus, ita terminat Epiſtolam.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM CA=nonicam poſteriorem beati Petri Apoſtoli.

CAPVT I.

SImon cognomento Petrus, ſeruus & Apo=ſtolus Ieſu Chriſti, ſcribit fidelibus omni=bus Chriſtianis, quibus à Deo dono data eſt fides eiuſdem pretij, æqualiſq́; ad ſaluãdum uirtutis, ſicut & nobis primis Chriſti Apo ſtolis, per iuſtitiã uerã, quæ eſt coràm Deo noſtro, & ſaluatore hoĩum Ieſu Chriſto. Gratia ſpiritſſancti, et comes illius pax ue ra, creſcat & abundet in uobis, uſq; ad perfectionẽ, in cognitio ne Dei patris, & Ieſu Chriſti filij eius. Vt cognoſcamus, quem admodũ omnia nobis ab eius diuina uirtute, dono & gratis da ta ſunt, quæ ad uitã ſpiritualẽ & pietatem ueram nobis ſunt ne ceſſaria, per cognitionem eius ex fide, qui uocauit nos: propter ſuã gloriã & potentiam ſuã, ſecundũ propriũ beneplacitũ: per quem filium, aut propter quæ (gloriam & uirtutem ſuã) ma=xima nobis promiſsionum præmia, & pretioſa nimiſq́; deſide rabilia, pollicitus eſt: nẽpe ut ſuo tpe abſorpti in Deitatis abyſ=ſum, efficiamini participes diuinæ naturæ, inæſtimabili & inef fabili unione cum illo unũ facti in beatitudine modo in hoc tpe corruptionẽ illã & prauitatẽ malæ cõcupiſcentiæ (quæ in mũ do regnat) fugientes, ad cœleſtia magis deſideria ſemper aſpi=retis. Vos autem hortor & moneo ut omne ſtudium omnemq́; diligentiã adhibentes, coniungere ſtudeatis rectitudini fidei uir

tutem & fortitudinem bonæ operationis, ſanctæq; cõuerſatio=nis. Virtuti aũt huiuſcemodi, ne p̃ immoderantiã feruoris exce dat, diſcretionis adſit ſciẽtia. Scientia aũt externarum rerũ, q̃a uana foret, niſi ab ijs quæ ſcit uana eſſe et tẽporaria abſtineret: iccirco abſtinẽtiã requirit comitẽ. Rurſum, quia parum admo=dum cõfert, ab illicitis & ſuperfluis abſtinere: niſi occurrentia etiã mala noſcamus ſuſtinere, iccirco debet abſtinẽtiæ adeſſe pa tientia: quã deinde pia debet erga Deũ & hõies affectio comi=tari. Quæ, ut non pure ſit naturalis, ſitq; apud Deũ meritoria, fraternũ habeat uerũ amorẽ. Cui cũ aduenerit charitas, & er=ga Deum, ſicut oportet, ſuper oĩa dilectio, cõſummatio habe=tur ſpiritualis ædificij, & ueræ perfectionis. Hæc enim ſi in uo bis habueritis, & abũdanter ſiue etiã ſufficienter in uobis exti terint: certum habete, quod uos reddent in fide & cognitione Chriſti plenos bonorũ operũ fructibus, minimeq; uacuos aut egenos. Cui uero hæc defuerint, quantũuis ſibi uideatur ſciens ac doctus, cæcus tamen eſt, uiſum mentis nõ habens ſanum & integrum, & uiam inuenire neſciens, ſimilis cæco qui manu pa rietem palpat. Et oblitus uidetur talis ille, quemadmodum olim à ueteribus ſuis peccatis fuerit purgatus, quæ denuo miſer reſu mit: & in q̃bus iterum ambulat. Quapropter fratres mei, hor tor uos ſolicitos eſſe, & ſtudioſe curare, ut p̃ bonarum actionũ aſſiduũ ſtudiũ, digne uiuatis uocatione qua uocati eſtis, atq; ita ueſtram electionẽ iſtã (qua modo ad fidẽ & ad ſpem æternæ re tributionis, poſtmodũ ſuo tp̃e accipiendæ, uocati eſtis) ſic fir=man faciatis, ut ab ea nunq̃ p̃ peccatum excidatis: quẽadmodũ contingit ijs, qui à bonis operibus ſunt ocioſi, in mortua ſua fi=de ſpem habentes. Nam ſic facientes (ut modo diximus) & in eiuſmodi uirtutibus bonis operibus aſſidue uacantes, abſtinebi tis à malitijs peccatorũ, et inſuper etiã coaceruabitis uobiſipſis,

magnum cumulum meritorũ, quæ uos inducant in æternũ illud regnũ cœlorũ, cuius eſt rex & princeps dñs noſter Ieſus Chriſtus, quo nõ patebit introitus illis, qui modo ſe exhibent à bonis actionibus ocioſos. Ob hoc, nõ deſinã neq; ceſſabo uos cõmoneſacere de huiuſmodi, tametſi ſatis exiſtimem uos iſta iam ſcire p ſpeculationẽ, & in ueritate iſta Chriſtiani dogmatis (de qua in præſentiarũ loquimur) ſatis cõfirmatos. Ego aũt hoc iuſtum & æquũ exiſtimo, eo q pastor ſim ueſtrũ oium, excitare aĩos ueſtros p meas admonitiones frequẽtes: magis ut uos admoneam, q̃ ut aliquid edoceã quãdiu in hoc corporis tabernaculo me dñs militare decreuerit, certificatus diuina reuelatione quod in proximo imminet mors mea & ex uitio corporis mei, quod quaſi animæ tabernaculũ mecum ipſe circũfero: quẽadmodũ mihi indicauit & prædixit dñs Ieſus Chriſtus: idq; ſiue p ſpiritualẽ reuelationẽ, ſiue p corporalẽ apparitionẽ. Curabo aũt interim dũ in uiuis ago, tã diligenter ac ſedulo uos commoneſacere: ut etiã poſt meũ obitũ habeatis in Epiſtolis ac ſcriptis meis, unde poßitis etiã tũc harum rerũ memoriam facere, & iſta eadẽ tunc (me mortuo) meditari, q̃ dum uiuerẽ diligẽter inculcaui, et moriens ſcripto reliqui. Et ſanè digna eſt hæc quã uos docuimus fidei doctrina, q̃ tam ſolicite imprimatur ueſtris animis. Nã in prædicatione qua uobis notã fecimus uirtutem dñi noſtri Ieſu Chriſti, quã fecit in humani generis mirabili redemptione, & aduentum præſentiæ eius, quẽ ab æterno pater præſciuerat atq; præordinauerat: Hæc, inquã, uobis annunciantes, nõ ſumus ſectati uanos aut fabuloſos ſermones, nec innixi ſumus illorũ authoritati: ſed facti prius ſpeculatores, cõſpectores, & cõtemplatores glorioſæ eius maieſtatis, q̃ nobis in eius transfiguratione ſe cõtemplandam exhibuit. Accipiens enim à Deo patre in ſua transfiguratione magnam claritatis gloriã, et

mirabili honore circundatus, quando apparuerunt cũ eo Moy ſes & Helias loquentes, uoce inſuper de cœlo à magnificentia paternæ maieſtatis, demiſſa ſuper eũ, & de eo prolata, q̃ erat huiuſcemodi. Hic eſt filius meus dilectus, ĩ quo mihi cõplacuit: ipſum audite. Sic, inquam, certũ accepimus, tam uiſu q̃ auditu, teſtimoniũ ueritatis. Et hanc uocem noſipſi audiuimus de cœlo ſuper eum prolatam, ego & Iacobus, & Ioãnes, qui præſentes aderamus: & cuncta hæc oculis cõſpeximus, et auribus noſtris audiuimus, cũ eſſemus cũ ipſo in mõte excelſo, qui pp hoc admirabile transfigurationis opus, merito ſanctus debet nominari atq; haberi. Et habemus huic teſtimonio cõſonantẽ Propheticum ſermonẽ, qui amplius etiã noſtrã hanc ueritatẽ cõfirmat atq; certificat quemadmodũ in Pſalmo ex patris pſona dicitur Filius meus es tu, ego hodie genui te. Cui ſermoni prophetico, quod attenditis & fidem habetis, benefacitis. Sic enim eſt ſcriptura prophetica, quaſi lucerna illuminans locũ tenebroſum et caliginoſum: illuminans nũc in uia iſta tenebras ignorantiæ noſtræ, uſq; dum ueniamus in illam uenturi ſeculi claritatẽ, quando ſeipſum nobis manifeſta uiſione dabit cõſpiciendũ uerus ille lucem ferens, ſol iuſtitiæ, Chriſtus dñs noſter. Nã illic ſcripturarum adminiculo nihil opus erit nobis, ubi oĩa uidebimus clara & aperta uiſione. Verũ hoc primum intelligatis expedit, pro ſcripturarum dignitate, & fide indubitata, quòd oĩs ſcriptura Prophetica, humana cõpoſitione atq; enunciatione nõ fit, neq; ſic eſt accipienda, quaſi doctrina quã de ſuo proprio corde homo pronunciauerit. Nõ enim unquã fuit prolata ulla ꝓphetia, ex corde humano, ſine ſpeciali ſpiritusſancti inſpiratione. Nam quod ſic ꝓfert homo ex ſuo corde iuxta ſuã uolũtatẽ, Prophetia dici nõ meretur nec debet, ſed ſpiritu ſancto inſpirati illuminati, & edocti, ſic locuti ſunt ſancti hoĩes Deo placiti, ſecundũ

quod ſpirituſſanctus qui in eis operabatur, ſuggerebat: ita ut principalis ſit apud ſpiritum ſanctum omnium ſcripturarum authoritas, homo autem non niſi miniſter ſit uerbi.

CAPVT II.

Ne *uero omni ſpiritui fidem habeatis ſine probationis diſcretiõe: hoc uos præmonitos uolo, quòd ſicut in prioribus temporibus fuerunt in populo falſi* Prophetæ, *qui pro ueris* Prophetis *ſe demonſtrabant hoĩbus, ſic & in populo fideliũ* Chriſtianorũ *exurgent falſi doctores, qui ſectas & hæreſes introducẽt, quibus populi fidelis unitatẽ conturbent atq; diſrumpant, &* Deũ *qui eos ſui ſanguinis pretio emit (hoc eſt, Chriſtũ dñm) negabunt, nõ recte de illo credentes & cõfitentes, quõ oportet: hoc ipſo ſuæ infidelitatis demerito conciliantes ſibi, & cõparantes æternæ damnationis interitũ, qui in proximo adueniet.* Et *multos qdẽ ex auditoribus habebunt ſectatores ſuæ perditæ luxuriæ & carnalis prædicationis, ꝓ quos, tã doctores q̃ auditores, ueritatis uia & fidei rectitudo blaſphemabitur, ſic ut ei nõ erubeſcant contradicere, tam uerbo conuerſatione ſua peruerſa.* Et *ꝑ auaritiam, quæſtus gratia, uerbis ſecundũ fictionẽ ad decipiendũ cõpoſitis, quomodo ſuos ſectatores expilare & expoliare ualeant, tractabunt.* Q*uibus iã proximũ eſt æternæ cõdẽnationis iudiciũ, perditio quoq; damnationis uenire nõ tardat, ſed in proximo ſuper eos manifeſte ueniet. Si enim* D*eus angelicis illis ſpiritibus peccantibus nõ pepercit ab ultione & uindicta, ſed grauiſſimam eis æternam pœnam ꝑ peccatum inflixit, ita ut de cœlo deiectos, in inferni dãnatione eos alligauerit, catenis & funibus nunq̃ cõterendis (hoc eſt, obligatione & ſententia æternæ mortis, à qua nunq̃ abſoluentur) illicq; tradiderit, quaſi in cuſtodia, & cruciandos modo, & reſeruandos in nouiſſimũ iudicij magni diem; ut tunc corãm oĩbus iudiciũ plenũ*

& ignominiam accipiant cũ ſuis ſeruitoribus, quando dicetur: Ite maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Si etiã Deus illius primi mũdi (qui adhuc ĩ originis ſuæ ſtatu perdurabat) hoĩbus peccatoribus nõ pepercit ab ultione, ſed diluuiũ uniuerſale, toti mundo quẽ inhabitabãt impij hoĩes ſuperinduxit, atq; ita perdidit impios, ſolũ illum Noe liberans & ſeruans cũ ſua familia, octauum generationis ſerie ab Adã, qui tam uerbo q̃ exẽplo iuſtitiã prædicauit, & in ſe eã perfecte cuſtodiens, & alios ad idem ut potuit exhortans. Si rurſum Sodomã & Gomorrã & totam ſimul Pentapolim, ob inhabitantium ſcelera, tali damnauit euerſionis ſententia, ut eas in cinerẽ p̃ ignẽ de cœlo demiſſum reſolueret, ſic illorũ pœnã in exẽplũ ponẽs oĩum qui poſtmodũ impie eſſent acturi, ut ſcirent ſe ſiili damnatione puniẽdos. Ex quibus oĩbus, ſolum Loth uirum iuſtũ, quẽ nefandiſſimi illi filij Belial iniuſte opprimebant, pp̃ ſuã luxurioſam & innaturalẽ cõuerſationẽ uim ei facientes uehementiſſime, eruit ac liberauit, cũ ſuis educẽs illũ p̃ manus angelorum, quos excepit hoſpitio. Erat enim ille uiſu & auditu & modis oĩbus caſtus, purus, & iuſtus, habitans in medio iniquorum hoĩum, qui ſuis malis operibus quotidie eius ſpiritũ uehementer affligebant. Et uniuerſaliter hoc uerũ conſpicimus, ex multis exẽplis quod nouit Deus & poteſt, qñ uult pios hoĩes eripere de manibus iniquorũ. Iniquos uero in diẽ iudicij reſeruare, interim etiam cruciandos, & tũc plenius, quãdo cũ corpore ſimul & aĩa, ut hic peccauerũt, ita illic punientur. Si, inquam, nõ pepercit angelis, nec mundo origināli, nec Sodomæ, nec Gomorræ: indubie quoq; uentura eſt perditio ſuper hoĩes iſtos falſos doctores, & ueritatis blaſphematores. Potiſſimũ autem cruciabuntur in nouiſſimo, & damnationem non euadent, qui carnalẽ ſequentes appetitũ uiuunt & cõuerſantur ſecundũ

immundiciam corruptæ concupiſcentiæ ſuæ, dominationemq́; agnoſcere præ ſuperbia uolunt Chriſtum dñm negantes, & tẽporalibus dominis inobedientes, hoĩes male audaces, ſibiјpſis mirum in modum placentes, qui nihil uerentur ſectis atq; hæreſibus unitatem fidelium diſrumpere, male loqui tam de Deo *q̃ de alijs conſueuerunt, ad oĩa maledicta promptiſſimi.* Nihil, *inquam, hi metuunt, q̃uis hoĩes fragiles & imbecilles.* Cũ ta*men angelici illi ſpiritus, qui fortitudine ac uirtute lõge ſunt hominibus ſuperiores, ĩmo nec conferendi cum eis, adeo durum et graue ſentiant aduerſum ſe illud horrẽdũ* Dei iudiciũ *ut ipſum nequeant ſuſtinere, niſi in immenſa & æterna miſeria, quæ illis ex ſola diuini iudicij eſt ſententia.* At uero *iſti ſine timore homines; quaſi bruta animantia, ſine rõnis recto iudicio, ſuas cupiditates prout naturaliter ab eis feruntur ſine pudore atq; remorſu ſequentes, ut in laqueo peccati capiantur & pereant, de omnibus quæ ſuo iudicio naturali nõ intelligunt, male & blaſphematorie loquentes, in iſta ſuæ prauitatis corruptione peribunt in finem, ſi tales perſeuerauerint, perditionem illam recepturi ſtipendium ſuæ iniuſtitiæ. Qui pro uoluptate reputant delitias iſtius tẽporis, quæ nõ niſi ad diem & tẽporariæ ſunt, coinquinantes & maculantes aĩam, pp quod nullã ueram uoluptatem afferre poſſunt, quorũ cõuiuia delitijs, & uoluptatibus exquiſitis carnalibus, plena ſunt, qui in ſuis luxurioſis cõuerſationibus uobis illudunt inſultant, & quaſi ludum uos ſibi faciunt, q̃ eorũ corruptiones fugitis, quorũ oculi ex abundantia affectus, & luxurioſiſſima circungyratione atq; cõpoſitione, præ ſe ferunt et demõſtrant luxuriã, atq; uitiũ quodlibet aliud ſine fine, quod cũ luxuria ſolet cõcomitari, qui attrahunt ad deceptionẽ, eos qui nõ ſunt in uirtutibus bene cõſtabiliti, qui affectum habent in auaritia inueteratum, & eidem aſſuetum ex longa con-*

ſuetudine, maledictioni æternæ obnoxij, ſicut modo fuerunt ad maledicendũ prompti: qui uiam regiam uirtutis derelinquẽtes, declinauerunt in itinera impietatis ꝑ auaritiam, ſequentes exẽplum Prophetæ illius mali Balaam, qui tractus cupiditate propoſitorum præmiorũ à rege Balach, cũ pergeret ſimul cũ nuncijs eius ad maledicẽdum populo dñi, correptus fuit de ſua inſana dementia auaritiæ illius, ꝑ animal mutũ cui inſidebat, ſolitũ ſub iugo incedere, animal uile & humile, nempe aſinam: quod animal uoce humana loquẽs ꝑ miraculũ, prohibuit Prophetã, ne perficeret incipiẽs cõſiliũ ſuum, quod propoſuerat ſpe præmij, hoc eſt, ut nõ malediceret Iſraelem. Hi ſunt fontes in qbus nõ eſt aqua, qui magna promittunt et mirabilem in ſe uidentur ſapientiã atq; ſcientiã continere, cũ ſint ſalutaris ſapiẽtiæ aqua prorſus uacui. Sunt nebulæ ſteriles ab omni opere bono, & obſcuritatẽ habentes intellectus, priuati lumine ueritatis & fidei, q circumferuntur & exagitantur ab impulſibus affectionũ ſuarũ carnaliũ: qbus caliginoſis nebulis, recte caligo in inferno deputata eſt, æternarũ tenebrarũ, ꝑ ſuã enim ſupbiam inflati, magnifica ſed uana loquẽtes (ſiue in eloquẽtia, ſiue ĩ ſeculi ſapientia) hoc modo ſibi animos cõciliant audientiũ atq; ita pelliciũt in ſuos errores, ad inſequendũ deſideria carnis luxurioſa, homines adhuc imperfectos, qui cœperant à mala ſua conuerſatione ſeſe elongare, ſed ad perfectam uirtutis ſtabilitatẽ nec dum perſeuerãt. Tales enim fere ſunt qui poſt carnis doctores abeunt, & ſequentes in ſuorũ præceptorũ erroribus conuerſantur. Et promittunt quidẽ iſti falſi doctores auditoribus, uerã libertatẽ reputantes peccandi licentiam, Euangelicam libertatem. Cum tamen ipſi ſint & permaneant ueri ſerui peccati, & omnis corruptelæ. Nã uniuerſaliter illius quis ſeruus eſt & haberi debet à quo ſuperari ſe paſſus eſt. Dum ergo ipſi à carnis & peccati

corruptione ſe permiſerint ſuperari, dubium eſſe non poteſt, quin ſerui ſint & dici debeant corruptionis. Et ſiquidem poſtq̃ ſeculi huius mala deſideria, quæ coinquinant hoīem, per fidem & cognitione dñi & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſemel dereliquerunt & abiurauerunt: ad eadē poſtmodũ reuerſi permittant ſe ab eiſdē ſuperari, quæ prius abnegauerāt, uere in peiori iam ſtatu ſunt cōſtituti, q̃ ante fuerant. Nā minor eſſet eis damnatio, ſi penitus nunq̃ cognouiſſent fidei ueritatē, q̃ modo ſit futura, poſtq̃ agnitā ſemel & ſuſceptā fidē iterũ abijciunt, derelinquentes ſanctũ illud mandatũ, quod de fide Chriſti ſuſceperunt ex Apoſtolorũ traditione, atq; doctrina. Quibus recte accōmodari poteſt uetus illud prouerbiũ, quo dici ſolet de recidentibus in priſtina uitia. Canis reuerſus eſt, ad reſumendũ id qd' p uomitum eiecerat: & ſus lota rurſus ſe in uolutabro luti reuoluit, ut iterum fiat ĩmunda. Sic enim ſunt, qui ſeculi ſemel abnegata deſideria, & abiuratos ſemel Satanæ errores, poſtmodum reſumunt: & poſt munditiam quam in baptiſmo conſecuti ſunt in luto concupiſcentiæ ſuæ, iterum ſe polluunt.

CAPVT III.

Videte fratres chariſſimi, quēadmodũ ex nimia erga uos dilectiōe hanc uobis ſcribo ſecundā epiſtolā, poſt illā quā nuper miſerā priorē. In qbus ambabus hoc ago, nō tam ut doceā quaſi ignorantes, q̃ ut mentē ueſtrā (quā ego rectā et integrā in fide Chriſti exiſtimo) p meā cōmonitionē excitare ſtudeam, ut memores ſitis ſermonum quos uobis prædixi à ſanctis patribus ac prophetis multo ante prædictos, et præceptorũ Dñi ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ Apoſtoli uobis ex eius noīe tradiderunt obſeruāda. Super oīa illud cōſiderantes ad cautelam diligēter, quod in nouiſſimis diebus palàm uenient, quales ex antiquo inceperunt prodire, & etiā modo nō deſunt, uafri & nequā im-

poſtores, in deceptione & fraudulentia ſua hoīum mentes ſedu cere quærentes, qui cõuerſabuntur ſecũdũ naturalia corruptæ carnis mala deſideria, & dicent. Vbi eſt promißio quam expe ctant Chriſtiani, de uenturo regno, & mundi innouatione, car nis reſurrectione, uita æterna, & ſimilibus? Vbi & quãdo erit aduentus Dei, ad cõplendũ ea q̃ promiſit? Quaſi dicant, eo ꝙ nõdum uideantur iſta, icci rco uana eſſe oĩa & ridicula. Ex quo enim (dicent iſti) maiores noſtri obierunt, ex antiquißima præ cedentium memoria, & ab initio mundi, ſemper in eodẽ ſtatu mundus perdurat, et defectio nulla uiſa eſt, quæ ſignũ eſſe poſ ſit finalis cõſummationis, & deinde ſubſecuturæ nouæ retribu tionis. Verũ iſti ſic argumentantes, ſeipſos paralogizant ac ſal lunt. Affectata nanque ignorãtia nolunt intelligere, neq; aduer tere, mutationem maximam quæ in mũdo olim facta eſt, q̃ uen turæ poſtmodũ cõſummationis poßit eſſe ſignũ ſufficiens: quo niã aeris loca & regiões ab initio fuerũt, & terra fuit ex aqua (tertia die qñ denudata fuit aquis ex bona parte) emicando ap parens, & uerbo Dei ſuper aquas firmata & ſtabilita, & per eas firma ac ſtabilis perſeuerans, ut nõ moueatur in ſeculũ ſecu li: ꝑ quæ nempe aerem, aquam, ac terrã, ille qui tunc erat origi nalis mũdus ante diluuium excreſcente aqua, obrutus periit (ut ſic loquamur) rõne oĩum uiuẽtium q̃ in eo perierunt, paucißi mis in arca reſeruatis. Rupti enim fuerunt ad hoc diluuium cõ plendnm oẽs fontes abyßi, qui erãt in terra, & aeris bona pars in pluuiã uerſa, ſimul ad idẽ diluuium faciendũ acceßit in adiu torium: et ſic aqua in tantũ excreuit ut moreretur omne uiuens ſuper terrã. Aer autẽ in eo ſtatu in quo nunc eſt poſt illud uni uerſale diluuium, & terra ut nunc eſt, ꝑ idẽ Dei uerbum ſunt in ſuo ſtatu cõſtituti uſq; in diẽ iudicij, quãdo perdendi ſunt impij: ut tunc ꝑ ignẽ cõflagrationis iterum imutentur in optimum ſta

tum, poſtq̃ fuerint purificati p ignē. Deniq; & illud uelim diligēter attēdatis, q̃ mille annorũ tēpus ſic eſt ante Dñm (cuius duratio æternitas eſt) ſicut apud nos breuis duratio unius tantum diei, & econtrario: Ita ut Dñs illud minime reputet tēpus prolixum, quod nos longiſſimũ arbitramur, quoniã longiſſimũ tēpus, nõ eſt niſi momentum breue, ſi cõparetur cũ æternitate. Et icc irco ſciendum nobis eſt, qd' tametſi nobis ſic uideatur: nõ tardat tñ nec protrahit Dñs promiſſionē ſuã de aduentu ſuo et oĩum innouatione, ultra tēpus cõgruum & à ſe ad hoc præſtitutum quaſi iã reuocata ſentētia non ſit impleturus q̃ promiſit: ſed expectando patientiam exhibet, pp uos cæterosq; peccatores hoĩes, ut tēpus cõcedat hoĩbus pœnitentiæ: non deſiderans cuiuſquã interitum ac perditionē: ſed quantum in ſe eſt, potius oẽs p pœnitentiã ad ſe reuerti, atq; ita ſaluos fieri cupiens. In ueritate autē, ſuo tpe adueniet illa dies uiſitationis & iudicij, ſubito & occulte, qñ nõ exiſtimabunt hoĩes. In quo die, aeris regiones magna impetus uehemētia trãſibunt à ſtatu in quo nunc ſunt, immutati in melius: & nõ aer ſolus, ſed elemēta oĩa, p uirtutem caloris ignis illius purgabuntur examinata. Et terra per eandē ignis illius uim, cõflagrabitur, cum oĩbus q̃ fuerint ſuper eam inuenta. Cõſiderandum autē nobis eſt, ſi in illo tpe futuræ retributionis inanimata etiã elemēta oportet ſic igne probari & purgari, quæ tñ arbitrij libertate ad peccandum nõ habent: quales oportet uos modo exhibere rationales creaturas, qui liberum habetis ſuper actiones ueſtras arbitrium, de q̃bus tunc fiet examen, in cõuerſatione ueſtra, & in cultu ſtudioq; bonorum operũ ſecundum pietatem, ut ſic expectetis aduentũ diei illius & quodãmodo obuiã procedatis p amorē & indefeſſum bonæ operationis ſtudiũ, uenienti ad iudiciũ Dño. Cuius uirtute, p ignis miniſteriũ, aeris regiones cõflagrabuntur, & elemē-

ta cætera p̄ uim ardoris eius à ſuo ſtatu priori pereuntia, ad meliorem ſtatum purificata reformabuntur. Expectamus autẽ tũc poſt illã ſanctam purgationẽ noua et meliora facta oĩa, nempe innouatũ aerẽ: & melioratã terrã, quæ promiſit, in quibus inhabitabit munditia, & ſuo quodã modo iuſtitia, q̃n oĩs erit immunditia ab eis p̄ ignem purgantẽ abſterſa, quã ex hoĩum commercio nunc quodãmodo contrahunt. Propter qđ, chariſſimi, cum iſta expectemus talia & tanta promiſſa, certiſſime ſuo tp̄e implenda: obſecro uos, ut omni ſtudio & diligentia ad hoc adnitamini, ut ſine macula et pollutione inueniamini tunc ante cõſpectum uenturi iudicis in pace. Et expectationẽ iſtã, qua Dñs promiſſum ſuũ differt, ad ſalutẽ peccatorũ à Deo exhiberi credatis, ut p̄ pœnitentiã ſalui fiant peccatores: quẽadmodum & chariſſimus frater noſter Paulus gentium Apoſtolus uobis ſcripſit Chriſti fidelibus, ſecundum ſapientiam ſibi à Deo datam, ad huius miniſterij ſui defunctionẽ recte exequendã: quẽadmodum et ĩ oĩbus ſuis epiſtolis, quas ad diuerſos diuerſas ſcripſit, ad cõmunem oĩum utilitatẽ, ubiq; de his & ſimilibus (q̃ ad inſtructionem morũ & fidei rectitudinẽ pertinent) loquens, & ea ſemper inculcans. In quibus Pauli Epiſtolis, complura repe riuntur ad intelligendũ loca difficilia, p̄p̄ ſenſuũ altitudinẽ: potiſſimum de fide & operibus, de gratia Dei, & ſimilibus, quæ hoĩes ſcioli q̄ doctores ſe exhibere uolunt anteq̃ in diuinis ſcripturis diſcipuli & docti fuerint, & hoĩes inutiles atq; inſtabiles, qui ſi forte eruditi in ſcripturis, nimis tñ cito ſe ſubſtraxerunt à diſciplina, nec ſtabiles in ea permanſerunt: Iſti, inquam, ſunt qui illa apud Paulũ difficiliora deprauate legunt & intelligunt, quemadmodum & cæteras ſcripturas ſolent huiuſmodi indocti & inſtabiles hoĩes deprauate ad ſuum peruerſum ſenſum attrahere, qđ illis erit in præordinationẽ. Hæc enim agens

tes, perdũt ſeipſos. Vos itaq; boni Chriſtifideles, ex noſtra monitione cognoſcentes periculum, uobiſipſis diligenter attẽdite: & cauete, ne iſtorũ inſipientium hoĩum erroneis perſuaſionibus à uia recta in deuia abducti, atq; cõfuſi excidatis ab illa firmitate ſanctæ fidei, in qua modo ꝑ gratiã Dei, bene ſtatis. Magis autẽ curate, ut creſcatis quotidianiſq; profectibus augmẽtũ ſumatis in grã Dei, & fideli cognitione Dñi & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Ipſi eſt & ſit gloria, nunc & in æternũ, Amẽ.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM
in Epiſtolam Canonicam primã beati Ioãnis Apoſtoli.

Epiſtolam iſtam Canonicam beati Ioannis Apoſtoli, quia nullo cõſequenti ꝓcedit ordine ſed ꝑ affectus uarietate, frequenter ſine ulla cõnexione de alio trãſit ad aliud: nunc rectum fidei dogma proponens, nũc aduerſus hæreticorũ errores agens, & ab eis cauere præmonens, nũc fraternã charitatẽ præcipiens, nunc diuinam cõmendans, nunc de ſpirituali generatione qua ex Deo nati ſumus, nunc de mundo eiſq; q̃ ſunt in eo fugiendis, ſermonem faciens, difficile eſt certo uno argumẽto proſequi. Volumus tñ (qđ in alijs epiſtolis fecimus) etiam hanc breui epitomate ꝑ ſingula capita, declinare. In primo itaq; capitulo, ſuæ prædicationis certitudinẽ, ex ſenſibili cũ Chriſto Dño cõuerſatione præmittens, ſimul etiã quid aununciauerit ꝓponit: nempe lucẽ eſſe Deum puriſsimam, abſq; omni admiſtione tenebrarũ, nos quoq; debere in luce conuerſari: qđ facientes, ſocietatẽ habebimus cũ eo, & ſanguis eius nobis ad peccatorũ proficiet emundationem. Et ne quis ſe remiſsione illa non indigere exiſtimet, mẽdacem dicit oẽm, qui ſe peccatum nõ hr̃e audet præſumere. Secundo aũt capitulo, ut non peccent, monet, ſi tñ peccare contigerit, ut nõ deſperent, ſed ꝑ aduocatum noſtrũ Chriſtum, propitiationem quærant. Deinde quis uere Deum cognoſcat, et re

ctam habeat ergà illum charitatē,inq; eo maneat, ex operibus mandatorum Dei deſcribit. Charitatis mãdatū uetus nominat, ſimul & nouum, diligētē fratrē dicit eſſe in luce, quo odientem in tenebris. Poſt hoc familiariter alloquens ſingulas ætates, ſenes, iuuenes, adoleſcētes, infantes, oēs tandē uniuerſali admonitione ab amore mundi dehortatur, omne qđ in mundo regnat, in tribus uitijs atq; malis peſtibus(q̄ totum orbem inficiunt) cōſtituens, nimirum in cōcupiſcentia carnis, in cōcupiſcentia oculorum, & ſuperbia uitæ. Poſt hoc, dicens, iam nouiſſimam eſſe horam, & Antichriſtos(id eſt, ueritatis cōtradictores) multos iam exurrexiſſe, ipſe tñ de eis nō oïno metuit, ſperans qđ ipſa ſpirituſſancti interior unctio, eos de oïbus quæ ſunt credenda ſufficienter inſtruet, ut illorū uanitatibus & erroribus nō habeant fidē. Illorū quoq; Antichriſtorum mendacia, negantium Chriſtū, ac proinde etiam patrē, aperiēs, bonos fideles manet, in ſemel ſuſcepta Apoſtolica fide, firmos permanere, promiſſionē eis diuinæ ueritatis et uitæ æternæ adijciens. Atq; hæc ipſa, de unctione & uitæ æternæ repromiſſione, iterum replicans: monet unctioni ſpiritus intēdere, in Deo patre et filio manere, & regeneratos in ipſo operari iuſtitiā. Tertio uero capitulo, demōſtrat charitatē Dei nobis ex hoc exhibitam, q. talē nobis ipſe dedit ptātē, ut filij Dei nominemur & ſimus, qđ licet nūc nundū appareat, in futuro tñ apparebit qđ futuri ſimus qñ cū eo apparebimus in gloria. Propter quā ſpem noſipſos à peccatis ſtudemus ſanctificare p Chriſtum, q ſemel ad peccati deſtructionē in carne apparuit: in quo quiſquis manet, nō peccat. Monet quoq; eos, ut nō ſe patiantur ſeduci, ſed operentur iuſtitiam & ueritatē, quoniā ex ſolis operibus bonis & malis, eſt filiorū Dei à filijs diaboli diſtinctio, præcipue autē ex amore aut odio fraterno, dicens oēs fratrum oſores (cuiuſmodi erat Cain) ex

diabolo eſſe. Neq; *mirentur,ſi à mundanis hominibus & infidelibus habeantur odio,ſcientes ſe ad uitam,per ueram* Dei et *proximi dilectionē,translatos.Oſores autē fratrum homicidas, nuncupat,& uita æterna priuatos.* Deinde Chriſti *charitatem (qui ſeipſum dedit pro noſtra ſalute)* proponens *in exemplum, uult ut pro inuicem etiā animas noſtras & uitam parati ſimus impendere.* Propter *quod nullo modo dicit in illis* Dei *ineſſe charitatem,qui habentes huius mundi diuitias,neceßitatem patientibus nō exhibent miſericordiā.* Neq; *ſatis eſſe dicit lingua & uerbo dilectionē prætendere:ſed neceſſarium eſſe, ut et opere demonſtretur & ueritate: ut perfectè exhibita dilectione, cum nō reprehenderit nos conſcientia noſtra, fiducialiter petamus à* Deo, *quæcunq; uelimus,& accipiamus.* In *quarto uero capite,ſpiritus docet probandos, & quomodo ex cōfeßione rectæ fidei debeant diſcerni,manifeſtat, in hoc differentiam aßignas,*ꝙ *illi de mundo loquuntur,& ideo à mundanis acceptantur.* Veri *autem fideles,quomodo ex* Deo *ſunt, & non de mundo,ſic & ea quæ* Dei *ſunt loquuntur, quæ mundo non ſapiunt.* Ex *quo,ſpiritus errores à ſpiritu ueritatis facile diſcernitur:dum hic ueritati,ille autē acquieſcit falſitati.* Rurſum *deinde eos ad mutuam charitatē ahortatur,* Chriſti *charitatē proponēs in eo* ꝙ *prior dilexit nos* Deum *etiā charitate nominās, qui* ꝑ *dilectionem manet in nobis,noſq; in eo.* Timorem *quoq; repugnare dicit ueræ charitati diuinæ,ſimul & odium fraternum:quoniā mentitur qui ſe dicit* Deum *diligere, ſi fratrem nō diligat.* Quinto *autē capitulo,de natiuitate ex* Deo *pertractat, & de mundi uictoria* ꝑ *fidē* Chriſti, *qui* ꝑ *aquam uenit & ſanguinē iuxta quod ſpiritus teſtificatur de eo,nec ſpiritus ſolum, ſed & beata trinitas perſonarum tota: cuius teſtimonio multo magis debet adhiberi fides,*ꝗ *ulli aſſertioni humanæ.* Demum

de orandi fiducia, & de peccante ad mortem, aut non ad mortem, de generatione Dei à peccato cuſtodiente, diſſerens: mundi malitiã per Chriſtum uerum Deum ſuperatam docens: & à ſimulachris eos cauere iubens, ita terminat epiſtolam.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM CANO*nicam primam beati* IOANNIS *Apoſtoli.*

CAPVT I.

Q*Vod erat ab æterno uerbum in ſinu patris, quod per uaticinia Prophetarum multo ante incarnationẽ eius audiuimus prænunciari, & poſtmodum ipſis his auribus incarnatum audiuimus loqui, qd' noſtris his oculis ſenſibiliter uidimus ſuo tpe incarnatum inter hoĩes, & diligenter cõtemplati ſumus, qd' ad maiorem certitudinem ſecundum carnem etiam palpando contigimus, & contrectauimus manibus noſtris, ꝑ familiariſſimam quã cum eo habuimus conuerſationẽ, de uerbo patris, qd' eſt ſola & uera uita, & qd' manifeſtatum eſt nobis tanq̃ uita noſtra, patris uoce & miraculorum efficacia, & ita ſenſibiliter uidimus certiſſimeq; cognouimus: illud ipſum, ſicut uidimus, & certiſſima ſcientia atq; experientia cognouimus, ita teſtificando de ueritate prædicamus uobis, Chriſtum Deum & hoĩem, qui eſt oĩbus credentibus uita æterna, quæ erat ab æterno apud patrẽ, latens in ſinu eius, & his nouiſſimis temporibus apparuit aſſumpta carne, uiſibilis. Quod uidimus, inquam, & ipſi audiuimus, ut certiſſimum & indubitatæ fidei annunciamus uobis: ut credentes aſſociemini nobiſcum, modo in ſpei participatione, & poſtmodum in rei cõſimili retributione: & oĩum noſtrum ſit una & uera ſocietas, cõmunicatio, & participatio atq; unio, cum patre & filio eius Ieſu Chriſto: ut omnes unum ſimus in Chriſto, & Deo.*

Atq; hæc modo quæ olim uos uerbo docuimus, etiam ſcripto uoluimus uobis repetere: magis ut gaudiũ ueſtris animis ex noſtra hac diligentia & ſolicitudine, proueniat, & certum firmũ, ſolidumq; ſit gaudium fidei ueſtræ, q̃ ut ignorantiam ueſtrã edoceamus. Prædicatio aũt quã audiuimus à Chriſto ut eã prædicaremus omni populo, hæc eſt: quoniã Deus uera lux eſt, q̃ mundum uenit illuminare, & q̧ nullæ prorſus, aut ignorantiæ, aut peccati tenebræ, ſunt in eo. Propter quod, ſic nos cõformari illi luci oportet qui Chriſti dici uolumus, ut ſtudeamus (quod iu nobis eſt) oẽs erroris & malitiæ tenebras à nobis depellere. Si enim dixerit quiſpiam ſe habere ſocietatem cum Chriſto, Chriſtianum ſe nominando, cõuerſetur autem in errore aut malitia, mendax eſt ille, & ueritatem opere nõ loquitur, quã lingua & ore cõfitetur. Quiſquis autẽ in luce conuerſari ſtudet, in omni bonitate p̄ gratiam Dei laborans incedere, queãdmodum Chriſtus ipſe lux uera eſt p̄ ſuam ſubſtantiã, qui, inquam, ſic ſe illi aſſimilat in operatione & cõuerſatione, ut eſt ille in ſua eſſentia: is uere ſocietatẽ habet et unitatem primũ cũ proximo ſuo, atq; deinde cũ Deo: & illi proderit ſanguis Chriſti, & emundabit talis p̄ uirtutẽ ſanguinis Chriſti ab omni peccato: in quodcunq; cõtigerit p̄ fragilitẽ incidere. Si dixerit q̄s ex nobis (qui in hac carne adhuc agimus) hoĩbus, q̧ nullum oĩno, neq; grande neq; paruum aliquando cõmittat peccatũ, falſum ille ſibi perſuadet, et ueritas hac in parte fugit ab illo. Præſtaret culpã agnoſcere, et ueniam precari. Si enim agnoſcamus ante Deũ, & confiteamur humiliter peccata noſtra, fidelis eſt ipſe & iuſtus, ut iuxta uerbũ ac pactum miſericordiæ ſuæ, cõfitentibus & pœnitentibus nobis dimittat peccata noſtra, & p̄ uirtutẽ ſanguinis ſui, quem ſuper nos inuocamus, emundabit nos ab omni iniquitate. Si aũt dixerimus, quoniã nihil peccati aduerſus Deũ habemus,

& excuſare uelimus, ſic quaſi p noſipſos ſimus innocentes & mundi, mendacem dicimus Deũ, qui in plerisq; ſcripturæ locis aperte cõtrarium aſſeruit, & uerbũ ueritatis eius nos abnegamus, eiq; cõtradicimus. In plerisq; enim ſcripturarũ locis, hoc legitur ex ſpiritu Dei dictum: quoniam oẽs ſub peccato ſumus, & glorificari habet in nobis Deus, ut p ſe nobis peccata remittat: quod ille negare cognoſcitur, quiſquis, ſe quaſi innoxium & per ſe mundum, uane gloriatur.

CAPVT II.

Iſta autem, nempe q Chriſtianus debet extra tenebras in luce conuerſari, & de cõfeſſione ac remiſſione peccatorum, nos ob hoc ſcribimus uobis, p modum cõmonitionis: ut uos à peccatis deterreamus, ut ab eis (quantum fieri poteſt) ſtudioſe declinetis. Qui tñ in peccatum ceciderit, nõ deſperet de peccati remiſſione: ſed recurrat ad ueniam. Habemus enim aduocatum & interceſſorem apud patrem, Ieſum Chriſtum, qui iuſtus eſt: & ſicut promiſit, fidelẽ ſe pœnitentibus propitiatorem & pontificem, exhibet. Ne qs forte paternæ iuſtitiæ diffidens ſeueritati, in deſperationem corruat. Et ipſe eſt qui nobis propitium reddit patrem, ne pro peccatis noſtris damnemur. Nõ ſolum autem pro noſtris, id eſt pauculorũ hoĩum, peccatis: ſed uniuerſaliter pro oĩum hoĩum delictis ſe exhibet in cõmune ꝓpitiatorẽ. Et hoc nobis certũ eſt ſignum quod uere eũ cognoſcimus perfecta ſapientiæ cognitione, ſi ea quæ præcepit ſtudeamus operibus adimplere. Qui enim dicit ore ſe Deum p fidẽ cognoſcere, & mãdata eius nõ obſeruat, mẽdax eſt, & ſine ueritate in hoc loquitur lingua, & cõtra linguam opera clamant. Qui autẽ uerba præceptorũ eius ope adimplẽdo diligenter cuſtodit, in hoc charitas Dei uera & integra eſt qualis eſſe debet, ad ſalutem ſufficiens habenti. Ex hoc autẽ ſigno cognoſcere poſſumus proba-

bili exiſtimatione, q̃ in ipſo ſimus & unũ cũm eo. Quoniã qui ſe ore affirmat in Chriſto permanere, et uere Chriſtianũ ſe eſſe gloriatur: debet ille, ut ſit hæc gloria atq; aſſertio uera, ſic conuerſari, quẽadmodum ille cõuerſatus fuit in mundo, eiusq́; ueſtigia ſectari. Chariſſimi, nullũ uobis nouũ mandatum ſcribimus, ſed uetus, quod ab initio ueſtræ cõuerſationis audiſtis & accepiſtis. Siquidem baptizati mox docebamini ſeruari, quæcunq; præcepiſſet Dñs obſeruanda. Rurſum tñ cõmonefaciẽdo uos, quodãmodo uetus hoc in nouo mãdatum in cordibus ueſtris: q̃, ſicut in ipſo Dño in ueritate erat, ſic & in uobis eſſe debet & ſicut in ſeipſo Dñs opere demõſtrauit, ita & in uobis requirit, quia tenebræ abierunt infidelitatis, quãdo in baptiſmo peccatis & cõcupiſcentijs mortui ſumus, & ueritas iã illuxit Chriſtianæ fidei, ut ambulemus & operemur ſecundũ eam. Vnuſquiſq; autẽ cõſideret, ne ſeipſum fallat, putans ſe eſſe in luce, cũ nõ ſit, propter ſolã fidem mortuã ſine charitate. Siquis enim dixerit eſſe in luce, ſuper mortua fide cõfiſus, odio autẽ habeat fratrem ſuum, in tenebris adhuc ille manet & perſeuerat, quantũuis ſibi uideatur illuminatus, donec odium abijciat. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine uero cõuerſatur: et in dilectione ſic ambulans: non patietur offendiculum, nihilq́; illi nocebit. Qui autem odium habet erga fratrem ſuum, in tenebris eſt, et in cordis ſui cæcitate graditur. Ignorans quò uadat, id eſt, quid agat, quia tenebræ quæ ex odij affectione ſunt exortæ, excæcauerũt oculos mentis eius, ut qd' bonum eſt ac rectum, pure cernere ad agendum nõ poſſit. Hanc autẽ admonitionem Epiſtolæ huius, ego ad oẽs in uniuerſum qui ſunt in uobis, cuiuſcunque ætatis & cõditionis fideles, uolui deſtinare. Omnibus uobis, qui filij eſtis mihi tenere dilecti, ſcribo, quoniam remittuntur uobis peccata pp nomẽ eius, de quo ſcribimus. Vobis ſcribo ſeniores, quo-

nlam fideles facti cognouiſtis eum qui eſt in æternitate, patrem æternũ. Et uos quoq; adoleſcẽtiores digni mihi uiſi fuiſtis quos meis collaudarem literis, quoniam ſpiritus uirtute ꝑ fidẽ deuiciſtis malignũ, qui in baptiſmo aufugit à uobis. Ad uos quoq; qui eſtis ætate minimi, uix dum perfectæ rõnis uſu gaudentes, noſtræ huius Epiſtolæ ſermo ſimiliter loquitur: quoniam quali cunque cognitione Deum ut patrẽ agnoſcitis, in cuius nomine baptizati eſtis. Vobis, inquã, ò patres ſcribo (ut ex magna affectione ſemel dictum iterũ replicẽ) quoniã credidiſtis & fide cognouiſtis æternitatis Deum. Et uobis adoleſcẽtibus ſcribo, quoniam robuſti eſtis ſpiritu, & uerbũ Dei cuſtoditis in uobis, & uiciſtis diabolum, ꝑ fidei ueſtræ uirtutem. Ne diligatis chariſſimi præſens iſtud ſeculum nequam, neque ulli rei quæ in mundo eſt, cũ affectu cordis inhæreatis. Quiſquis enim in mũdanis rebus cor defixum habet, & ſeculo labenti corde adhæret: cõſtat illum in ſe nõ habere ueram Dei ſuper oĩa (ut oportet) dilectionem. Et uere non debet mundus, nec poteſt cũ Deo diligi. Quoniam omne qd' in mũdo eſt & mundanum dicitur: aut ad cõcupiſcentiam carnis pertinet, aut cõcupiſcentiam oculorum, aut ſuperbiam uitæ. Quarum prima, gulam cõtinet atq; luxuriam. Secunda, auaritiã & ſuperfluã habendi cupiditatẽ. Tertia, ſuperbiam & ambitionem: ſub quibus incluſa ſunt oĩa uitia quæ in mundo dominantur, quarũ trium nulla ex Deo eſt, neq; Deo placet: Immo ex mũdi corruptione, & Deo cõtraria ſunt atq; inimica. Mundus autẽ iſte præſens, præterit, & tranſit, nullam habens ſtabilitatem, cũ omni cõcupiſcentia ſua: & proinde quiſquis in mundo floret, mundiq; ſectatur cõcupiſcentias breuem, uanam, & mox perituram ille ſectatur umbram. Qui aũt in hoc ſolicitus eſt, ut Deo placeat, eiuſq; perficiat uoluntatem illius gloria et fructus permanebit inæternum ante Dominum.

Filioli iam nouiſſima ſunt mundi huius tempora, & ad finem mundus iſte ſuo decurſu peruenit. Et ſicut frequenter ex Apoſtolorum monitionibus audiſtis, quod Antichriſtus nouiſſimis tēporibus ante iudicium ſit uenturus in mundū, ita iam impleri cœptum eſt in præcurſoribus eius: quoniam iam Antichriſti multi exurrexerunt, qui illius peſſimi aduentum quaſi præcurſores prænunciant, incipiētes modo hæreſes, perſecutiones, & ſchiſmata, quæ ille perfectius cōplebit. Vnde cognoſcimus, q̃d iam ad occaſum mundus declinat, & nouiſſima inſtant cōſummationis tēpora. Nam præuenientibus præcurſoribus, nō longe poteſt abeſſe is quē prænunciant, & cui aduentum præparant. E noſtro quidē cōtubernio (id eſt, ex Chriſtianorum cœtu & Eccleſia) apoſtatātes abſceſſerunt, ad ſua ſchiſmata ſuſcitanda: ſed nō erant ſecundum Dei prædeſtinationē & finalem perſeuerantiam, de bonorū & ſaluandorū fidelium numero. Si enim diuina eos præſcientia de fidelium ſaluandorum numero præcognouiſſet, indubie nobiſcum (id eſt, cū cæteris ſanctæ Eccleſiæ fidelibus filijs) in una fide eademq́; ſentētia, in finē uſq; p Dei gratiam permanſiſſent. Sed iccirco permittit eos Deus à nobis ſic patenter ſeparari, ut clareat, quoniam non oēs de numero ſunt uerorū fidelium, ſecundū præſcientiam & prædeſtinationem Dei, qui modo uidentur cū eis in ſacramentis et alijs exterioribus cōmunicare. Vos autē internam habetis in uobis ſpiritus ſancti inſtructionem, & eo ſuggerente, docenteq́; uos omnem ueritatem, hæc omnia quæ ad ueſtram ſalutem ſunt neceſſaria, bene cognoſcitis. Vnde neq; ego uobis ideo ſcripſi, ut docerē quaſi ignorātes ueritatē catholicæ fidei: ſed potius quaſi iam recte & integre ſcientibus, tantum ad cōmonitionem & exhortationem ſalutarem. Et illud potiſſimum ſcientibus, quoniam omne mendacium & uerbi & operis Deo contrariatur,

& cum Deo *ſtare nõ poteſt.* Inter *omnia uero mendacia, illud ergo præcipuũ pronuncio, & quaſi caput omnis blaſphemiæ, eorum qui negando aſſerunt* Chriſtum Ieſum *nõ eſſe uerum filium* Dei, *nec meſsian illũ in lege &* Prophetis *repromiſſum, & quòd p eum humani generis ſalus nõ fuerit operata.* Quiſquis *tale aliquid impudenti audet aſtruere mẽdacio, ſignate eũ, & cauete ab illo quoniam* Antichriſtus *eſt ille,* Chriſtoq; *aduerſarius & hoſtis publicus, qui ſic mentitur negans* Dei *filiũ, ac proinde & patrem.* Omnis *enim qui* Dei *filiũ negat nec credit ut oportet de eo, is nec rectam poteſt hr̃e neq; fidelẽ patris cognitionẽ, quoniã pater & filius unum ſunt, & ſi patrem cognouiſſent, filium etiã cognouiſſent quẽadmodum et ecõtrario.* Qui *cõfitetur ſicut oportet* Chriſtum Dei *filium, patrẽ quoq; (qui cum filio unum, uera item cõfeſsione cõfitetur.* Vos *autem doctrinã fidei, illam quã audiſtis à principio ueſtræ cõuerſionis, cuſtodite in uobis, & in illa firmi permanete: quoniam ſi in illa perſeueranter ſteteritis, non declinantes in errorum deuia, ſicut modo eſtis unum cũ patre & filio, ſic & permanebitis p hanc fidei rectitudinem.* Repromiſsio *autẽ quã pollicitus eſt nobis (hoc eſt, fidelibus pſeuerantibus in doctrina fidei) uita æterna eſt, ut ne quis paruifaciat.* Hæc *ſcripſi uobis quaſi p quandã admonitionem, de ſeductoribus iſtis, qui fidelium mẽtes quærunt à ueritate auertere poſt ſuos errores.* Vos *autẽ uidete, ut ſpiritus ſancti illa interna inſpiratio atq; inſtructio permaneat in uobis, quæ abſcedit, cum quis erroribus implicatus ſe a ueritate auertit.* Et *non eſt modo neceſſarium, ut prolixioribus ſermonibus & pluribus uerbis latius proſequentes: iſta uos doceamus, aut alius quicunque, quoniam ipſi per ſpirituſſancti illuminationem facile iſta capitis ac intelligitis: ſed ſicut interna illa ſpiritus unctio, ſuggerendo quæ ſunt ueritatis, uos inſtruit de*

omnibus, quæ ad fidei & morum integritatem pertinent, rectã dans intelligentiam, & ſicut uerum eſt ſine mendacio quod illa docet, ſic in ea curate permanere, & ne per ueſtram culpã ſub trahatur uobis: diligenter attendite. Quid multa? Filioli *obſecro, ut in eo permaneatis qui uos ſemel uocauit & docuit: ut cũ apparuerit in iudicio* Chriſtus Dñs *noſter, confidenter tunc ante illum, quaſi fideles amici eius ſtare ualeamus pariter, & nõ cõfundamur p ſententiã cõdemnationis eius, cum aduenerit. Si ſcimus (ſicut uere ſcimus) eum eſſe iuſtum ſubſtãtialiter, immo ipſam iuſtam iuſtitiam, & illud ſimiliter conſiderate, qđ inter hoĩes quiſquis in operibus exercet iuſtitiæ iuſtéq; operatur, ex* Deo *natus eſt ſpirituali generatione, &* Dei *filius atque amicus uocari, haberi, & eſſe meretur.*

CAPVT III.

Conſiderate (quæſo) quantã nobis Deus *pater charitatem demonſtrauerit, dans nobis poteſtatem p ſuum unigenitum & naturalem filiũ, ut & nos quoq; filij* Dei *nominemur, adoptiui:* Nec *nominemur ſolum, ne inane nomen exiſtimetur, ſed uere etiam ſimus.* Parum *autẽ eſt, ſi mundus nos nihili pendat, quoniã nõ nouit nos quid ſimus futuri.* Non *enim nouit nos mũdus, quoniam* Deum *patrem noſtrũ nõ cognouit: quẽ ſi recte cognouiſſent, nõ ſic nos abijcerent. Chariſſimi quantumuis nos illi deſpiciant, ſumus tñ etiam nũc p adoptionẽ ueri filij* Dei. Donec *autẽ in hoc corpore peregrinamur à patre noſtro, nondum apparuit quod ſumus futuri.* Firmiſſime *autem p fidem cognoſcimus quoniam in reſurrectione, cũ apparuerit in gloria ſua dñs noſtr, tunc ſimiles ei erimus in gloria & claritate, tam corporis q̃ animæ: qui tunc aperta uiſione, facie ad faciem eum uidebimus clare, ſecundum eſſentiam, ex quo omnis nobis gloria et beatitudo erit, & aſſimilatio ad eum.* Et *omnis qui hanc habet*

expectationem ſpei indubitatæ, ſtudet ſe ſanctificare à peccatis, ſe in omni cõuerſatione ſua cuſtodiendo, ſicut et ille ſanctus eſt: ad cuius ſperat cõſortium, ſimilitudinem et beatitudinem, perueníre. Alioqui uana erit ſpes eiuſmodi. Cõmaculat autem ſeipſum homo quolibet peccato. Nã omne peccatum eſt iniquitas, & contra æquitatem quã Deus cõſtituit. Ac proinde, quiſquis peccatum quodlibet cõmittit, iniquitatem ille facit, & æquitati cõtrariatur, atq; ita Deũ offendit æquitatis. Et ſcitis quoniã ad hoc Chriſtus dñs in carne apparuit paßioni ſe ſubijciens & morti tradens ut peccata mundi deleret. Vſqueadeo execratur ipſe peccati malitiam: Et peccatũ nullũ in eo inuentum fuit, grãde nec minimum. Cõſimiliter omnis qui in Chriſto manet, quatenus in eo manet, peccare nõ poteſt, potiſsmum peccato quod mortem infrat animæ, & diuidat inter hoĩem & deum. Quoniam impoßibile eſt ut per peccatũ anima moriatur, et dicatur ſimul homo in deo permanere: Iam enim dum ꝑ peccatum occiditur anima à Deo ſeparatur: & extra Deũ fit quæ prius in eo erat. Et omnis qui mortali peccato ſic ſe à Deo ſeparat, quatenus eiuſmodi uere deũ non uidit, neq; recte cognouit. Alioqui nõ ſic ſe ab illo ſeparaſſet. Filioli, nemo uobis imponat, neq; ſeduci uos patiamini. Veritas eſt, quòd is qui iuſtitiam & opera bona ſtudet operari, ille inter hoĩes iuſtus dicitur & eſt, ſicut & Deus eſſentialiter iuſtus eſt, nõ ex operationibus ſolum, ſed etiam ex eſſentia, ipſa iuſtitia eſt. Quiſquis peccato mortis ſe cõmaculat, ad diabolũ ſpectat, et ex eius parte atq; ditione eſt, qui eſt rex ſuper oẽs filios ſuperbiæ & auerſionis: eiusq; imitatur exemplum, quoniam ille à principio cõditionis ſuæ ſtatim peccare incepit, & uſq; nunc (quantũ præualet) à peccato non ceſſat: non tantum ꝑ ſe delinquens, ſed alios etiam in idem pertrahere ſolicitus. At uero filius Dei, qui ex aduerſo iuſtus eſt,

ea de cauſa uenit carne aſſumpta in mundum, ut opera diaboli, quæ ſunt peccata & peccatum concomitantia deſtruat & auferat, donans nobis perfectam in ſe iuſtitiam. Omnis qui ſpirituali generatione eſt filius Dei quatenus eiuſmodi & quandiu in ea manet generatione, peccare nõ poteſt mortis peccato: quoniam ſemen ſpiritualis illius diuinæ generationis in eo permanet, quod eſt ſpiritus ſanctus, & uerbum Dei. Et quandiu hoc nõ expellitur ſemen, peccare nõ poteſt, quoniam filius Dei eſt, & in ſpirituali cõſtitutus eſt generatione. Filij autem dei & filij diaboli (id eſt, qui ex parte Dei ſunt, et qui ex parte diaboli) in hoc ſigno ſolo diſtinguuntur: quoniã qui nõ ſtudet operari iuſtitiam, & per opera bona ſe exercere in mandatis Dei, nõ eſt ille ex Deo, ſed ex diabolo, quẽadmodum econtrario qui iuſtitiam facit ex Deo eſt. Potiſſimum aũt & euidentiſſimum ſignũ eſt, quòd quis Dei filius nõ ſit, ſi fratrem ſuum nõ diligat. Quoniam hanc prædicationem & doctrinam, in principio conuerſationis ueſtræ, ſuper omnia & ante omnia edocti eſtis, ut proximos diligatis: non exiſtentes ſimiles illi peſſimo Cain primo homicidæ, qui ex diabolo erat, eiq; per odium ſubditus: & occidit fratrem ſuum, Occidit autem, nõ alia de cauſa, niſi quoniã ipſe nequam erat, & filius diaboli, cuius opera & conuerſatio erant mala, et ideo dñs ad eius munera nõ reſpexit, ſicut ad munera Abel, cuius opera iuſta erant: atq; hinc exortum erga fratrem odium, ad homicidium eum attraxit. Ne miremini quaſi nouum aliquid patientes, ſi uos ſeculares homines habeant exoſos. Nos enim qui in Chriſtum credentes mundo abrenunciauimus, ſcimus & cognoſcimus ſpiritu ſancto nobis teſtimonium perhibente, quemadmodũ de morte peccati ad uitam gratiæ fidei ſumus tranſlati, per dilectionem fraternam, ſi in ea permaneamus. Propter quod, confiſi bonæ cõſcientiæ teſtimonio, de-

bemus mundi iudicia pro nihilo ducere. Qui non diligit, adhuc in morte peccati eſt anima illius. Et oīs qui odit *fratrem ſuum, quodammodo homicida nuncupari poteſt & debet, quatenus principium & radicem in ſe habet homicidij, quod ſemper eſt odium quemadmodum qui cōſpexerit mulierem ad cōcupiſcendum eam in corde ſuo, mœchus iam dicitur etiam ſi opus non ſubſequatur. Scitis uero, quia nullus homicida uitam in ſe præſentiet æternam permanentem, ſed poſt uitā hanc corporis trāſibit ad mortem æternam, corporis & animæ.* Nos *charitatem* Chriſti Dei *noſtri erga nos experientia cognouimus, per hoc quod aīam ſuam pro noſtra ſalute tradiderit in mortem.* Propter *quod, iuxta illius exēplum, oportet nos animo promptos, & uoluntate paratos eſſe ut pro proximorū noſtrorum ſalute (cum hoc eorum utilitas uel neceſſitas exegerit) etiam uitam noſtram corporalem libenter impendamus.* Nunc *igitur, ſi etiā corporis uitam dilectio fraterna impēdere debet proximis, q̄d dicemus de ijs qui huius mundi ſubſtantia abundant (id eſt, diuitijs, & ijs quæ ad uictum & ueſtitum humanū in uſu ſunt) qui uidentes proximos ſuos indigentiam pati, & neceſſaria nō habere ad corporis qualemcunq; ſuſtentationem, quæ ipſi ad abūdantiam ſupra neceſſitatem & ſufficientiam habent, nolunt tamen miſereri ſic indigentibus, & uiſcera (in quibus miſericordiæ ſedes eſt) obfirmant & obdurant, ut non cōmoueantur ad ſubueniendum proximorum miſerijs? In talibus quomodo poterit eſſe uera* Dei *dilectio, & fraterna charitas, quæ ſecundum* Deum *eſt? Sanè nullo modo.* Filioli *mei, nō oſtendamus tantum per linguā & ſermonem blandiloquum, fraternam dilectionem (quemadmodum plurimi faciunt, qui præter uerba nihil donāt pauperibus) ſed in operibus miſericordiæ demonſtrate charitatem ueſtram, quæ eſt ſola & uera dilectio.* Si *tales nos exhibue*

rimus ante Deum *& noſipſos tales inuenerimus ueræ miſericordiæ ſectatores, in hoc cognoſcere probabili admodum exiſtimatiōe poſſumus, quoniam ex ueritate ſumus quæ eſt* Deus, *& ueri filij* Dei: *& noſtris animabus ſic facientes bene conſulemus ante conſpectū dūi, qui pro iſtis miſericordiæ operibus, beatam nobis reddet remunerationem.* Nam *ſi cor noſtrum & propria conſcientia, nos reprehendat, teſtimonium nobis perhibens quòd nō uere operemur opera miſericordiæ et dilectionis: & ſciēdum nobis eſt, quòd maior eſt* Deus *q̄ cor noſtrum, & potentior ad inſpiciendum omnia, etiā intima: ita ut melius noſcat quæcunq; ſint in intimis cogitationibus hoīum, q̄ ipſemet homo ſcire poſſit.* Ipſe *enim ſcrutatur profunda cordis noſtri & intelligit ſigillatim ſingulas cogitationes noſtras.* Propter *quod, nec euademus iudicium iudicis omnia cognoſcentis, ſi noſtræ conſcientiæ reprehenſionem non poſſumus euadere. Chariſsimi, ſi cōſcientia cordis noſtri, poſt aſsiduum & diligēs examen, nō arguat nos de immiſericordia aut alio quouis peccato, ſed perhibeat nobis bonum teſtimonium, quòd ex animo quæramus operari opera* Dei, *fiduciam talē habemus ad Deū, quòd de omni re quācunq; ſecundum eius uoluntatem pro noſtra ſalute petierimus ab eo, exaudiet nos, & dabit liberaliter quicquid poſtulauerimus eum, ſi mandata eius ſtudioſe obſeruamus, & ea quæ ſunt* Deo *placita implere curamus: quorum ſolet* Deus *preces libenter exaudire, qui uoluntatem facit omnium timentium ſe.* Hoc *aūt eſt mandatum quod mandauit nobis, ut credamus in filium eius* Ieſum *Chriſtū, ſicut & in ipſum patrem credimus, et ut propter eum, cōmunem oīum creatorē ac redemptorem, diligamus inuicem per ueram charitatis ſpiritualem dilectionem, ſecundum mandatum quod ipſe præcepit nobis.* Et *qui mandata eius cuſtodit, manet unum in eo, & ipſe*

Deus unum eſt cum illo. Et quòd in nobis credentibus in Ieſum filium Dei ipſe inhabitet, & maneat, ſitq; unum in nobis, & nos in eo, in hoc cognoſcimus, nempe ex ſpiritu ſancto quem effudit in nobis per quem ipſe in nobis inhabitat.

CAPVT IIII.

Chariſſimi, nolite ſine diſcretione omnium hominum omnibus ſuggeſtionibus fidem adhibere, ſed cum magna diſcretione & iudicio diſcernere ſtudeatis, an ex Deo ſint qui loquuntur uobis, an ex diabolo: hoc eſt, ſi ueritati catholicæ fidei, quam à principio audiſtis, cōſona loquantur: an fidei contraria. Vehemēter enim neceſſe eſt probare ſpiritus: quoniam multi falſi prophetæ proceſſerunt inter hoīes, qui pro ueris falſa ſeminant & mala dogmata. In hoc aūt cognoſci poterit qui ex ſpiritu Dei loquitur, Omnis enim qui prædicat & cōfitetur Chriſtum Ieſum Dei filium incarnatum eſſe, & uerum hoīem factum, quantū ad hoc ueritatem loquitur, & eſt ex Deo, niſi aliud habeat huic conſimile falſitatis dogma, quod prædicat. Et omnis prædicator ac doctor, qui Ieſum Deum uerum & uerum hoīem ſoluit, ita ut eum aut hoīem uerum neget eſſe aut uerū Deum, ex Deo & ueritate non eſt, ſed ex diabolo, qui eſt pater omnis mendacij. Et hic eſt Antichriſtus, de quo ſæpe ab Apoſtolis audiſtis, qđ ante cōſummationē in fine ſeculi uenturus ſit: immo uero ſecundū præcurſores ſuos, qui cōtra Chriſtum loquuntur hæreticos, etiam nunc in mundo eſt. Vos autē ô filioli mei, filij Dei eſtis, & oēm qui Chriſto aduerſatur, per fidem ueſtram ſuperaſtis, dum iniquis perſuaſionibus eorū non creditis: quoniam Deus qui uobis tanq adiutor & protector inhabitat, maior eſt q̄ qui in mūdo regnat diabolus, aut eius miniſtri Antichriſti. Ipſi mūdani ſunt, atq; ideo mundana loquuntur & ſecularia, & mundani hoīes eos audiūt, eiſq; obediūt. Nos uero, ex Deo ſumus.

Vnde qui Deum *recte cognoſcit fide perfecta noſtris credit ſermonibus.* Q*ui autem* Dei *nõ ſunt, & ad* Deum *nõ pertinent, non credunt ſermonibus noſtris, qui ab eo miſſi ſumus & loquimur.* Per *hoc diſcernimus ſpiritũ ueritatis rectæq; fidei, à ſpiritu erroris ſiue infidelitatis.* Spiritus *enim ueritatis miſſos à* Deo *audit: ſpiritus erroris, miſſos à* Deo *repellens, mẽdaces audit à diabolo miſſos.* Ad *dilectionis autem exhortationem rediens, obſecro chariſſimi, ut inuicem diligamus, quia charitas à* Deo *eſt, &* Dei *nos eſſe facit filios.* Et *omnis qui uera charitate diligit proximũ ſuum,* Dei *filius eſt: p ſpiritualẽ qua ex* Deo *renatus eſt generationem, & cognoſcit* Deum, *pp quem diligit fratrem ſimilem ſibi imaginem à* Deo *habentem.* Q*ui aũt fratrem nõ diligit.* D*eum ille nõ nouit, uera & fideli cognitione: quoniam* Deus *eſt amor & charitas, ſecundum eſſentiam, quo modo etiam ipſemet ſua bonitas eſt,* In *hoc manifeſta eſt* Dei *erga nos dilectio, quòd filium ſuum unigenitũ ipſe miſit in mũdũ, ut homo fieret: ut qui eramus p peccata noſtra mortui, per eũ uiuificaremur.* In *hoc aũt charitas hæc conſiderari debet, quòd* Deus *nos in diligendo præuenit.* Nõ *enim nos priores dileximus* Deum, *ne ipſius diligere putetur redamare, amorẽq; reddere pro amore: ſed ipſe nos prior dilexit, ,ppter ſemetipſum, nullo modo à nobis ad amorẽ noſtri obligatus.* Dilexit *aũt nos* Deus, *nõ lingua tantum, ſed opere & ueritate, filium ſuum mittens de ſinu ſuo ad terras, ut fieret propiciator pro peccatis noſtris: id eſt, ut per eum peccata noſtra auferrentur atq; expiarentur.* Attendite *chariſſimi et cõſiderate, quoniam ſi* Deus *ſic nos dilexit, qui tanto à nobis miſeris diſtat interuallo multo magis æquum eſt, ut nos inuicem diligamus, qui ſumus nobis inuicem proximi, & modo quodam pares.* Nemo *unquã hoĩum in hac carne mortali degens,* Dei *potuit eſſentiam cõprehendere, nec*

eum ſicut in ſeipſo eſt cognoſcere: ſed in proximo noſtro (in quo Dei imago eſt) Deũ quodam modo cognoſcere poſſumus, & amare. Atq; ideo ſi inuicem in Deo diligimus (licet Deum nõ ſicut eſt cõprehendamus) manet Deus in nobis et nos permanemus in Deo: & charitatem ueram, rectam, & ſaluare ſufficientem habemus in nobis qui fratrem in Deo & Deũ in fratre diligimus. Atq; (ut ſupra diximus) quòd nos cum Deo maneamus unum & Deus nobiſcum, ſcimus ex hoc quòd ſpiritũ ſanctũ dedit in nobis ad menſuram, ꝑ quem noſtra anima in tẽplum ei conſecratur, & ipſe manſionem facit in nobis. Et nos Apoſtoli uidimus oculis, et teſtimonium perhibemus, quaſi de re quam optime & certiſſime nouimus, quod Deus miſit filiũ ſuum ad ſaluandũ hoĩes mundi, à peccatis ſuis. Quiſquis ore et opere, plena cõfeſſione cõfitetur Ieſum eſſe filium Dei, eius fidem tenendo, & præcepta implendo, unum eſt cũ illo Deus, et ipſe cũ Deo eſt unũ. Et nos ſicut cognouimus charitatem Dei, quam exhibuit nobis in filio ſuo: ita libenter acquieſcimus, & per fidẽ deuote ſuſcipimus, gratias illi pro exhibita & oſtenſa charitate agentes. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus ſimiliter manet in eo habitandos. Sic perfectam erga nos dilectionem Deus demonſtrauit nobis, ut merito confidere debeamus de eius miſericordia quaſi filij chariſſimi, & nõ metuere quaſi ſerui meticuloſi, in die iudicij: quoniam ſic nos in hoc mundo cõuerſantes ſumus, & uiuimus, in dilectione fraterna, quomodo ipſe in ſe eſt diligens & bene faciens de cœlo, gratis & ingratis. Seruilis enim iſte timor, cum uera & integra charitate ſimul ſtare nõ poteſt. Immo charitas ſi perfecta integra, uera, et ſufficiens fuerit, foras expellit timorem, aduenięns, nec ſecum in eodem corde inhabitare patitur: quoniam timor ille ſeruilis pœnam conſiderat, attendit, & pro

obiecto habet quod reſpicit: quam charitas non attendit, quæ Deo propter ſe ſeruit & adhæret. Qui autem timet ut ſeruus, ueram ille adhuc charitatem nõ habet, licet initium aliquod & præparatorium habere poßit, quaſi ad charitatis perfectionem tendens, quam priuſquã aſſequatur, oportet abijci timorem. Nos ergo diligamus Deum uel hac ratione: quoniam ipſe nos dilexit prior, & beneficit, cũ nullis à nobis eſſet beneficijs aut amoribus ad redamandum obſtrictus. Nemo uero ſeipſum decipiat, putans ſe Deum diligere, etiam ſi nõ diligat fratrem. Nã ſiquis dixerit ſe Deum diligere, odium habens cõtra proximũ ſuum, mendacium loquitur. Cum illa ſimul conſtare nequeant. Qui enim fratrem quem oculis uidet, & cum quo familiariter conuerſatur, non uult amare ſimilem ſibi in imagine Dei, eiuſdemq; naturæ atq; eſſentiæ ſecundum corpus & animam: quomodo poterit ille diligere Deum, quem uidere non poteſt, cum quo nullã habet familiarem conuerſationem, & à quo omnibus modis tam longißime diſtat? Deniq; hoc præceptum mãdauit Deus, & olim in ueteri lege, & modo etiam in noua per Chriſtum, ut qui Deum diligit, diligat etiam proximum ſuum: quod qui non facit, ſcire debet, quod nec Deũ diligit, cuius præceptum per fratris odium non obſeruat.

CAPVT V.

Omnis qui credit, corde, ore, ſimul & opere cõfitendo, Ieſum eſſe filium Dei, is regeneratus eſt in adoptiuum filium Dei. Et omnis qui diligit oĩum patrẽ Deum, ſimul diligit etiam oẽs qui ex Deo ſunt nati. Nõ enim poteſt patrem diligere, ſi filios nõ diligat patris. Signum autem per quod cognoſcimus an uera dilectione diligamus fideles filios Dei, eſt: ſi Deũ uere diligimus, & ſic præcipue, ut proximos & fideles propter Deum diligamus, & Dei mandata uere obſeruemus. Vere enim charitas

Dei eſt,per quam obſeruamus mandata eius. Quæ (ne quis ab- horreat) leuia, atq; ad implendũ facilia ſunt amantibus: quoniã in dilectione ſita ſunt omnia, qua nihil eſt dulcius, neq; hoĩum affectui inſitum naturalius: potiſſimũ autem ijs, qui ex Deo *p ſpiritum ſunt renati.* Omnis *enim qui natus eſt ex* Deo*,mundũ ſuperauit, omnem eius põpam & deſideria mala abominans, quẽadmodum &* Chriſtus*,prior uicerat mundũ.* Et *fides eſt,p quam nos mundũ ſic uincimus: fides, inquã, quæ per dilectionẽ operatur.* Q*uis enim eſt qui mundum uincit, cũ oĩbus quæ in eo ſunt, niſi qui fidẽ uiuentem habet in* I*eſum filiũ* Dei *cui p fi- dem in amore adhærendo, facile contemnuntur quæ in mundo ſunt omnia?* Ipſe *eſt* I*eſus* Chriſtus*, uerus* Deus *et homo, qui ue nit operaturus myſterium redẽptionis & ſalutis noſtræ p aquã & ſanguinẽ: ut p aquæ baptiſmale myſteriũ, & per ſanguinis pretioſi effuſionem, & peccata dimittantur fidelibus & regni cœleſtis acquiratur introitus.* Nõ *autem in aqua tantum uenit, quæ ſine ſanguinis effuſione myſteriũ humanæ ſalutis ſola ope- rari non potuit: ſed p aquam, ſimul & pretioſum ſanguinem.* Et *ſpirituſſanctus eſt qui teſtimonium perhibet interna ſua ſug geſtione, & etiam in externa ſuper ipſum in ſpecie columbæ apparitione, de* Chriſto*: quod ipſe ſit uerus filius* Dei*, & ue- rus ſaluator mundi.* Quoniam *tres ſunt perſonæ, quæ deſu- per teſtatæ ſunt de ueritate filij* Dei*: nempe pater, qui & in baptizatione, & in transfiguratione, uoce de cœlo demiſſa, dixit:* Hic *eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui: & ipſe filius uerbum patris, qui ſecundum æqualitatem pa- tris de ſe dixit; quoniam ego & pater unum ſumus: & ſpi- ritus ſanctus qui in columbæ ſpecie ſuper ipſum requieſcens manifeſtũ ueritatis fuit indicium.* Et *hæ tres pſonæ tam ſubſtan tia q̃ teſtimonio unum ſunt, teſtificãtes cõcorditer, qd' Chriſtus ſit uerus*

ſit uerus filius Dei. *Et tres ſunt qui in terra dant teſtimoniũ qđ ipſe uerus ſit homo, nẽpe ſancta illa anima quã moriens cũ clamore ualido expirauit ac patri cõmendauit, aqua item & ſanguis, quæ de latere morientis effluxerunt*. Et *hæc tria, cõcorditer teſtificantur, fuiſſe uerã in Chriſto & nobis ſimilẽ humanitatem*. Et *ſiquidẽ humano teſtimonio ſtatur & creditur, ſi fuerint duo aut tres qui teſtificentur de re quapiam, certe diuinum teſtimonium ualidius et firmius eſt, magiſq; credibile. Quoniã hoc eſt teſtimoniũ* Dei, *quod ego dico maius eſſe, quod de ſuo proprio & cõſubſtantiali filio, quẽ ſibi coæqualem in æternitate genuit, teſificatus eſt: quẽ nemo nouit niſi pater, quẽadmodũ & ecõtrario, nemo patrem nouit niſi filius. Qui in filium* Dei *credit, habet in ſe teſtimoniũ* Dei *patris & conſeruat illud, dũ per fidem acquieſcit*. Contra *uero, qui in filium* Dei *nõ uult credere, abijcit & repellit patris teſtimonium, & mendacem hoc ipſo facit patrem: quod nõ uelit acquieſcere teſtimonio patris, quod de filio ſuo perhibuit. Summatim autẽ, quod teſtificatum eſt & prædicatum eſt à nobis, illud eſt: quod uitã æternam nobis fidelibus* Deus *pater dedit, nunc in ſpe, & poſtmodum in te dans nobis poteſtatem filios* Dei *fieri, credẽtibus in nomine eius: & hanc uitam pater nobis diſpoſuit per* Chriſtum *ſuũ filium, qui nobis p ſui ſanguinis pretium, illam apud patrem promeruit*. Et *ipſe eſt uita animæ noſtræ, quẽadmodum anima uita eſt corporis: ut quiſquis filium* Dei *habeat: idem habeat etiam ueram uitã: qui autem filium* Dei *nõ habuerit, ſecundum ſpiritum mortuus ſit. Hæc ſcribo uobis filioli, ut commonefaciendo uobis in memoriam reducam, quod uitam æternam etiam nunc in promiſſione habetis, quicunq; creditis in* Chriſtũ *filiũ* Dei. Et *hanc fiduciam habemus apud* Deũ, *quicunq; uere credimus in eum, quod ipſe nos exaudiat in oĩbus quæcunq; petierimus*

ſecundum uoluntatem eius, & beneplacitum. Et hoc non dubitamus, quin impleat omnes petitiones noſtras, iuxta quod ſuæ ſanctiſſimæ uolũtati uiſum fuerit ad noſtrã ſalutem expediens. Qui cognouerit fratrem ſuum peccato aliquo teneri, uel leuiori & ueniali uel tali etiã (ſi grande ſit) quod uideatur non uſq; ad mortem per finalem impœnitentiam duraturum, ſed probabiliter exiſtimatur, qui ex infirmitate, ignorantia, aut fragilitate illud cõmiſit, de eo pœnitentiam acturus, atq; ita remiſſionem conſecuturus, tali (inquam) peccato de cuius emendatione & remiſſione ſperatur, ſiquis uiderit fratrem peccaſſe, adiuuet illum ſuarum precum ſuffragio apud dñm: ut qui ſic nõ ad mortem deliquit, per pœnitentiam redeat ad uitam perfectam animæ, quã tollit peccatum. Sunt quorundam peccata deſperata, de quibus ueriſimili exiſtimatione creditur, quod in mortẽ uſq; nõ expiabuntur: eo ꝙ de eis nõ uidetur pœnitentiam acturus ꝗ ea cõmiſit: ueluti cũ quis ex obſtinata peruerſitate agnitam ueritatem blaſphemat, aut impugnat: de illis peccatis nõ dico eſſe neceſſarium, ut cõmunes fiant pro inuicem orationes, ꝗꝗ nec pro his omnino prohibeam. Omnis uero iniquitas etiam quæ leuis & facile ſanabilis eſt, peccatum dicitur, & eſt (quatenus contra æquitatem eſt) aliqua ex parte. Sed in genere peccati, quædam ſunt, quæ peccata ad mortem ſpecialiter uocantur & ſunt, quibus irretiti atq; grauati uix ſolent reſipiſcere, ſiue ad uitam redire: pro quibus dico nõ eſſe neceſſarium, ut quotidianæ fiant orationes, quẽadmodum pro uenialibus & alijs facile ſanabilibus, pro quibus facienda eſt quotidiana deprecatio. Illud autẽ ſcimus, quoniam omnis qui ꝑ regenerationem factus eſt filius Dei, donec filius Dei manet, peccare non poteſt peccato mortali, quod inter ipſum ac Deũ diuidat, ponatq; inimicitiam: ſed hoc ipſum quod Dei filius eſt, in Deo regeneratus, &

per ſpiritum ſanctum denuò uiuificatus, conſeruat eum à peccato: & malignus ſuggeſtor diabolus non tanget eum, ut noceat præualeat, aut dominetur ei. Nos *qui in Chriſtum credimus, ſcimus quoniã* Dei *filij facti ſumus: & qui in mũdo manent oẽs, in Chriſtum nolentes credere, in peccato iacent, & in malo miſerabiliter conſtituti ſunt.* Et *nos ſcimus, quoniam filius* Dei *ad hoc uenit, et intelligentiã nobis dedit, ſuo lumine nos illuſtrans: ut cognoſcamus eum qui eſt uerus* Deus, *omnia deteſtantes idola, & ſuperſtitiones omnes abnegantes: atq; ita per fidẽ rectã maneamus unum cũ uero filio eius.* Ipſe *eſt idem uerus* Deus, *& uita æterna.* Filioli, *concludens moneo uos, ut abſtineatis ab idololatria.*

Finit Elucidatio in Epiſtolam Canonicam primam beati Ioannis Apoſtoli.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM *in Epiſtolam Canonicam ſecũdã beati Ioãnis Apoſtoli.*

F*amiliarem hanc epiſtolam ſcripſit fœminæ fideli, congratulans ei de uirtute filiorum, & probitate conuerſationis eorũ iuxta mãdata* Dei: *eamq; obſecrat, ut in dilectione quam ſuo mandato Chriſtus peculiariter præcepit, ſemper permaneat ĩ obſeruatione mandatorum* Dei. Et *quoniam uenturi erant falſi doctores multi & hoĩum deceptores, ueritatem incarnationis Chriſti negantes, præmonet eam diligenter attẽdere, ne fructum fidei perdat, ſed in perſeuerantia mercedem plenã accipiat.* Deinde, *eos qui ſanam doctrinam rectæ fidei aſſerunt, patrem & filium dicit in ſe habere, eos uere qui catholicæ ueritati aſſerunt contraria, uſq; adeo uult deuitari, ut nec in ſalutatione cum eis cõmunicent fideles, ne operibus eorũ malignis conſenſum præbeant.* Plura *autem nolens per atramentum & calamum ſcribere, ita breuem terminat epiſtolam.*

eſt nihil dubiũ quin cõtrarius Chriſto eſt, & ultimi Antichriſti præcurſor ac nuncius, ſeducere uolens ſimpliciũ aĩos à rectitu=dine. Vos aũt qui fidẽ rectã ex Dei gratia tenetis, attendite uobiſmetipſis diligenter & cauete, ne bonorũ operũ ueſtrorum, quæ iam pro Chriſti amore operati eſtis, fructum & remune=rationẽ æternã perdatis: ſed in finem uſq; perſeuerantes ſtate in operibus bonis, ut fructum plenũ et integrũ accipiatis, quoniã qui perſeuerauerit, hic ſaluus erit. Omnis qui ſemel ſuſceptam ſanctæ fidei ſanam doctrinã relinquit, abiens poſt infidelitatum errores, Deũ nõ habet, etiã ſi oĩbus prius ſacramẽtis fuerit ini tiatus. Qui uero in ea quã ſemel accepit doctrina Chriſtianæ fidei, fideliter permanet: hic & patrẽ & filiũ habet, in ſe manẽ tem. Siquis ad uos ueniens, hanc doctrinã Chriſtianæ fidei, non affert, ſed cõtrariã uolens ei quæ uera eſt ſe opponere, & con=trariam docere, nec eiuſmodi hoĩem recipiatis hoſpitio neq; cõ mercium ullũ aut beneuolentiæ ſignũ, uel minimũ obſequiũ, illi exhibeatis aut demõſtretis. Qui enim illi uel ſalutationẽ offert benignã, aut cõuerſationẽ familiarẽ, quodãmodo operibus eius cõſentit, dũ eũ ſic aliqua ex parte in peccato fouet malitiæ ſuæ, qui ꝑ abſtractionẽ forſitan reſipiſcere potuiſſet. Ecce ego uos præmonui, ut in die iudicij nõ inueniamini cõfuſi, quẽadmodũ reperientur oẽs, quicunq; nũc poſt impiorũ ſeductiones à ueri tate recedunt. Habebam quidem & alia multa ad te ſcribẽnda familiaria & minutiora, quæ nolui modo literis tradere, per atramentum & calamum. Spero enim breui me futurum uo=biſcum, & præſens ore ad uos uobiſcum loqui: ut gaudiũ ue=ſtrum abundantius fiat, in noſtra præſentia, quam te ſcio deſi=derare. Salutant te filij ſororis tuæ, quæ eſt electa à Deo, & ſingulari (quemadmodum & tu) à Deo uocatione uocata. Gratia tecum. Amen.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM in tertiam Epiſtolam Canonicam beati Ioannis.

Tertiæ huius Epiſtolæ argumentum, in tribus conſiſtit. Nam primum quidem, Gaium de charitate miſericordia & hoſpitalitalitate in fideles peregrinos, ſiue propter Chriſti prædicandum Euangelium, ſiue pp perſecutionis effugiendã rabiẽ illuc aduẽtantes impenſa, collaudat, et cũ gaudio cõmẽdat. Deinde Diotrephis, cuiuſdam ambitioſi, & inflati hoĩs principatũ ambientis, ſuperbiã execratur & temeritatẽ: qui hoſpitalitatem uolebat ſubuertere, & ipſe fratres nõ recipiens, & eos q recipiebant ab Eccleſia eijciens. Propter cuius ſuperbiã, ſe quoq; dicit Eccleſiæ nõ ſcripſiſſe cõmunẽ epiſtolã. Poſtremo aũt de Demetrio teſtimoniũ bonũ, & ex relatu fratrũ, & ex ſemetipſo prædicat. Sperans aũt breui ſe iſtuc uenturum, nolens plura p atramentum & calamum ſcribere, ita terminat epiſtolam.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM CAnonicam tertiam beati Ioannis.

IOannes preſbyter, ſcribit ſalutemq; precatur Gaio chariſſimo quẽ uera diligit charitate. Chariſſime quãtũ ad oĩa precor Deũ, ut ſemper tibi feliciter ac ꝓſpere ſuccedãt oĩa, & ut recte ualeas ſemper, quantũ & quandiu altiſſimo uiſum fuerit, quẽadmodũ nunc in bona proſperitate bonaq; ualetudine ex animi ſentẽtia uiuis. Sic, inquam, te q̃ diutiſſime precor proſpere agere, & recte ualere, ut nunq̃ deſit tibi, unde quã cœpiſti charitatẽ, in peregrinos ſerues. Gaudiũ enim non paruum attulerunt aĩo meo fratres iſtinc ad nos uenientes, q retulerunt nobis & teſtificati ſunt, de ueritate uitæ et ſanctæ cõuerſationis: ĩ qua tu uiuis atq; cõuerſaris. Et uere maius ego inter omnia gaudiũ nõ habeo, q̃

de profectu diſcipulorũ meorũ, cũ eos audio in ueritate ſancti Euangelij proficere, tam fide q̃ operibus. Chariſsime, dico tibi, quoniã bene & fideliter facis, quicqd operatis in Chriſtianos fideles: potiſsimũ aũt qđ in peregrinos agis hoĩes ignotos, egẽtes, & qđ retribuant nõ habentes. Qui de tua charitate locuti ſunt in cõſpectu totius Eccleſiæ noſtræ, narrantes cum magna alacritate impenſa ſibi abs te miſerationis beneficia. Quos tu deducens, datis ĩ uia cibarijs, ac ſumptibus ſubminiſtratis, ſicut dignũ eſt, pp Deum cuius ſerui exiſtunt, nihil dubium eſt quin optime facias. Pro amore enim & noĩe dei, in quẽ credunt & quẽ cõfeſsi ſunt, tanq̃ exules à patrijs ſedibus & poſſeſsionibus expulſi, pfecti ſunt, oĩbus ſpoliati à ſuis cõtribulibus, nihil ſecũ deferentes nihilq́; accipiẽtes à gẽtilibus ſuis cõtribulibus, à quibus deſpoliati ſunt & expulſi. Chriſtianos ergo, quibus ſupetit tẽporaliũ copia, decet & oportet neceſsitatibus illorum ſubuenire: ut ſimus hac in parte cooperatores ueritatis, & adiutores ſanctæ illorũ fidei. Scripſiſſem forſan nũc Eccleſiæ toti epiſtolã cõmunẽ: ſed Diotrephes, q ambitioſe dominari quærit (uelut tyrãnus) ſuper Eccleſiã, nec agnoſcit nec ſuſtinet authoritatem noſtrã. Et ſi ſcripſiſſem Eccleſiæ, noluiſſet forſitan, nec epiſtolã Eccleſiæ legendã offerre. Propter hoc, ſi ego ipſe præſens ad uos uenero, arguam opera eius, quæ facit, malignis & inuidioſis ſermonibus cõtra nos garriens. Et quaſi nõ hoc ei ſatis ſit, nõ ſolũ Chriſtianos hoſpites ac peregrinos ipſe non recipit, ſed etiã recipi ab alijs phibet, adeo ut eos qui recipiũt, etiã è cœtu & cõmunione audeat eijcere ac ſeparare, qđ plane grauiſsimæ eſt impietatis indiciũ. Te uero chariſsime, huius perſerſi hoĩs nihil cõmoueat exẽplum malitiæ neq; imiteris illud; ſed quod bonũ eſt, et ſanctæ charitati conſonũ, ſectare ſemper. Quiſquis bona operatur opa, & uitam uiuit bonã, Dei ille fi-

lius eſt. Qui autem mala operatur & charitati cōtraria, quomodo inflatus iſte Diotrephes, Deū nō cognoſcit, nec uere fideles eſſe poteſt. Alioquin & filios Dei fratres Chriſtianos diligeret, & eis bene fieri nunq̃ prohiberet. Ecce aūt bonæ operationis tibi exēplū aliud imitandū, proponā, Demetrio omnes qui huc adueniunt perhibent teſtimoniū, & ueritas ipſa palàm eū cōmendat, quā in ope demōſtrat. Sed et nos certo cognoſcētes, atq; etiā forſan experti in nobiſipſis, de eius cōuerſatione bona aſſerendo teſtificamur, & tu noſti, quoniā mēdaces nō ſumus, & quòd uerū ſit teſtimoniū noſtrū. Illius ergo exēplo cōfortatus, permane in benecœptis. Multa quidē erant alia familiaria aut minutiora, quæ ſcribenda uidebantur: ſed nolui p atramētū & calamū ea literis ſcribere, quoniā ſpero quantocyus te præſens uidere, & ore ad os tecū loqui, quādo facilius & melius illa tibi inſinuabo. Pax ſit tibi. Salutant te qui hic ſunt tui amantiores. Tu uiciſſim ſaluta eos, qui iſtic ſunt nr̄i amātes noīatim.

ARGVMENTVM ELVCIDATORIVM
in Epiſtolam Canonicam beati Iudæ Apoſtoli.

Iudas Apoſtolus, fidelibus oībus, hanc ſcribit unicā & breuē epiſtolam, quæ Canonicis annumeratur, ordine ſeptima. In qua obſecrans fideles pro ſemel ſuſcepta fide recta uiriliter decertare, p patientiā in ea ad mortē uſq; perſeuerādo, mox cōtra ſeductores qui iā ſubintroire cœperant in populo Dei, ſermonē cōuertens, aduerſus eoſdē, agit acerrime. Primū quidē terroris exempla proponens, pœnā uidelicet increduli & murmuratoris populi Iſraelitici, in deſerto exterminati, & dæmonum ſuas ſedes & loca p ſupbiā derelinquētium, inq; æterna uincula coniectorum, ac Sodomitarū p ignē perditorū. Quibus oībus illos cōparat, maculatores carnis, cōtemptores dominationis, & blaſphematores oīs, tā diuinæ, q̃ humanæ maieſtatis: qui nec Deū

reuerenter, nec homines, illorum hac in parte ſuperbiam & audaciam, ex Michaelis archangeli exẽplo damnans, qui etiam cũ diabolo cõtendens tẽperauit à cõuitio. Cũ iſt. interim de omnibus, quæcunq; ſenſu & rationis induſtria nõ capiũt, peßime loquantur: nihil oĩno fidei tribuere uolentes, ſed ſenſuales affectus ſuos p oĩa inſequantur. Aduerſum quos terribilia exclamans, fœdis multis cõparationibus eos cõfundit, ex Prophetia Enoch uiri iuſti, cõtra illos aduenturũ Dei iudiciũ prænuntiãs. Ipſos aũt fideles. Apoſtolicarũ admonitionum (de præcauẽdis Pſeudoprophetis ſeductoribus) monet eſſe memores, & in ſancta fide noſtra ſuperædificari, & in dilectione Dei ſeipſos cuſtodire, uſq; in diẽ retributionis. Peruerſos uero et obſtinatos uult redargui, & acriter obiurgari, quaſi reprobos infirmiores aũt illorũ malitia ſeductos magis q̃ ex ſe obſtinatos, p cõpaßionem miſericordiæ, dãnationis igni ſubtrahi. Poſt quæ oĩa, Deo ſoli ſeruare potenti dans gloriam & honorem, ita finit Epiſtolam.

ELVCIDATIO IN EPISTOLAM CAnonicam beati Iudæ Apoſtoli.

i

Vdas ſeruus Ieſu Chriſti, frater Iacobi minoris, ſcribit ſalutemq; precatur charißimis Chriſtianis, qui p fidem unũ ſunt in Deo patre, & in fide Ieſu Chriſti cõſeruãtur in ea uocatione, in qua & uocati ſunt. Miſericordia uobis, & pax, et charitas, creſcat & perficiatur. Charißimi, cũ oẽm diligẽtiã adhiberẽ ad ſcribẽdũ uobis quæ ad ſalutẽ cõem oĩum eſſent magis neceſſaria, uiſum fuit mihi præcipuũ, & ante oĩa neceſſariũ duxi, uos deprecando hæc cõmoneſacere, & cõmoneſaciẽdo deprecari, ut ſemel ſuſceptæ ſanctæ fidei, quẽadmodũ à ſanctis Apoſtolis tradita eſt ſupercertetis: pro ea ſcilicet tenenda uſq; ad finẽ, fortiter & perſeueranter dimicantes: Ita ut nullis, neq; perſecutio

nibus, neq; perſuaſionibus ab eius firmitate uos ſinatis amoueri. Prodierunt enim quidam (*neſcio qui aut unde*) *& exierunt in mundũ hoĩes impij, quos ab æterno* Deus *ad hoc præſciuit impietatis facinus, & ſubſecuturæ poſtmodũ damnationis iudicium, miſerabiliter deuenturos, qui gratiã* Dñi *noſtri Ieſu* Chriſti, *quæ ad ſanctificationẽ, ſpiritus ac carnis data eſt, transferũt in carnis uitia: libertatẽ* Euãgelicã *dantes ĩ occaſionem carnis, eamq; habẽtes tanq̃ malitiæ ſuæ uelamen, negãtes* Dñm *noſtrũ Ieſum* Chriſtum, *qui eſt ſolus* Deus *& dominator oĩum à quo ſunt oĩa condita, & ſub cuius ditione ſunt oĩa.* Licet *autẽ ſemel ſciatis oĩa, quæ ego modo dicenda propoſui, & licet nihil eorũ uobis inauditum credan, tamen cõmoneſacere uos uolo, & ad memoriam quæ tenetis reducẽdo, proponere exempla eorum, qui poſt priora beneficia ſuſcepta, propter ſuam ingratitudinẽ, à* Deo *fuerunt de cõmiſſis in eũ peccatis, puniti.* Et *primo qdẽ notandum, quẽadmodũ* Dñs *Ieſus, qui per ſuæ diuinitatis brachium filios* Iſrael *de ſeruitute* Aegypti *ſaluos eduxerat, poſtmodũ non credentes ac murmurantes, multipliciter perdidit.* Angelicos *etiã ſpiritus, qui ſuã illã nobilẽ conditionem (in qua creati fuerant ab initio) nõ cuſtodierunt, ſed per ſuã ſuperbiam cœleſte domicilium reliquerunt, & manſiones glorioſas perdiderunt, ſub caligne damnationis horrendæ in inferno, uinculis à quibus nunq̃ abſoluẽtur alligatos, tradidit in iudicium magni illius & horrendi diei reſeruandos: quando eorũ damnatio publica cõfuſione, per iudicis ſententiã perfecte cõplebitur.* Iuxta *quẽ modum incolæ etiam* Sodomæ *&* Gomorræ, *ac ciuitatum finitimarum (qui ſimili inobediẽtiæ modo belluino more, in extreman et peſſiman oĩno fornicationẽ, cõtra naturæ inſtituta, deuenerunt, ita ut ſequerentur per ardorem concupiſcentiæ carnem ſimilem: maſculi, maſculinam, fœminæ, fœmineam, cõmi=*

ſtionis gratia) poſiti ſunt à Deo in exemplum omnibus peccantibus, modo ſuſtinentes æterni ignis pœnam, cuius ille temporalis ignis, quo fuerunt temporaliter abſumpti, ſignũ tantũ fuit. Simili perditionis modo, nihil dubium eſt illos quoq; perdendos fore, qui ſuam carnem luxurijs impudice commaculant, & dominationẽ omnem fugiunt, ſubeſſe recuſantes ijs quibus eos Deus ſubiecit. Maieſtatem quoq; tam diuinam q̃ humanam, eorum qui ſunt in poteſtate conſtituti, etiam blaſphemijs & maledictis inſectantur. Quorum perditiſsimorum hominũ blaſphemandi audaciam, Michaelis archangeli confundit exemplum. Cum enim Michael archangelus cum diabolo diſputans, contenderet de Moyſi corpore, quod hic reuelari ad ſeductionem filiorum Iſrael uolebat, ille autem occultari, ne in eo peccarent idololatria: uerebatur angelus, nec uolebat diabolo conuitium inferre: tantum dicebat cum modeſtia, citra omne maledictum: Arguat te Deus Satan, & ſuæ potentiæ te compeſcat imperio. Et tantam quidem in loquendo reuerentiam, angelus diabolo Dei ſeruabat inimico, nullum uolens in Dei creaturã acerbius proferre maledictum. At uero inpudentes iſti homines, de omnibus quæcunq; ſuo animali iudicio non intelligunt, peſsime & maledice loquuntur. Quæ uero ſecundum naturalem æſtimationem, & animale iudicium capiunt, quaſi bruta animantia, quæ ad ſenſus æſtimationem, ſine ratione agunt omnia, quæq; eis ſecundum ſui iudicij cæcitatem recta uidentur, in his corrupte et mirabiliter ambulant & pereunt. Væ, uæ, illis qui Cain peſsima exempla ſequuntur, in inuidia, & odio, ac homicidio uiuentes: & qui errorem auari Balaam inſequuntur, auiditate mercedis effuſi ad illicita: & qui animas ſuas perdiderunt, imitantes exemplum cõtradictionis Choræ: qui Moyſi à Deo filijs Iſrael præfecto, ſubeſſe recuſauit. Hi ſunt conuiuijs ſuis fœtidiſsimæ

maculæ, qui non ſolum ſeipſos, ſed uniuerſos etiam cum ipſis conuerſantes ſua fœditate cõmaculant, conuiuantes ac delitiantes, omni timore poſtpoſito, ſuam cutem egregie omni cura curantes. Nubes: in altis quidem ambulantes, & magna à longe pollicentes, ſed ſine aqua in quibus nihil eſt ueræ ſapientiæ: nubes, inquam, leues & ſteriles, quæ proinde ab omni motu concupiſcentiæ facile circumagitantur, atque mouentur, ſimiles arboribus autumnalibus, quæ fructum nullum ferunt, uirore & uigore perdito: duplici ratione morti obnoxiæ, tam ſecundum corpus q̃ ſecundum animam: atq; etiam quoniam poſt ſuſceptã ſpiritus gratiam, denuo in priſtinos redierunt errores. Qui extra radicem ſunt charitatis, & timorem Dei (qui eſt radix & initium ueræ ſapientiæ) prorſus perdiderunt. Sunt etiam ſimiles fluctibus & procellis feri maris, qui modo in altum ſe efferunt, modo in infima rurſum decidunt, mox iterum ſe erecturi: qui cũ ſuas blaſphemias multa maledicta proferunt nihil niſi ſuas confuſiones euomunt, quæ cordis eorum immunditiam teſtantur, quẽadmodum mare per ſuos fluctus ſpumã eijciens, ſuam amaram atteſtatur ſalſedinem. Sydera quoque ſunt uolantia ſiue errantia quæ loco certo nullo conſiſtunt, nullamq; loci habent ſtabilitatem: quibus tempeſtas tenebrarum infernalium ſeruatur, quam ſunt in æternum experturi, cum diabolo & angelis eius. Ante uero multa tempora, de huiuſmodi hominibus prædixit Enoch homo Dei, qui ab Adam, ſecundum generationis ſeriem, ſeptimus ordine inuenitur, hũc in modum. Ecce (inquit) ueniet Dominus cum millibus ſanctorum angelorum ſuorum, atq; cæterorum beatorum ſpirituum, ad faciendum iudicium, contra omnes male agentes & ad corripiendum puniendumq; omnes impios, de omnibus operibus malis, quæ commiſerunt dum uiuerent: nec de operibus ſolum, ſed de omnibus

etiam uerbis malis: quæcunq; locuti ſunt impij peccatores contra Deum, ſiue blaſphemantes, ſiue extra eius præcepta loquẽtes. Hi ſunt homines murmuratores aduerſum ſuperiores & in poteſtate conſtitutos: queruloſi, cõtra coæquales inter quos uerſantur, uiuentes ſecundum carnalia ſua deſideria qui ore ſuo loquuntur ſuperbiam, perſonaſq́; per adulationem mirantur, laudant & prædicant, lucri gratia. Vos autem chariſsimi, ne forte horum peſsimis perſuaſionibus abducamini, ſemper memores eſtote uerborum quæ ſunt uobis prædicta, ad cautelam uenturorum temporum, à ſanctis Apoſtolis Chriſti Domini noſtri. qui commonendo dicebant uobis, ꝙ in nouiſsimis temporibus uenturi eſſent homines impoſtores & ſeductores, obſecundaturi concupiſcentijs ſuis, in nequitijs & peccatis ſuis. Hi ſunt qui ſe à communi fidelium cœtu, atq; à ſententia fidei catholicæ, ſegregant, homines animales, ſui ſenſus tractum tantũmodo inſequẽtes, in quibus non habitat ſpiritus ſanctus: quoniam animales ſunt. Vos autem chariſsimi, nolite aſsimilari illis, ſed ſuper fundamentum ſanctiſsimæ fidei noſtræ, id eſt, communis & catholicæ, ſtudete uoſipſos in ædificio ſpirituali & uirtutum ſtructura facere cõſummatos: orantes in ſpiritu ſancto, qui docet quid oporteat orare, & adiuuat infirmitatem noſtram: atq; ita uoſmetipſos ſeruate in dilectione Dei, expectantes per certiſsimã ſpei confidentiam, miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quam conſequamini in ſuo tempore uitam æternam. Et ex impijs hominibus, alios quidem qui iam propter ſuam obſtinationem iudicati ſunt arguite, ſuo proprio iudicio atq; etiam diuino reprobatos, & damnationi addictos. Alios uero, qui illorum ſeductionibus ad malum pertracti forſitan extiterunt, ſed in obſtinata infidelitate damnati non ſunt: eiuſmodi (inquam) omni ſtudio liberate, quaſi de incendio æterni ignis eos eripiẽ-

tes, cui iam addicti & deſtinati fuerant, niſi ad rectam fidem re diſſent. Alijs *quoq; qui quomodocũq; forſitan præoccupati ali quo delicto ceciderint, miſericordiam exhibete, in ſpiritu leni- tatis eos ſuſcipientes, in timore ſancto, ne forte & uobis idip- ſum contingat: ſemper odio habentes ueterem illam carnalium actionum maculatam tunicam, & omnem corruptionem uete- ris hominis fugientes.* Omnipotenti *autem* Deo *patri qui po- teſt, & ſolus poteſt, nos per auxilium gratiæ ſuæ ab omni pec- cato præſeruare, & poſt bene tranſactam uitam, ante præſen- tiam ſuam in gloriam adducere, ut ſine omni macula & crimi- ne, cum pleno gaudio inueniamur in aduentu* Chriſti *ad iudi- cium.* Ipſi, *inquam,* Deo *patri, præter quem non eſt alius ſalua tor ſit per* Ieſum Chriſtum *dominum noſtrum gloria & magni ficentia, imperium atq; poteſtas æterna ante omnia tempora, & nunc & in omnia ſecula ſeculorum.* Amen.

Finit Elucidatio in Epiſtolam Canonicam
beati Iudæ Apoſtoli.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE